3 1761 07985960 9

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/bibliothecaehist01diod

Δ Ι Ο Δ Ω Ρ Ο Σ

DIODORI SICULI
BIBLIOTHECAE HISTORICAE
LIBRI QUI SUPERSUNT

E RECENSIONE PETRI WESSELINGII
CUM INTERPRETATIONE LATINA LAUR. RHODOMANI
ATQUE ANNOTATIONIBUS VARIORUM INTEGRIS
INDICIBUSQUE LOCUPLETISSIMIS

NOVA EDITIO

CUM COMMENTATIONIBUS III CHR. GOTTL. HEYNII
ET CUM ARGUMENTIS DISPUTATIONIBUSQUE
IER. NIC. EYRINGII

VOLUMEN PRIMUM

B I P O N T I
X TYPOGRAPHIA SOCIETATIS
CIƆIƆCCXCIII

888.9
DID
HE
I

888.9
Di
He

UNIVERSITY OF TORONTO
MAR 23 1970
LIBRARY

PA
3965
D3
1793
v.1

DIODORI SICULI
BIBLIOTHECAE HISTORICAE
LIBRI
QUI SUPERSUNT

888.9
D1D
HE

DE DIODORO

ET EIUS SCRIPTIS

BREVIS TRACTATUS

HENRICI STEPHANI.

DIODORUS, ex Agyrio urbe Siciliae ortus, non ab ea, (utpote quae ignobilior eſſet fortaſſe) ſed ab ipſa regione Sicilia cognomen accepit; nec enim Ἀγυρῖνος, ſed Σικελιώτης cognominatus fuit. Vulgo Diodorus Siculus a Latine ſcribentibus appellatur; quod Siculum Latini indifferenter tam Σικελιώτην, quam Σικελὸν, ut Italum tam Ἰταλιώτην, quam Ἰταλὸν, vocaſſe exiſtimentur. Plinius Diodorum ſimpliciter nuncupat, non addito a natione cognomento. Sic & Iuſtinus Martyr, item Ariſtophanis ſcholiaſtes. At Euſebius alicubi addit, alicubi omittit. Agyrium autem nomino illam civitatem Siciliae, patriam Diodori, potius quam Argyrium, aut Angyrium: (quae duae lectiones in noſtris habentur exemplaribus) cum alios, tum eundem Plinium ac Stephanum ſequens. Porro ſe inde ortum teſtatur ipſe in prooemio totius operis, pag. 17 huius voluminis, non procul a fine, ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου &c.

Vixit Diodorus (ut variis in locis ipſe docet) Iulii Caeſaris temporibus. At Suidas illum ſub

Auguſto vixiſſe ſcribit; a veritate tamen minime diſcedens: nam Iulio Caeſari illum ſuperſtitem fuiſſe, & Auguſtum eius ſucceſſorem vidiſſe, vel ex iis liquet, quae ſuperſunt ex poſtremo eius opere, fragmentis. Et Suidas ita dicit ſub Auguſto eum vixiſſe, ut ante illum etiam exſtitiſſe non neget. Verumtamen viderit Suidas, cur non potius dixerit eum ſub Iulio Caeſare & poſt eum vixiſſe; vel, ſub Iulio Caeſare & ſub Auguſto. Equidem in tempora Iulii Caeſaris ſe incidiſſe ipſemet cum alibi teſtatur, tum vero in his, quos ſubiungam, locis: in quibus omnibus illum Dei ornare cognomento, obiter animadvertendum eſt. Nam libri quarti capite 19, de Aleſia urbe loquens, haec ſcribit, (ſi modo verba eius recte interpretor:) *Celtae autem noſtra etiam aetate civitatem hanc in honore & pretio habebant, tanquam univerſae Celticae aſylum & metropolim. Quae cum libera & a nullo expugnata ab Herculis aetate ad noſtram uſque permanſiſſet tandem a Caio Caeſare (qui ob fortia facta Deus vocatus eſt) vi capta, Romanorum imperium accipere una cum aliis Celtis coacta fuit.* Rurſum lib. V, cap. 21, de Britannia loquens: *Huic priſcis quidem ſeculis nihil rei cum peregrino ullo exercitu fuit: (ſiquidem nec Bacchum, nec Herculem, nec aliorum heroum quemquam adverſus eam exercitum duxiſſe accepimus) verum noſtra aetate C. Caeſar (ob res a ſe geſtas Deus cognominatus) primus poſt hominum memoriam inſulam ſubiugavit, Britannoſque debellatos Romanis tributarios reddidit.* In alio eiuſdem libri loco, qui eſt capite 25, ſcribit: *Ex fluviis autem, qui in mare influunt, maximi videntur eſſe Danubius & Rhenus, quem noſtra aetate Caeſar (qui Deus nuncupatus fuit) miro quodam*

& incredibili artificio ponte iunxit: cumque ſuum exercitum eo tranſportaſſet, tranſrhenanos Gallos ſubegit. Meminit vero Iulii Caeſaris & libri I p. 19, ſed eius ſe aetate vixiſſe non addens. Scribit enim: *In ſequentibus autem viginti tribus libris reliquas res omnes geſtas ordine collocavimus, uſque ad principium excitati Romanis adverſus Celtas belli. Cuius dux C. Iulius Caeſar (qui ob res geſtas Deus vocitatus fuit) maximam Celticarum gentium partem, & quidem quae inter eas maxime bellicoſae erant, ſubiugavit, Romanumque imperium ad Britannicas uſque inſulas promovit. Huius geſta initium habuerunt a primo Olympiadis centeſimae & nonageſimae anno, archonte Athenis Herode.* Eadem autem Olympiade ſe in Aegyptum veniſſe ſcribit, lib. I, c. 44. *In Aegyptum* (inquit) *centeſima & nonageſima Olympiade pervenimus, regnante Ptolemaeo, qui novus Bacchus appellabatur.* Rurſus lib. I, c. 83: *Quo tempore rex Ptolemaeus a Romanis nondum amicus vocabatur, & populus advenas Italos omni ſtudio ac favore proſequebatur, ac ſedulo dabat operam ne* &c.

Titulus operis Diodori eſt Βιβλιοθήκη ἱστορικὴ, in noſtris quidem certe exemplaribus. Euſebius quoque Evang. Praep. lib. I, (pag. 13 editionis patris mei) dicit, eum in unum opus collegiſſe univerſam ἱστορικὴν βιβλιοθήκην. Verum idem lib. II, pag. 33, βιβλιοθήκας numero plurali vocat, nec addit ἱστορικάς· ſcribit enim, ὁ τὰς βιβλιοθήκας ἐπὶ ταυτὸν ὁμοῦ συναγαγών. Itidem Iuſtin. Martyr de eo dicit, ὁ τὰς βιβλιοθήκας ἐπιτεμών. Rurſum Euſebius pag. 36 citat librum quartum βιβλιοθηκῶν Diodori. Iam vero & Plinius (niſi hic quoque mendoſa ſunt exemplaria) βιβλιοθήκας numero plurali appellat. Cuius locum repetam paulo altius,

ut intelligi poſſit, quod de hoc titulo ſcribit. Haec igitur eius ſunt verba in praefatione totius operis: *Iam Muſae, Pandectae, ἐγχειρίδιον, λειμών, πινακίδιον, inſcriptiones propter quas vadimonium deſeri poſſit. At cum intraveris, Dii Deaeque, quam nihil in medio invenies! Noſtri craſſiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque quam facetiſſimi. Lucubrationem puto, qui Antias civis erat & vocabatur, Valerius primus aſſerit. Varro in Satyris ſuis Seſculyxem & Flexibulas. Apud Graecos deſiit nugari Diodorus, &* Βιβλιοθήκας *hiſtoriam ſuam inſcripſit. Appion quidem grammaticus* &c. Hactenus Plinius. At enarrator Ariſtophanis citat locum quendam de tripode ex Diodori libro XVI τῶν ἱστοριῶν βιβλιοθήκης. Ubi fortaſſe ſcripſerat τῆς τῶν ἱστοριῶν βιβλιοθήκης. Nec ſunt valde abſimiles hi tituli, ἱστορικὴ βιβλιοθήκη, & ἡ τῶν ἱστοριῶν βιβλιοθήκη. Iam vero de titulo, qui eſt apud Athenaeum, quidnam dicemus? citat enim ille Diodorum ἐν τοῖς περὶ βιβλιοθήκης. Quo tamen ſenſu opus Diodori appellari poſſit τὸ περὶ βιβλιοθήκης non intelligo, ac mendum ſubeſſe verbis illis ἐν τοῖς περὶ exiſtimo. Eſt autem locus, quem citat, lib. XVI, cap. 24 huius noſtrae editionis. Porro quod ad praecedentes attinet inſcriptiones, videtur omnium ſimpliciſſima eſſe haec, (quae & in noſtris exemplaribus habetur) ἱστορικὴ βιβλιοθήκη· a qua non abludit iſta (uti modo dixi) ἡ τῶν ἱστοριῶν βιβλιοθήκη. Nec enim aliud hiſce inſcriptionibus ſignificari arbitror, quam opus hiſtoricum ex variorum hiſtoricorum ſcriptis ita conflatum, ut unum aliorum multorum inſtar eſſe, &, tanquam bibliotheca hiſtoricis variis inſtructiſſima, cognitionem hiſtoriarum omne genus ſubminiſtrare poſſit. Cum autem vocatur βιβλιοθῆκαι, primum quidem ſub-

audiendum relinqui puto adiectivum ἱστορικαί· deinde pluralem numerum aliquid amplius ſignificare, quam ſingularem: quaſi non unius bibliothecae, ſed multarum bibliothecarum inſtar eſſe poſſit hoc opus. Quod vero dicit Euſebius, Diodorum in unum opus collegiſſe bibliothecas hiſtoricas, eodem redire crediderim: intelligit enim, ut opinor, eum diverſorum auctorum ſcripta (tam multa, ut bibliothecas implere poſſent) in unum opus congeſſiſſe. Idem vero Euſebius in prooemio libri XI, ſimplicius loquens de eo, *Qui* (inquit) *ex pluribus hiſtorias collegit:* ἐκ πλειόνων ἱστορίας ἀναλεξάμενος. At Iuſtinus Martyr (cuius modo protuli verba) non dicit ut Euſebius, *Qui bibliothecas collegit;* ſed, *Qui contraxit, & in compendium redegit.* Quod tamen dicens, nullo modo ab Euſebio diſſentit: nam is alicuius opus in compendium redigit, qui non omnia, quae in eo ſunt, colligit, ſed ex multis interdum pauca, & quidem ea, quae illi videntur eſſe praecipua. Nec Euſebius collectionem talem intelligit, quae totos ceterorum hiſtoricorum libros coacervarit, ſed in qua delectus, quali opus eſt his in rebus, adhibitus fuerit.

Hoc autem opus, quod hiſtoricam bibliothecam appellari diximus, in quadraginta libros a ſe diſtributum fuiſſe, ipſemet in prooemio teſtatur, pag. 20, ſcribens: *Adeo ut univerſum opus noſtrum, quod quadraginta libros habet, annos mille centum triginta octo complectatur, ultra tempus rerum ante bellum Troianum geſtarum.* Sed animadvertendum eſt, quoſdam ex his libris eſſe duplices, id eſt, in duas partes diviſos: ut eſt liber primus, item decimus ſeptimus. Quamquam ipſe auctor diviſionis libri decimi ſeptimi non memi-

nit, ſed tantum diviſionis libri primi; poſteriorem enim eius inchoans partem, ita praefatur: *Cum primus Diodori liber ob prolixitatem in duos libros diviſus ſit, prior quidem* &c. Ubi quod ſcriptum ſit, *Primus Diodori liber*, non, *Primus meus liber*, non debet cuiquam ſuſpectam reddere poſitam hic praefatiunculam, quaſi ſuppoſititiam: nam quae in calce eius habentur, eſſe Diodori convincunt, cum ibi de ſe non iam in tertia, ſed prima perſona loquatur. Ut autem hic poſitus fuit iſte titulus τμῆμα δεύτερον, ita & ſupra, pag. 21, illis verbis, περὶ μὲν &c. (quae habentur continuo poſt prooemium) videtur debuiſſe praefigi haec inſcriptio, τμῆμα πρῶτον; ſed noſtris exemplaribus nihil auſi fuimus affingere. Ceterum hinc apparet, quid Volaterranum & alios in errorem impulerit, citantes ex libro ſexto Diodori, quae in quinto habentur. Nimirum is, cuius edita fuit pridem Latina horum quinque priorum librorum verſio, (vel potius perverſio) primus opinor, ceteris anſam errandi praebuit: qui, ubi Diodorus poſteriorem libri primi partem inchoat, libri ſecundi principium conſtituit: ac deinceps ubi ille initium libri ſecundi facit, ipſe tertium inde incipere credit, & ita in librorum ſequentium enumeratione pergens, ut pro quinque ſex habeamus facit. Quod ſi in eius manus integrum volumen veniſſet, ex quadraginta libris fortaſſe quinquaginta hoc modo feciſſet: nec enim dubito, quin & ex libris, qui deſiderantur, aliquos hic auctor duplicaverit. Verum eos, quibus non ipſos Diodori libros, ſed eorum tantum interpretationem videre contigerat, excuſatione dignos merito iudicemus: at qui Graeca verſaverant exemplaria, minus venia digni videntur. Immo vero

ne eos quidem, qui Latinam dumtaxat interpretationem viderant, (ac multo minus eius auctorem) veniam mereri dicere poſſumus; cum in ea ipſa liber primus in duos libros diviſus eſſe ſcribatur. Volui autem hunc errorem patefacere, propter eos etiam, qui clamitant, bellum hunc interpretem librum ſextum habuiſſe, qui tamen in iis, quae notae ſunt, bibliothecis deſideretur. Quod ſi quis aliqua ex vere ſexto libro legere cupit, habet apud Euſebium locum inde depromtum Evang. Praep. lib. II, pag. 38 editionis patris mei, quem & in calce huius operis inveniet.

Librorum Diodori omnium quidem ſimul titulus eſt is, de quo paulo ante dictum eſt, Hiſtorica bibliotheca: ſed quoſdam ex iis peculiares inſcriptiones habuiſſe, ex eo coniicere poſſumus, quod ipſemet librum quintum Νησιωτικὴν βίβλον inſcribat, id eſt, ad verbum, *Inſularum librum*, quod videlicet in eo de inſulis agat. Atque hoc diligenter notandum eſt, ne, ſi incidamus in aliquem auctorem, qui Νησιωτικὴν βίβλον eius citet, eum eſſe de numero librorum Hiſtoricae bibliothecae inficiemur.

Argumentum huius operis in genere quidem ipſe titulus declarat; ſed particulatim ab ipſo auctore exponitur, in fine pag. 18, ubi ſcribit: *Ex libris noſtris primi quidem ſex complectuntur res ante Troiani belli tempus geſtas, & ea quae fabulis tradita de eo ſeculo fuerunt; atque horum tres priores antiquitates barbaricas, tres poſteriores Graecas fere complectuntur. Undecim autem ſequentibus a Troiano bello univerſitatem rerum geſtarum, uſque ad Alexandri mortem, memoriae prodidimus. In iis, qui ſuperſunt, viginti tribus reliqua omnia geſta col-*

locavimus, uſque ad initium belli Romanis adverſus Celtas exorti. Haec ille. Qui autem magis particulatim ſingulorum librorum argumentum noſſe volet, praefixa legat unicuique eorum κεφάλαια.

De temporis autem longitudine, quod toto ſuo complectitur opere, paulo poſt ipſe ſcribens, ait ſe id quidem tempus, quod bellum Troianum anteceſſit, certo ſpatio non definire: ſed a Troiano bello (Apollodorum Athenienſem ſequendo) nonaginta annos uſque ad Heraclidarum reditum ſtatuere; ab hoc autem uſque ad primam Olympiadem trecentos viginti octo, a Lacedaemoniorum regibus tempora computando. Poſtremo a prima Olympiade uſque ad Celtici belli initium (quo ſuam hiſtoriam clauſit) ſeptingentos triginta annos. Adeo ut univerſum opus, quod quadraginta libros habet, ſpatium annorum mille centum triginta octo complectatur, etiam tempore rerum ante Troianum bellum geſtarum excepto.

Ceterum ad univerſalem hiſtoriam in unum opus includendam ſe deſiderio iuvandorum lectorum impulſum, & nec laboris ad id neceſſarii magnitudine, nec temporis longitudine deterritum fuiſſe, in prooemio ſuo teſtatur: ubi etiam ait, facile & promtum omnibus fore, ex eiuſmodi opere, tanquam ex uberrimo fonte, quae ad ſuum inſtitutum pertinent haurire; contra vero evolvere ſparſas per varios libros hiſtorias, (eorum videlicet, qui propria gentis aut civitatis unius geſta ſeorſum tractaverint) praeterquam quod laborioſum ſit & ad perſpicuam rerum intelligentiam perincommodum, non cuiuſvis eſſe, quod nimirum non omnibus tot datum ſit volumina nanciſci. Se ergo totos trigin-

ta annos in hoc opus inſumſiſſe, & bonam Europae atque Aſiae partem magnis cum aerumnis periculiſque peragraſſe, ſcribit, quod locorum ignorationem ſciret nonnullos ex celeberrimis etiam hiſtoricis in errores varios impuliſſe. Quibus haec ſubiungit: *Adminiculum autem nobis ad hoc inceptum fuit, ante omnia quidem huius argumenti pertractandi cupiditas, (per quam omnibus mortalibus etiam quod alioqui nulla ratione effici poſſe videtur, effectum redditur) deinde vero ſuppeditata Romae omnium rerum, quae ad huius argumenti tractationem faciebant, abundantia & copia. Cum enim urbs haec adeo ſupra omnes alias emineat, ut eius potentia uſque ad extremos orbis terminos pertingat, expeditiſſima & plurima nobis adminicula ſubminiſtravit, utpote qui eius incolae longo tempore fuerimus. Nos enim ex Agyrio urbe Siciliae orti, & propter commercium, quod nobis cum* Romanis *in inſula verſantibus erat, magnam linguae Romanae cognitionem adepti, omnia huius imperii geſta ex vetuſtis, quae apud illos aſſervantur, monumentis deſumſimus.* Et haec quidem hoc loco Diodorus: alibi autem Ephori exemplo ſe *κοινὰς πράξεις* memoriae mandaſſe ſcribit.

Apud Diodorum conciones crebrae aut longae, ſicut apud alios multos hiſtoricos, quaerendae non ſunt, utpote quas ipſe in illis reprehendat. Ait enim, eas narrationis curſum interrumpere, & lectorem avide in cognitione hiſtoriae ulterius progredientem remorari. Invehiturque in eos, qui intempeſtive ſuam eloquentiam in hiſtoria ſcribenda oſtentant; atque, ubi tot conciones orationeſque rhetoricis pigmentis adſperſae infarciuntur hiſtoriae, totam hiſtoriam eſſe concionum acceſſionem ſcribit. Perinde eſt autem, ac ſi diceret, ipſam hiſtoriam, quae eſt *τὸ*

ἔργον, fieri τὸ πάρεργον· contra vero conciones, quae eſſe debent velut τὰ πάρεργον, tractari tanquam ipſum ἔργον. Ubi autem locum habeant conciones, & quis earum debeat eſſe modus, declarat. An vero & in Thucydidem cadat haec reprehenſio, viderint alii.

Res geſtas tam diligenter & accurate atque adeo exacte temporibus diſtinguit, ut hac in re palmam inter hiſtoricos obtinuiſſe credatur. Porro quod modo ἀρχόντων, modo conſulum, interdum utrorumque ſimul nomina ſecus apud eum quam apud alios ſcripta reperiuntur, ea vero ſcripturae diverſitas debeatne ipſis auctoribus imputari, an iis, qui libros eorum deſcripſerunt, librariis, ſaepe dubium relinquitur. Sunt quidem certe loci nonnulli, in quibus tanta eſt diverſitas, ut eam ipſis auctoribus liqueat eſſe imputandam. Verum quod ad temporum notationem attinet, peculiare eſt hoc Diodoro, non ſolum ἀρχόντων & conſulum, ſed & virorum doctrina illuſtrium nominibus ea ſignare. Interdum etiam tempus, quod deſcribit, eſſe id ait, a quo hic vel ille ſuam ſit orſus hiſtoriam, ſimul & tempus, in quod ea deſinat, ſignificans. Exempla ſunt lib. XII, c. 37, & XIII, 103; praeterea c. 109, & XIV, c. 43 & 46, item c. 84. Multos vero ſimul enumerat XV, 76. Alios omnes longum foret annotare locos.

Hoc inſuper Diodoro uſitatum eſt, ſuis narrationibus clauſulam, quae aut laudem aut vituperium contineat, imponere. Nam ut, ſi quid inſigni cum prudentia aut fortitudine geſtum eſt, ſummis laudibus auctorem huius rei proſequitur: ita ſi quo in facto inſignis temeritas vel ignavia vel improbitas ſe prodit, male accipere verbis auctorem eius ſolitus eſt. Cuius ſuae conſue-

tudinis cum alibi, tum in libri decimi quinti prooemio meminit. Praeterea lib. XV, c. 88, morem inſtitutumque ſuum eſſe dicit, fortis alicuius viri morte commemorata, laudes eius ſubiungere. Et quidem ut ibi in Epaminonda hoc facit, ita & paulo ante fecerat in Pelopida, cap. 80. Modum interim tam in laudationibus quam vituperationibus tenet, &, ne in eandem in quam Timaeus reprehenſionem incurrat, ſedulo cavet: nam propter crebras ac longas ἐπιτιμήσεις Timaeum fuiſſe vocitatum Epitimaeum, ipſe quodam loco ſcribit.

Eſt etiam mos hic Diodori, (qui praecipue commendare ſcripta eius piis omnibus debet) ut rerum multarum eventus, quos alii hiſtorici fortunae imputarent, divinae providentiae adſcribat, ut V, 83: *Et Tennem, praeter ſpem omnium, Dei alicuius providentia ſervatum, regno inſulae potitum fuiſſe.* Sic XVI, 58: *Nam qui in templum confugerant, cum ſe Deorum ope ſervatum iri ſperaſſent, contra divina providentia factum eſt ut ſupplicio ſacrilegis digno afficerentur.* Huc autem pertinent & hi loci, qui item pietatem eius (qualis in ethnicum hominem cadere potuit) teſtantur, ut XV, 58: *Hi ergo, tanquam aliquo Deo ipſis offenſo, iuſtas & debitas poenas luerunt.* Item XVI, 31: *Cum autem exire inde non poſſet, cruciatuſque ſe captum manentes formidaret, ſe ipſum praecipitavit: atque hoc modo dans numini poenas, vitam finivit.* Et c. 64: *Qui ergo numen contemnere auſi erant, eo, quo diximus, modo puniti a Diis fuerunt.* Quodam etiam loco infortunia, quae narrat, phyſicos quidem inter naturales & coactos rerum eventus annumerare ait: at eos, qui pii ſint erga Deos, interpretari a Diis invectas eſſe calamitates illas adverſus eos, qui numen ipſorum violaſſent.

Iam vero & principibus nonnullis ſuam erga Deum pietatem promoti eorum imperii cauſam fuiſſe perhibet. Pudeat pudeat ergo Chriſtianos quoſdam, in ſuis hiſtoricis ſcriptis omnia fortunae tribuentes, ethnicos verbis (utinam non etiam mente) comperiri.

Diodori autem idioma unuſquiſque aſſidua eius ſcriptorum lectione cognoſcere poterit: quod cognitum ad multos in iis emendandos locos, multos item alioqui perobſcuros intelligendos, itemque ad amovendam falſam ſuſpicionem de librariorum quibuſdam in locis fide, plurimum adiumenti attulerit. Quicunque enim novus ſcriptoris huius lector erit, (etiamſi alioqui in lectione aliorum omnium exercitatiſſimus ſit) futurum ut ei nova multa occurrant, praemonitum volo.

Hoc addam, elogia de Diodoro, vel potius Diodori ſcriptis, exſtare apud Iuſtinum Martyrem & Euſebium Pamphili pulcherrima. Nam ille celeberrimum Graecorum hiſtoricorum eum appellat: hic autem illuſtrem virum eum eſſe dicit, & de cuius doctrina omnium philologiae ſtudioſorum magna ſit opinio. Subiungitque paulo poſt, notiora Graecis eſſe Diodori, quam aliorum, ſcripta. Quae quidem ego afferens ad ornandum Diodorum elogia idem propemodum facere mihi videor, ac ſi faces ſoli ad eum illuſtrandum admoverem. Quantum enim ſolis lúmen inter ſtellas, tantum inter omnes, quotquot ad noſtra tempora pervenerunt, hiſtoricos (ſi utilitatis potius, quam voluptatis aurium, habenda ſit ratio) noſter hic Diodorus eminere dici poteſt. Ac quanto univerſus orbis civitate aut gente una eſt capacior atque amplior, tanto maior eſt ſcriptorum Diodori (ſi eorum argumentum ſpectemus) quam ullius eo-

rum, qui exſtant, hiſtoricorum amplitudo. Nam cum ex aliorum unoquoque, tanquam ex rivulo, gentis unius aut civitatis aut principis geſta hauriamus; ex hoc, tanquam uberrimo fonte, vel potius patentiſſimo flumine, omnium fere totius habitabilis orbis gentium, & particulatim quarundam etiam illuſtrium civitatum, res geſtas haurire poſſumus. At enim mihi laudare aggreſſo Diodorum id obiiciendum quiſpiam exiſtimaret, quod olim ei, qui laudare Herculem parabat, obiectum fuit, Ecquis eum accuſat? Sed aliter profecto ſe res habet. Exſtat enim eius, licet tribus tantum conſtans verbis, graviſſima tamen accuſatio, quae temporis quidem vetuſtate non nititur, nec eius ſe auctoritate tuetur; ſed accuſatoris auctoritate fortaſſe niti poſſe videbitur. Is enim fuit Lud. Vives, qui noſtro ſeculo natus, Hiſpaniae ſuae maximum decus & lumen ob doctrinam exſtitit. Eius haec leguntur (& quidem cum applauſu a quibuſdam leguntur) verba: *Diodorus Siculus ab inundatione, quae ſub Ogyge fuit rege Boeotiae, ad ſua tempora, id eſt, ad C. Caeſarem dictatorem, hiſtoriam deducit, quem Plinius neſcio qua de cauſa dicat primum apud Graecos deſiiſſe nugari; cum nihil ſit eo nugacius. Niſi forſan, quod nullum operi ſuo illecebroſum aut magnificum titulum indiderit, ſed inſcripſerit tantum Bibliothecam.* Haec Vives: nimirum nugari dicens Diodorum propter fabuloſas, quas prioribus libris tractat, antiquitates. Quaſi vero hic, dum παλαιὰν μυθολογίαν appellat, legitimam excuſationem apud lectores aequos non haberet. Equidem ſi quicunque fabuloſas antiquitates literis mandaverunt, talem criminationem a poſteris formidaſſent, quali Vives onerat Diodo-

rum, quidnam ad intelligendas ſaltem poëtarum fabulas relictum nobis adiumenti fuiſſet? Adde, quod huiuſmodi ἀρχαιολογίαι, licet fabuloſae vocentur, non uſquequaque tamen fabuloſae ſunt; (earum autem bonam partem, quae a poëtis manarunt, excipio) ſed penitus in eas introſpiciendo, quandam veritatis velut ſcintillam ſaepenumero inter denſas mendaciorum tenebras invenire poſſumus. Exempla ſunt in promtu. Etenim quam fabuloſa & futilia putamus ethnicis viſa fuiſſe, quae de Moſe cum alii, tum Hecataeus & Alexander Polyiſtor memoriae prodiderunt? Atqui bonam eorum partem, quae de ſe ipſo Moſes ſcripſit, in illis habemus: adeo ut non hiſtoriam illam finxiſſe, ſed tantummodo hiſtoriae illi affinxiſſe multa, dici poſſint. Quid aliud, quam delirantium ſomnia, eſſe exiſtimarunt ethnici fere omnes, quae Beroſus, quae Hieronymus Aegyptius, quae Mnaſeas, quae Abydenus de diluvio ſcripta reliquerunt? Quotuſquiſque hiſtoricae Abydeni narrationi de turri ea, quam vulgus turrim Babel a loci nomine appellat, plus fidei quam anilibus fabulis tribuendum putavit? Atqui ex ſacris literis aperte cognoſcimus ita fabuloſa eſſe illa, ut veritatis lumen, inter denſas mendaciorum velut nubes, quoſdam tenues radios adhuc micantes habeat. Etenim ſi quis ſcripta eorum de diluvio & de illa turri cum ſcriptis Moſis conferat, falſa quidem in illorum ſcriptis eſſe quamplurima, ſi particulatim examinentur, ſed in ſummis (ut ita loquar) hiſtoriae capitibus convenire illis cum Moſe, comperiet. Iam vero, quod in his accidit priſci ſeculi hiſtoriis, cur non & in aliis accidere potuiſſe ſuſpicabimur? Tantum abeſt igitur, ut

eos, qui nobis ἀρχαιολογίας tradunt, mendacii protinus habere ſuſpectos debeamus, ut ne poëtarum quidem fabulas (de multis, non de omnibus loquor) in totum fabulas eſſe dicere ſatis prudenter poſſimus. Cuius etiam rei teſtimonium in modo dictis hiſtoriis locupletiſſimum certiſſimumque habemus. Nam quid de diluvio, quid de turri illa Moſes ſcriptum reliquerit, omnes ad unum ſcimus: certe, ſi non vano Chriſtianorum titulo gloriamur, ſcire debemus. Supereſt igitur, quid ethnici antiquitatum ſcriptores, quid poëtae iiſdem de rebus tradiderint poſteris, intelligere. Primum quod attinet ad diluvium, ſervatum quidem fuiſſe virum quendam, uno conſenſu omnes tradunt, ſed nomen eius apud unum tantum (eorum quos legerim) invenitur, rerum Aſſyriacarum ſcriptorem Abydenum. Qui tamen pro Noë Siſithrum neſcio quem, pro Iehova Saturnum nobis memorat. Quid poëtae? nonne & ipſi diluvii meminerunt, & Deucalione ac Pyrrha lapidumque in orbe iactatione, ceu involucris, maxime memorabilem hiſtoriam nobis texerunt? Hactenus de diluvio. Ad illam turrim οὐρανομήκη veniamus, & quid de illa idem Abydenus ſcripſerit audiamus. *Illi*, inquit, *quos primos terra edidit homines, ob robuſta vaſtaque corpora elati, cum Diis ſuperiores evadere in animo haberent, immenſae altitudinis turrim aedificare coeperunt. Cumque iam parum abeſſet, quin ad coelum uſque pertingeret, venti Diis opitulantes machinam illam diſturbarunt, atque huius ruinae reliquias Babylona eſſe quidam crediderunt. Ceterum cum ad eum uſque diem uno eodemque ſermone uſi omnes fuiſſent, Deorum numine factum eſt, ut alii aliam linguam haberent. Poſtea autem Saturno cum Titanibus ortum*

eſt bellum. Haec ille. Alius autem, gigantes, qui ex diluvio evaſerant, Babylonem condidiſſe ſcribit, ubi cum illam hiſtoriis celebratam turrim exſtruxiſſent, eamque divina potentia ſubruiſſet, per univerſam terram eos diſpergi coepiſſe. Quo ſi quis ea retulerit, quae de gigantibus poëtae cecinerunt, (quis autem eo referenda non videt?) poſtquam legerit, gigantes regnum coeleſte affectaſſe, monteſque montibus ſuperpoſuiſſe, ſcalam qua conſcendi coelum poſſet molientes, an a veriſſima hiſtoria fabulam hanc manaſſe, vel potius, fabulam hanc veritatis veluti fundamento ſuperſtructam eſſe, inficiari audebit? At ſi per ſe hanc ſpectaris, quid mendacius, quid vanius, quid nugacius fingi aut cogitari poteſt? Haec (& alia, quorum conſideratio virum iudicio praeditum decebat) ſi conſideraſſet Vives, non tam aperte, dum Diodorum nugacem appellat, nugatus ipſemet fuiſſet.

C. G. HEYNE

DE FONTIBUS ET AUCTORIBUS

HISTORIARUM DIODORI

ET DE EIUS AUCTORITATE

EX AUCTORUM, QUOS SEQUITUR, FIDE AESTIMANDA

COMMENTATIO I

AD LIBROS TRES PRIORES.

Ad Diodori fidem & auctoritatem quam multa in antiquis hiſtoriis, in populorum religionibus & inſtitutis, omninoque in doctiore antiquitate referantur, quae vel aliunde comperta non ſint, vel ab aliis minus diſerte tradita, ſatis meminiſtis, AA. Nec minus forte meminiſtis, laudari eum plerumque ſic, ut rerum narratarum fides & auctoritas penes ipſum eſſe putetur; ſolere illum cum Herodoto, Thucydide, Xenophonte, ſimilibuſque ſcriptoribus nominari ac comparari, dubitarique interdum, iiſne an illi maior fides ſit habenda; denique totum eius opus hiſtoricum, etſi tam variis ac diverſis partibus compoſitum, una laude ac reprehenſione ſeu commendari ſeu elevari; non aliter ac ſi ea, quae ex innumeris ſcriptoribus hauſta tradidit, de ſuo attulerit, fidemque adeo narratarum rerum eodem modo praeſtet ac Thucydides aut Xenophon. Quae res non ſatis intellecta cum me ipſum olim in fraudem induxerit, cumque in docta antiquitate multa iudicia pepererit prava & iniqua: rem nec inuti-

lem nec cognitu iniucundam ſuſcepiſſe videor, ſi in ſcriptoris, qui tot rerum geſtarum, tot inſtitutorum ac religionum memoriam ſervavit, omninoque magnam antiquitatis partem unicus ſoſpitator ab interitu vindicavit, ſi *in eius fidem & auctoritatem* paulo diligentius inquiram.

Omnino Diodorus, cum hiſtoriam catholicam condere omniumque temporum res uno opere comprehendere vellet, rerum narratarum auctor haberi nequit, niſi quatenus eas ab aliis traditas accepit; fides & auctoritas eorum, quae narrat, redit ad eos, unde ſua hauſit. Quae a Diodoro poſtulari iure poterant, haec ſunt: ut in ſcriptoribus conquirendis diligentiam, in dilectu eorum, quos ſequeretur, & rerum quas exponeret, iudicium, conſilium & fidem praeſtaret; expoſitarum vero rerum auctor ipſe haberi nequit, niſi quatenus de ſuis copiis aliquid interpoſuit, quod haud raro factum; in reliquis videndum eſt, quam auctoritatem ac fidem ipſe ſecutus ſit; de qua ubi nihil indagari poterit, iudicium noſtrum de re a Diodoro tradita ita circumſcribi ac finiri neceſſe erit: » tradi hoc vel illud a Diodoro ex fide neſcio cuius, iudicio tamen eius & auctoritate ſuffragante. « Diverſum ab hoc iudicium eſt, quod quis de univerſo hoc hiſtoriae catholicae genere, de operis deſcriptione, de rerum narratarum dilectu faciat: nec vero hoc ad meae aetatis genium faciam, nec ad conſilia ſcribendi diverſa ab iis, quae Diodori erant, & quae illa aetate eſſe poterant; itaque non diſcedam in eorum partes, qui pragmaticam hiſtoriam a Diodoro ſcriptam vellent, quos ſane non meminiſſe apparet, in hiſtoria catholica partes quidem, non vero univerſum corpus, materiem & argumentum ei conſilio idoneum habere; nec philoſophicam hiſtoriam requiram, hoc eſt, cum philoſophica ſubtilitate ſuper hominum ingeniis, moribus, inſtitutis, religionibus, harumque rerum cauſis inſtitutam diſputationem; quam equidem & ipſe in votis habebo, quoties, copiis hiſtoricis ſatis locupletibus in aliquo genere ſuppetentibus, materies & locus illi erit; enimvero cum tot ſint hiſtoriarum partes, in quibus ſuper indole & cauſis rerum diſputandi materies iuſta deficit, ad ſomnia & vanas hariolationes inaneque acumen, id quod ipſa res docet, eiuſmodi conſilia redire neceſſe eſt; neque iniri conſilium hoc & ſuſcipi rite poteſt, niſi ante omnia rerum notatio accurata &

narratio facta fuerit. In Diodoro itaque non laudandum fuiſſet, ſed reprehendendum adeo ſimile conſilium, quandoquidem ipſe primus erat auctor, qui omnium aetatum hiſtorias uno opere complecteretur, idque adeo unum ſpectandum haberet, non ut ſuper his ſubtiliter diſputaret & argutaretur, verum ut iuſto delectu facto graviorum rerum nullam omitteret, ea autem, quae afferret, iuſto ordine diſponeret & oratione ſimplici ac perſpicua rerumque argumentis accommodata exponeret. Quanto cum ſtudio, qua cura & induſtria, ille in hoc conſilio exſequendo verſatus ſit, hoc ſaltem docere poteſt, quod XXX annos in opere parando ſe conſumſiſſe, & multis cum periculis & aerumnis magnam Aſiae & Europae partem obiiſſe profitetur, ut pleraque loca oculis ipſe cognoſceret; quo ſibi contigiſſe ait, ut multa perperam a ſuperioribus tradita, inprimis ex locorum inſcitia, ipſe emendaret; magnas vero ad haec perficienda opportunitates partim imperii Romani per tot terras ac provincias propagati magnitudinem, partim commorationem Romae & ſermonis Romani peritiam ſubminiſtraſſe. (lib. I, 4.)

Ex his intelligitur, in Diodori hiſtoriis *ea, quae ipſe de ſuo interpoſuit, tanquam viſu audituque cognita, ſedulo diſcernenda eſſe ab aliis, quae ex aliorum auctorum fide tradit.* In illo vero genere ipſe auctor habendus eſt gravis & ſummae fidei, in iis utique quae viſu cognovit; nec dum enim quidquam huius generis ab eo traditum deprehendi, quod falſum fictumve haberi poſſit. Spectant autem ea fere ad locorum faciem & naturam, populorum ingenia, mores, inſtituta, opera, monumenta. Si qua ſunt, quae in his perperam perhibita occurrant, ex naturalis hiſtoriae inſcitia aut ex falſa opinione, qua illa aetas imbuta erat, non a ſcriptoris ſeu levitate ſeu fraude ſunt repetenda. Ad ea autem, quae ex aliorum auctorum fide erant tradenda, quantas hiſtoriae ſcribendae copias conquiſiverit, quantumque in iis excutiendis, digerendis & diſponendis ſtudium adhibuerit, etſi vel illud arguat, quod XXX annorum ſpatium ei rei impendit, multo vero magis ipſa res docet: eſſe enim ea, quae a Diodoro perſcripta ſunt, ex pluribus auctoribus depromta & certo aliquo iudicio ſelecta, fidem facit & auctorum quos laudat recenſus, & narrationis in multis rebus diſcrepantia ab ſcriptoribus illis qui ſervati ſunt, quoſque adeo cum eo comparare

in promtu eſt. *Dilectus* autem, quem fecit, *fundamentum ac principium* quale fuerit, ante omnia exponendum eſt: hoc enim niſi recte teneatur, nullum *verum de Diodoro iudicium* inſtitui poteſt; an vero ipſe ſagaciter ſatis illud aſſecutus ſim, iudicium eſto penes vos, AA.

Scilicet reſpuere ſe meram delectationem, tot aliis Graecis ſcriptoribus propoſitam, pluribus locis profitetur Diodorus: *ſequi ſe in omnibus utilitatem*, & propter hoc ipſum praeferre hiſtorias plurium aetatum ac populorum res complexas, quoniam paratior inde & uberior utilitas exſpectari poſſit, quae ad vitam cum publicam tum privatam ſalubribus conſiliis exemplisque inſtruendam vim habeat. (lib. I, c. 3 & 4.) Eandem profeſſionem in multis locis repetit; & ex ea iudicium faciemus in nonnullis rebus, quae diverſis modis tradi ſolent, quas ipſe partes amplexus, quas rationes ſecutus ſit, in aliis vero, quid illud fuerit quod eum a recto rerum indicio tranſverſum egerit. Etenim cum in ſcriptorum, quos ſequeretur, tum in rerum narratarum delectu, narrationiſque inſtituendae modo ac ratione, *utilitatem ſpectavit*, adeoque reliquis *praetulit ea, quae ad vitam regendam animoſque bonis monitis conſiliiſque vitaeque praeceptis imbuendos uſum haberent.* Praeclarum conſilium, quis neget? modo ne *ſumma ac princeps hiſtoriae ſcribendae lex* intercedat, *ut vera & explorata ſcribantur.* Multa autem a multis *ad utilitatem ficta & exornata* ſunt: neque omnes hiſtoriae partes ita ſunt comparatae, ut multa in iis ſalubriter moneri praecipique poſſint, quandoquidem multorum eventuum ſumma tantum ad nos pervenit; magna hiſtoriarum pars notitiis rerum, quae contigerunt, ieiunis per faſtos & annales ad memoriam propagatis abſolvitur; nec raro id, quod fama acceptum aut ex literarum naufragio ſervatum eſt, ſeu ad nudas temporum, locorum, hominumque notationes, ſeu ad ſubtiles literarias & criticas quaeſtiones redit. Quae ſi quis dixerit ſive a ſcriptore ſive ab hiſtoriarum ſtudioſo eſſe relinquenda & ſeponenda, nolo repugnare; ſed ſi tractare ſuſceperis, eaque ad pragmaticam rationem ornare, mentiri te & falſa tradere vel invitum neceſſe eſt. Hoc illud eſt, quod toties peccari videas a ſcriptoribus recentioribus, partim bellulis illis, qui nullo iudicio adhibito omnia ornare allaborant, etſi ornatum vel maxime reſpuentia, partim acuminis & iudicii famam aucupantibus; itaque

ſit, ut, dum hiſtorias ſcribunt, fabulas Romanenſes narrent, reſque tradant, *quales forte evenire potuiſſent*, inprimis *ſi noſtro ſeculo evenirent*, num vero ita evenerint, uti affirmare nemo auſit, ita tutius negare poſſis. Diodorus igitur, quatenus in iis temporibus verſatur, in quibus rerum geſtarum plenior & inſtructior eſt narratio ſcriptorumque pragmaticorum copia, praeclare illo conſilio, utilia tradendi, utitur: in aliis eum hoc conſilio abreptum non minus a vero aberraſſe videbimus, quam eos, quos obiurgat, quod delectationem unice in ſcribendo propoſitam habuerint. Omnino quaeſtio de ratione hiſtorias ſcribendi inter eas eſt, in quibus ſuum quiſque genium & ſui animi impetum aut libidinem ſequi mavult, quam ſubtile animi indicium adhibere, quo rerum diſcrepans natura, generum diverſitas, id quod cuique proprium eſt, quae cuiuſque utilitas, diſcernatur & definiatur. Primaria res, quam in hiſtoriis requiro, non eſt ut intelligam, quid de rebus iudicandum ſit, aut quid ſcriptor de aliqua re ſenſerit ac iudicaverit, ſed omnium *primum* eſt, *ut cognoſcam qualis res fuerit.* Quod ſi res ita narratur, ut mihi ipſi de ea iudicium facere in proclivi ſit, malo hoc, quam ut ſcriptor iudicium ſuum legenti obtrudat, eoque ipſo meum iudicium interdum forte regat, forte tamen in aliis inflectat & corrumpat. Qui itaque res geſtas ſimpliciter quales evenerint accurate ac diſerte enarrat, is ſcriptoris munere optime fungi putandus; praeſtabit ſane haud dubie ceteris hiſtoriis narratio ea, cuius auctor res geſtas, eoſque qui eas geſſere, & loca ac tempora, penitius aliis novit, & iudicio perſpicaci & incorrupto in iis notandis ac perſcribendis utitur. Diverſa ratio & ſecta eſt eorum, qui plures ſcriptores inter ſe comparando maius hiſtoriarum corpus conformant: aliud iudicii acumen, alia prudentia requiritur in his. Secernenda eſt ea laus ſcriptoris, quae ab eius oratione & arte proficiſcitur; alia, quae a philoſophico acumine, aut a prudentia politica. Omnino eiuſdem ſcriptoris & operis partes ſunt diverſae: philoſophari & argutari licet tum, cum in praecipuo aliquo argumenti capite ac loco exſtantiore in diſputationes exſpatiari licet, forte in iis operis partibus, in quibus de rerum ſumma, de populorum legibus & inſtitutis, & quae alia ſunt, traditur.

Hoc igitur *primum* eſt, quod in Diodoro reprehendi

iure poſſe arbitror, *quod optimo conſilio* in ſcribenda hiſtoria, cum utilitatem ad vitam redundantem unice ſectandam eſſe putaverit, *prave uſus eſt. Alterum*, quod vitio dandum eſſe videri debet, eſt, *quod*, cum hiſtoriam ſuam per tot temporum decurſum detextam ex variis auctoribus contexuerit, *nec tamen ille recenſum aut conſpectum auctorum, quos ſeu univerſe ſeu in ſingulis partibus ſecutus ſit, appoſuit:* quod ſi factum eſſet, in multis de narratarum rerum fide, deque Diodori ipſius diligentia & acumine accuratius iudicium facere liceret; iucundum eſſet, comparatione cum eorum inter ſe, tum cum aliis ſcriptoribus facta, aſſequi & indagare multarum rerum & opinionum origines ac fontes, principia & cauſas, primoſque auctores, falſo traditorum ac figmentorum primordia & incrementa, eruere, & ſic porro. In hoc tamen ſunt, quae ad excuſationem Diodori commemorari poſſunt. Omnino ea non Diodori ſed totius vetuſtatis reprehenſio eſt, quod in auctoritatibus, quas ſequebantur, apponendis tam parci ac parum diligentes ſunt ſcriptores: nec niſi ſtudii hiſtorici & critici diplomaticique expolitione meliore intellectum eſt, nullam narrationem probari poſſe, niſi de eius veritate conſtet, eam autem non ex eius, qui ab aliis narrata reponat, ſed ex primi auctoris fide & gravitate eſſe diiudicandam: itaque in iis omnibus, de quibus aliunde non conſtat, auctoritatem authenticam ne quis apponere refugiat, prima ſcriptoris lex eſto. Interea Diodorus in nonnullis operis partibus auctores, quos ante oculos habuit, adſcripſit; complurium haud dubie nomina in libris deperditis adſcripta fuere; uti vel ex fragmentis intelligere licet (v. c. lib. VI, n. 1;) in ceteris ſagacitati noſtrae relictum eſt, ut inveſtigemus & indagemus, quos maxime ille ſcriptores in opere ſuo catholicae hiſtoriae condendo ſecutus ſit, ſaltem, quo ingenio, qua lege, qua fide illi res narratas perſcripſerint.

Habuit autem Diodorus primo magnum numerum ſcriptorum, qui & ipſi hiſtorias catholicas condere velle videri volebant; eos itaque legiſſe eum & exſcripſiſſe quidni credamus? pleroſque ait ipſe » unius tantum urbis aut gentis bella integra recitare, paucos a priſcis temporibus exorſos res pluribus gentibus communes ad ſuam uſque aetatem literis mandaſſe: eorum tamen alios tempora ſingulis ſua non adiunxiſſe, alios res barbarorum tranſiliiſſe; por-

ro alios priſcas fabulas propter tractationis difficultatem reſpuiſſe, alios mortis interventu operam non abſolviſſe; omnino neminem eorum, qui haec aggreſſi ſint, infra Macedonum tempora hiſtoriam deduxiſſe. « Hi enim, inquit, » ad Philippi, illi ad Alexandri res geſtas, iſti ad ſucceſſores aut poſteros deductam hiſtoriae telam abruperunt, res autem ab iis temporibus geſtas, & numero & magnitudine haud inferiores, nemo ſcriptionis unius ambitu complexus eſt, ſed ſunt eae per plura volumina, cum ſumma temporum, rerum & ſcriptorum diverſitate diſperſae, adeoque cognitu difficillimae. « (lib. I, 3.) Quid igitur noſter? *ſingulorum tractationibus ad examen revocatis hiſtoriam contexere decrevit, quae lectoribus & plurimum conduceret, & moleſtiae exhiberet minimum.*

Quod ſi Diodorus non tam generatim hos auctores memoraſſet; etſi hoc modeſtia adductus videtur feciſſe, ne alios reprehendere in operis ſui principio videri poſſet; ſed potius ſingulos nominaſſet: rem utique nobis feciſſet gratiſſimam. Nunc coniectando quantum aſſequi licet, adſcribam eorum nomina, quos omnino in hiſtoria ſcribenda ſecutus eſſe videtur: quos in ſingulis partibus auctores habuerit, cum ad eas perventum erit, annotabo.

In geographia quidem Aſiae & Europae *Agatharchidem Cnidium* & *Artemidorum* ipſe aliquoties laudat, in temporum notatione *Apollodorum* Athenienſem (I, 5,) graves utique & intelligentes auctores. Ex iis, qui antiquiſſimas res perſcripſere, *Cadmum*, *Hecataeum*, *Hellanicum & id genus alios priſcos* ſcriptores ipſe nominatim memorat (de Nilo, I, 37.) *Hellanicum* in antiquiſſimis rebus Graeciae adhibuerat, ut in Munychiae origine, verbis eius appoſitis (Fr. lib. VI, n. 7;) nec tamen in eo ac ſimilibus praecipuam aliquam operae partem poſuiſſe videtur; ſi recte iudico, non ipſos fontes ille adiit, ſed exſcripſit potius eos, qui ex iſtis hiſtorias ſuas compoſuerant, inprimis *Anaximenem Lampſacenum*, quem ipſe narrat (XV, 89,) a Deorum ortu & humani generis primordiis exorſum ad Epaminondae mortem & pugnam ad Mantineam hiſtoriam deduxiſſe; tum *Dionyſium Mileſium*, quem in nonnullis diſerte profitetur auctorem, ut de Amazonibus (III, 52,) & de Baccho (65.) Sed de his infra accuratius erit tradendum. *Herodotum* aliquoties laudat nomine; eum curioſe multa reſciviſſe, ſed repugnantes ſententias de Ni-

lo eſſe amplexum cenſet (I, 37, 38.) *Ephorum* habuit auctorem in temporibus poſt Heraclidarum deſcenſum in Peloponneſum, a quo ille hiſtoriae initium fecerat; in aliis *Calliſthenem* & *Theopompum*, qui veteres mythos omiſerant (IV pr.) *Evemerum* libro ſexto exſcripſerat (v. Fragm. p. 633.) Sed eundum eſt ad ſingula; quod niſi fecerimus, nihil ſatis recte tradi poſſe video.

Cum res a ſumma origine repetere vellet Diodorus, in fronte libri mythos perſequi inſtituit. Nihil in hoc, quod recte reprehendas. Perperam enim multi, ſi fabulas audiunt, intelligunt eſſe commentitias & fictas. Immo vero mythi ſeu fabulae antiquiſſimam rerum memoriam conſtituunt, ſermone antiquorum hominum, & carminum ſuavitate redditam: cumque ii mythi non unius generis & naturae ſint; eos quidem, qui ultimam generis originem adumbrabant, recte ab hiſtoricis, ubi de originibus populorum agendum eſſet, repeti, tanquam narrationes a maioribus acceptas, nemo neget; at ſunt alia, quae reprehendi forte poſſint: primum quod ea, quae de unius populi origine narrata acceperant, uti de primis Graeciae incunabulis a vita ſilveſtri ac ferina repetendis, ad communem generis humani originem referre ſolebant; tum quod eos quoque mythos, qui ab antiquorum hominum opinionibus de rerum origine ſermone priſco & carmine expoſitis profecti erant, hiſtoriis ſuis praefigebant; quo factum eſt, ut hiſtorici, qui populorum origines ultimas repetere vellent, fabulas omnis generis in fronte hiſtoriarum apponerent, inque his eas, quae antiquiſſimorum hominum phyſiologiam & hiſtoriam naturalem continerent; quemadmodum noſtri viri docti hiſtoriam catholicam expoſituri ab rerum primordiis, interdum quoque a philoſophorum opinionibus ſuper mundi origine, initium inſtitutionis facere ſolent [1]. Recepit itaque & has fabulas Diodorus in hiſtoriarum corpus, in eo ſaltem laudandus, quod non magnam ſcriptionis partem in iis conſumſit. Nam admodum breviter (I, 6, 7, 8,) ea, quae a phyſiologis tradita eſſent, repetit; tum viri prudentis iudicium & in hoc ſe prodit, quod fabulis coſmogonicis placita philoſophorum Graecorum ſubſtituit. Anaxagorea enim ea eſſe, quae commemoravit, etſi auctore non appoſito, facile aſſequi licet; quamvis recte mireris, mentis divinae

1 Conf. Not. in Apollodor. P. III, inde a pr.

rerum formas fingentis mentionem eum facere nullam. Nec vero ex ipſo Anaxagora haec repetita eſſe ſuſpicor, ſed ex aliquo ſcriptore, qui iam ante Diodorum haec eadem in hiſtoriarum ordinem redegerat.

Tres libros hiſtoriis barbarorum populorum ſe deſtinare iam ab initio profeſſus Diodorus neſcio an *Ephorum* in hoc auctorem habuerit; eum ſaltem barbaras gentes Graecis antiquiores exiſtimaſſe & narrat & improbat; ſe de iis narrata praemittere, ut deinceps Graecorum hiſtorias perſequentem nihil ad aliena avocet (c. 9.)

SECTIO I

AD LIB. I

AEGYPTIACA COMPLEXUM.

Interponitur indicium de omni hiſtoria Aegyptiaca, eius fontibus & cauſis & de modo ac ratione eam interpretandi.

INDE de *Aegyptiis* primo omnium loco agere inſtituit: de quibus plerumque ita ſtatui video, ut eodem modo, quo Herodotus, credatur Diodorus a ſacerdotibus & interpretibus Aegyptiis accepta in ſuas hiſtorias retuliſſe; qua quidem re nihil magis perturbavit ſanum de rebus Aegyptiacis iudicium, niſi forte altera illa opinio, qua modo omnes veteris Aegypti hiſtorias, quarum penes ipſos Aegyptios eſſe potuit memoria, ab his duobus auctoribus ex aſſe repraeſentatas eſſe autumarunt, modo duos hos ſolos rerum Aegyptiarum & unicos, quos Graecae literae habuere, fuiſſe fontes. Hinc manarunt iudicia illa partim vana partim falſa modo ad deprimendam &

elevandam Aegyptiorum famam, modo ad extollenda immodicis laudibus populi ingenia & literas. Ante omnia enim teneri debebantur haec: primum, eorum, quae de Aegyptiis olim hiſtoriarum fide tradita erant, partem nos habere exiguam; nullum ex eo tempore, quo Aegyptii ſuis legibus, religionibus inſtitutiſque utebantur, auctorem ac librum; omnia accepta eſſe fama ſeriore, & eorum, qui antiqua mirarentur & cupide amplificarent, iudicio inflexa; iudicium tamen de multis fieri poſſe ſanius & rectius ex reliquiis antiquitatis Aegyptiacae cum hiſtoriis comparatis. Ante Herodotum adierat Aegyptum *Hecataeus* Mileſius, ipſo Herodoto teſte, (II, 143,) dubitarique vix poteſt, quin is in ſuis hiſtoriis (forte in *περιηγήσει* Ἀσίας) de Aegypto egerit. Porro *Hippys Rheginus*, qui Darii & Xerxis tempore vixit, praeter res Siculas ediderat Chronica, origines (*κτίσιν*) Italiae, Argolica; eundem quoque *Aegyptiaca* attigiſſe, ex eo colligo, quod de Aegyptiorum antiquitate ſumma, & de natura Nili ad foecunditatem egregie comparata, tradiderat, quodque Aegyptios dixerat fuiſſe primos, *qui temperaturam aëris perſpexiſſent* [1]: quod quale fuerit, ex ipſo Diodoro nos aſſequi poſſe puto, (I, 10,) tradidiſſe eum inter primos, Aegyptum ob benignam coeli temperiem omnium optime terrarum ad generandas res fuiſſe idoneam, iure itaque animantium origines ad eam referri [2].

Inter eos, qui poſt Herodotum vixere, invenio *Philiſtum* Syracuſanum, nobiliſſimum ſcriptorem, qui primus ex artis praeceptis hiſtoriam condidiſſe fertur, Dionyſiorum aetate; ſcripſerat is praeter res Siculas Aegyptiaca XII libris, etiam librum de Syria & Libya: quae abſque notitiis in Suida ſervatis prorſus ignoraremus; ſecundum hunc, *Theopompum*, qui in Hellenicis ſeu in Philippicis hiſtoriarum Aegyptiarum memorationem fecerat; nam in libro tertio de Seſoſtride egerat [3]; eundem de Nilo diſpu-

1 Schol. Apollon. IV, 262, in praeclaro Scholio: Ἵππυς δὲ τοὺς Αἰγυπτίους ἀρχαιοτάτους γεγονέναι λέγει· καὶ πρώτους στοχάσασθαι τῆς τοῦ ἀέρος κράσεως· καὶ γονιμώτατον εἶναι τὸ τοῦ Νείλου ὕδωρ.

2 Diod. I, 10: φασὶ τοίνυν Αἰγύπτιοι, κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων γένεσιν, πρώτους ἀνθρώπους γενέσθαι κατὰ τὴν Αἴγυπτον, διά τε τὴν εὐκρασίαν τῆς χώρας καὶ διὰ τὴν φύσιν τοῦ Νείλου. τοῦτον γὰρ πολύγονον ὄντα καὶ τὰς τροφὰς αὐτοφυεῖς παρεχόμενον ῥαδίως ἐκτρέφειν τὰ ζωογονηθέντα &c.

3 Schol. Apollon. IV, 272.

tantem laudat Diodorus, (I, 37,) item (eod. l. & 39,) *Ephorum*, quos tamen locorum ignoratione ait peccaſſe; hunc quidem libro XI hiſtoriarum in hanc narrationem incidiſſe, colligo e Theone Sophiſta 1. Nilum quoque memoraverant & fabuloſa de eo tradiderant *Hellanicus*, *Cadmus*, *Hecataeus* (ibid.); ut taceam phyſicos, *Anaxagoram*, *Democritum*, *Ariſtonem*, alios, qui de cauſis incrementorum Nili varia erant hariolati. (v. Schol. Apollon. IV, 279.) *Dicaearchus de inſtitutis Graeciae* (ἐν τῷ περὶ τῆς Ἑλλάδος βίου) etiam de Seſoſtride egerat, temporibus quoque diligenter adſcriptis (ibid. ad v. 272, 276.) In primis vero qui *periplos* ſcripſerunt, de Aegypto plura accuratius inveſtigaſſe videri debent; in his *Eudoxus Cnidius*, Platoni aetate ſuppar, γῆς περίοδον ediderat, in qua de Aegypto narratum fuiſſe e Plutarcho diſcas (T. II, pag. 353 & 359, c.) *Agatharchides* autem Cnidius geographicum opus περὶ Ἀσίας καὶ Εὐρώπης condiderat, e quo veriorem de Nili incrementorum cauſis opinionem recitat Diodorus (I, 41;) eundem cum *Artemidoro*, Geographiae auctore, veriora tradidiſſe de Aegypto & Aethiopia, cum alii voluptatis cauſa ſua finxiſſent, teſtatur Diodorus (III, 11.) Alios in Indice Stephani Byz. eruere in promtu eſt.

Succeſſere tempora, quibus victa ab Alexandro Aegyptus mox in Ptolemaeorum poteſtatem ceſſit. Fuit in his primo loco *Hecataeus Abderita*, Ptolemaei Lagi comes, qui praeter alia, uti de Iudaeis, etiam *Aegyptiacas hiſtorias* reliquerat. Meminit eius Diodorus ipſe, partim in iis, quae de Nilo diſputantur, (I, 37,) partim eo loco, (I, 46 extr.) quo ſepulcra regum Thebanorum memoraſſe ait e Graecis multos, qui Ptolemaei Lagi aetate Thebas profecti hiſtorias Aegyptiacas condiderunt; in quibus, inquit, Hecataeus eſt. Sub Philadelpho *Manetho* floruit, de quo quidem, quae tu ſenſeris, Collega coniunctiſſime, *Meiners*, nec ignoro, nec reprehendo; nolim tamen ex ſpuria praefatione & ex locis truncatis & interpolatis ab iis, qui cauſae conſiliove ſuo inſervientia inde eruere volebant, necdum ad ſaniorem criticam exactis, apud Syncellum, eum nimis cupide damnare, & mendacis ſcriptoris ei notam inurere. *Lynceum Samium*, Duridis hiſtorici, qui Philadelphi tempore vixit, fratrem, ἐν Αἰγυπτιακοῖς laudatum videas apud Athenaeum (IV, 13, pag. 150 B.) Fuere

1 Progymnaſm. c. 2, p. 16.

praeterea Αἰγυπτιακὰ *Alexandri Polyhiſtoris*, qui Sullae aetate vixit, aliquoties Stephano Byz. laudata. Hi ſcriptores omnes anteverterunt Diodorum aetate; nam nolo commemorare eos, qui aequales fere eius fuere, *Chaeremonem*, vanum hominem, qui Aelium Gallum in Aegyptum ſecutus erat, cuius hiſtoria Aegyptiaca exſtabat, nec *Ptolemaeum Mendeſium*, qui regum Aegypti hiſtorias tribus libris complexus erat; cui ſucceſſit *Apio Grammaticus*, ex Ioſepho notus, qui Aegyptiaca quinque libris expoſuerat [1].

1 Multo minus in hunc cenſum vocabo ſcriptores incertae aetatis: Aſclepiadem, cuius Aegyptiacorum librum LX, numero parum probabili, in Athenaeo laudatum videas lib. III, p. 83 C. de aureis malis; neſcio an eundem cum Aſclepiade Mendeſio, cuius Θεολογούμενα Sueton. Aug. 94 excitat. Alter Aſclepiades ex Procli ſchola prodierat ſuperſtitionibus Aegyptiacis, quales illa aetate erant, imbutus, & Αἰγυπτίων Ὠγυγίων ſcriptor, quem cum Heraiſco comparatum videas e Damaſcio ap. Phot. & Suid. in Ἡραΐσκος. *Coſmen*, ap. Schol. Apollon. IV, 262, memoratum ſuper antiquitate gentis Aegyptiacae: Κόσμης ἐν πρώτῳ Αἰγυπτιακῶν. *Leo* quoque Aegyptiacas res perſcripſerat, ſec. Hygin. Aſtron. II, 20, Tertull. de Cor. Mil. 7, & alios: v. Worth. ad Tatian. adv. Gr. c. 44, p. 96, qui etiam ex Arnobio conficit, Leonem Pellaeum fuiſſe. Videtur eſſe idem, quem Schol. Apollon. IV, 262, laudat ἐν πρώτῳ τῶν πρὸς τὴν μητέρα. Ex eodem Hygino intelligitur, eum fabulas ad hiſtoricam veritatem redigere voluiſſe, verborum tamen rerumque luſu adhibito, adeoque a Tatiano, Arnobio, Tertulliano inter eos refertur, qui Gentilium fabulas de Diis ipſi exploſerint. Leonem Byzant. qui Philippi aetate vixit, vix pro eodem habebo cum Voſſ. de H. Gr. *Ariſtagorae* Αἰγυπτιακὰ meminit Stephanus Byzant. *Evagoras* Lindius condidit hiſtoriam regna Aegyptiorum complexam, teſte Suida, & *Lyceas* Naucratita Αἰγυπτιακὰ, ut cognoſcimus ex Athen. XIV, 1, p. 616 D. Alios ſcriptores, qui Aegypti & Aegyptiorum memoriam fecerant, v. in Schol. Apollon. IV, 259, add. ſcriptt. de Nilo v. 269, cum *Caſtore*, qui de eodem egerat, & de Pyramidibus apud Plin. Ind. lib. XXXVI, de quibus egi in *Antiquar. Abhandl.* P. II, p. 112 ſq. De Babyloniorum in Aegypto ſedibus nonnulla *Cteſias* tradiderat (Diod. I, 56.) Commemoro haec maxime eo conſilio, ut, ſi fieri poſſit, animis infigam penitus illud: pauca eſſe ex antiquitate, de quibus aſſeverate ac fidenter ſatis pronuntiare liceat; deficere nos in plerisque teſtium & tabularum auctoritatem idoneam; pauca eſſe ex omni memoria, quae in hiſtorias relata fuere; multo pauciora ex iis, quae olim tradita fuere, ad nos perveniſſe; diſceptanda eſſe pleraque opinione & coniectura, quae ſupra probabilitatem aſſurgere nequit. Ipſe itaque, dum haec ſcripſi, quae mihi probabilia videntur, afferre bene memineram.

Aegre utique ferendum eſt, Diodorum non monuiſſe, quem potiſſimum auctorem in Aegyptiacis ſecutus ſit, ne illud quidem, unumne an plures. Nam ut ipſum a ſacerdotibus, quibuſcum congreſſus ſit, ea accepiſſe, quae narravit, ſtatuamus, vetant plura; primo quidem, quod ipſe ſcriptor, quantum invenire potui, nuſquam hoc profitetur; contra vero ſe ab Aegyptiis narrata repetere, ſexcenties monet; repetit autem ſic, ut ſatis appareat, eum ex maiore rerum copia utiliora delibaſſe (c. 69 extr.) Ex ipſis libris ſacris repetere ſua non potuit, quos nec legere nec interpretari potuiſſet, quoſque tum ſuperſtites non fuiſſe vel ex hoc colligas, quod tanquam de re praeteriti temporis loquitur, ubi de iis agit (εἶχον. v. c. cap. 44.) Eſt etiam in toto libro perpetuus reſpectus philoſophiae & mythologiae Graecae, maiorque eius ſcientia quam ſuperſtitionis Aegyptiacae. Fit quoque parum probabile, illa aetate, qua Aegyptum adiit, ullum ſuperfuiſſe ſacerdotem Aegyptium ſatis doctum & patriae & Graecae religionis. Etſi nolim negare, manſiſſe etiam in mediocri illa ſacrorum Aegyptiorum conditione ſacerdotum collegia, & in iis nonnullos, qui de religionibus & hiſtoriis commentarentur. Ita, niſi Tacitus hoc ad priſcum narrandi morem deflexiſſe videri debet, (Ann. II, 60,) Germanico Aegyptum peragranti *iuſſus e ſenioribus ſacerdotum patrium ſermonem interpretari, referebat* &c. Poterant vero etiam ſcriptores ex libris ſacris repetita dicere ea, quae ex ſcriptoribus hauſerant, qui ſacros libros ſequi ſe dixerant. Neque in his mentiendi libidinem ſtatuere neceſſe eſt. Hecataeum Abderitam Diodoro eſſe inſpectum, ſupra docui; potuit eum in religionibus quoque ſequi, quas ille ex ſacerdotum fide expoſuerat. (conf. Plutarch. T. II, p. 354 C. D. ſuper Amun,) Ad antiquiores ſcriptores aliquo loco provocat (c. 66,) & alio loco *ſe Herodotum & nonnullos ſcriptores* narrationum portenta tradentes deſerere velle ait (c. 69 f.) Quidquid eſt, eum ſcriptores Graecos ſecutum eſſe, qui ad Graecas religiones Aegyptiaca deflexerant, manifeſtum fit. Quod antequam diſertius exponam, pauca omnino *de fabularum Aegyptiarum origine & cauſis, & de earum interpretatione* praemittam; quibus de rebus etſi a multis viris doctis, etiam a Collega noſtro *Meiners* erudite actum eſt, literarum tamen humanitas, quam profitemur, animorumque benevolentia, intercedere non

poteſt, quo minus in argumento, in quo ultra probabilitatem procedi nequit, ſui quiſque animi iudicium exponat; ad ipſam autem literarum utilitatem, quam unice propoſitam habere videri volumus, nihil poteſt eſſe gravius, nihil ſalubrius, quam ut ii, qui a diverſis principiis profecti in diverſas ſententias diſceſſerint, de eadem re diſputata in medium proferant. Ad obtrectationem autem & invidentiam nec ipſe referre hoc ſoleo, ſi quis diverſa ab iis, quae ipſe ſtatuo, attulerit, & meo iure poſtulare videor, ut & mihi, quae ſentio, in medium proponere liceat. Ita tandem licebit aliis, forte & mihi ipſi, exactiore iudicii trutina penſitatis rebus, iudicium facere ſubtilius.

In promtu quidem eſt, Aegyptios dicere de ſacris, religionibus ac literis ſuis, abſurda & ridicula tradidiſſe; accuſare ſeu ſcriptorum ſeu ſacerdotum fraudes & mendacia. Neque is ego ſum, qui cauſam eorum agendam ſuſcipiam. Licet tamen forte agere cum iis clementius ac liberalius, ſi ſequentia recte a me ponuntur: Primo ſapientia Aegyptiorum antiquiorum eſſe potuit alia nulla, quam infantiae generis humani; opiniones adeo & placita illa complecti debuit ad noſtros ſenſus vulgaria & vel pueris obvia, phyſicas autem rationes, ut rudium hominum, vanas pleraſque & ſuperſtitioſas. Sermone porro uſi ſunt in infantia generis humani nato, & ſcriptura hieroglyphica, quae non minus incunabula illa arguit, & vel ſagaciſſimorum hominum acumen obtundit. Hoc ſermone, his hieroglyphis animi iudicia in multis deflecti, & omnis cogitandi, commentandi & eloquendi, ratio proprio aliquo ac diverſo a noſtris ſenſibus modo conſtitui debuit.

Iam ab initio itaque facile intelligi poteſt, (I) Aegyptios nobis in multis nugari videri debere, partim ſuarum opinionum vanitate, partim noſtra ignoratione eorum, quae ſignis notionibuſque a noſtro more alienis tradiderant. Si tamen vera & aequa de iis iudicare volumus, primo loco, quid ipſi ſenſerint, quidve eorum animis in quaque re obiectum aut fuerit aut eſſe potuerit, ut aſſequamur, elaborandum erit; ſin aſſequi non licuerit, ſaltem noſtrum iudicium erit inhibendum. Quae Aegyptii tanquam antiquitus tradita acceperant, monumentis antiquis erant conſignata, hieroglyphicis quidem characteribus, in quibus interpretandis conſumi ſacerdotum doctioris aevi

operam neceſſe fuit. Exarati de his libri ſacri ſeu commentarii ſacerdotum literis Aegyptiacis, in quibus acceſſere mox alia ſerioris aevi. (II) Omnis porro religio Aegyptiorum a ſacris ritibuſque ſingulis, ut ipſa rerum natura fert, proceſſit; a ſingulis familiis ac ſtirpibus ad urbes & nomos ſingulos ſacra tranſiere: in his praecipuarum nonnullarum urbium ſacra & numina, eaque adeo patria a maioribus accepta, principatum obtinuere; de quibus ſupererat forte fama aliqua & narratio cum iiſdem a patribus accepta; ſimiliter etiam ſingularum urbium ac regnorum per Aegyptum memoriae habebantur. (III) Omnia igitur haec, ut in aliis priſcis populis, ſigillatim ſparſa & de rebus ſingulis; nuſquam corpus aliquod ac ſyſtema ſeu religioſae doctrinae, ſeu hiſtoriae, ſeu philoſophiae; nam & hoc docet omnium populorum hiſtoria, a ſingulis philoſophematibus omnem ſapientiam procedere, & ſerioris aevi rem eſſe, plura corpore ac ſyſtemate complecti; nec niſi per Graecorum ſtudia notitiae hae per Aegyptum ſparſae colligi coepiſſe videntur. Secundum haec quis non intelligat, Aegyptiorum non minus quam Graecorum aliorumque populorum hiſtoriam & philoſophiam, adeoque religioſam opinionem, progreſſam eſſe *a mythis,* conceptis antiquo ſermone & charactere hieroglyphico. (IV) Succeſſu temporum collegia ſacerdotum in templis nonnullis potioribus coaluere numero & doctrina inſigniora: inque his primo loco Thebis. Omnino facto incolendi initio ab Aegypto ſuperiore, maturiora quoque ut opum & potentiae, ita etiam literarum incrementa fuere in Thebaïde; in qua monumenta quoque maiorem antiquitatem ſpirant. Quid? quod antiquiora quaeque de Aegypto narrata ad agrum Thebanum fere referenda ſunt (cf. Herod. II, 15.) Memphis, quippe ſerius exſtructa, omnia habuit ſeriora, pyramides quoque. In his, quae dixi, ſacerdotum collegiis multa ſuper hiſtoriarum ex antiquis monumentis & hieroglyphis, tum ſuper ſacrorum & rituum origine, diſputata eſſe probabile ſit, & quidem diverſis opinionum diverticulis. Ea igitur, quae ad nos pervenere de antiqua Aegypto tradita, pauca ex antiquis monumentis, pleraque ex ſacerdotum diſputationibus & interpretationibus monumentorum, diverſorum quidem temporum, & collegiorum, profecta eſſe manifeſtum ſit; quae ut in corpus redigerentur, non

niſi a Graecis interpretibus periclitatio facta eſſe videtur.

Non male nobiſcum actum dicerem, ſi modo diſputationes illas ſacerdotum antiquiorum haberemus. At horum omnium nihil ſincerum & incorruptum ad poſteritatem pervenit, ſed omnia utique per Graecam interpretationem corrupta, modo a Graecis interpretibus, modo ab Aegyptiis Graece doctis 1. Quo quidem alveo ad nos derivata tantum non omnia plurimam labem traxiſſe neceſſe eſt; (graeciſſant enim omnes, qui de Aegyptiis tradiderunt, ut nec tamen mendacii & fraudis nota iis inurenda, ſed ex ſeculi genio venia danda ſit) eaque perſcripta eo tempore, quo Aegyptii ſuis legibus & inſtitutis uti deſierant. Iam primum ipſo temporum ſucceſſu, regum imperiis ſaepe mutatis, & tandem in dominatum ſuperbiſſimum verſis, ipſa ſacra, literas, religiones, quas viciſſitudines expertas eſſe putabimus! de quibus omnibus nihil ſcitur. Tandem ad ultimam ſervitutem depreſſos cum ſervitute bonarum rerum ignorationem & foedam ſuperſtitionem Aegyptios induiſſe mirabimur? Ex hac tamen ultima aetate populum per XX fere ſecula opibus florentem aeſtimare & metiri velle aequumne eſt? Ex ultimis tamen his ſeculis fluxere ea, quae de Aegypto narrata accepimus, etiam ea, quae ex antiquioribus monumentis petita feruntur. Saeviente in Aegyptios Cambyſe vetera monumenta magnam partem erant igni ferroque everſa, vaſtata aut mutilata, ſacerdotum collegia magnam partem ſublata cum ipſis ſacris, religionibus & templis, in clarioribus utique urbibus, ut Heliopoli (v. c. Strab. XVII, p. 1158 C. qui ibidem narrat, nullos tum ſacerdotes, nulla philoſophiae & religionum ſupereſſe ſtudia). Memphi regia aedificia Strabo viſebat diruta & deſerta (pag. 1161 B.) Thebae autem primo a Cambyſe direptae & everſae, mox ex ſeditione ſolo aequatae fuerant a Ptolemaeo Lathuro (Strabo p. 1170 C. Pauſan. I, 9.) Inter haec an non priſca inſtituta, literas, divina humanaque interiiſſe

1 Inoleverat Aegyptiis adeo illa interpretatio antiquitatis ſuae ex Graecis literis, ut ſub Ptolemaeis & Romanis vix aliam ullam noſſent. Ita Germanico Aegyptum inviſenti eandem expoſitionem factam videas ap. Tacit. Ann. II, 60. Acceſſere mox innumera & incredibilia philoſophorum ſomnia, ad quae tamen priſcas Aegyptias religiones nemo puto exiget; & egit de his docte Collega amantiſſimus *Meiners*.

& ex hominum memoriis abolita fuiſſe credibile fit? quae autem in egena plebecula manſerant, ad miſeras pleraque ſuperſtitiones abiiſſe? Gratia tamen vel ſic magna habenda eſt ſcriptoribus, qui nobis aliquam ſaltem gentis huius ad omne aevum memorabilis memoriam ſervarunt.

Fontes eorum, quae de antiquitate Aegyptiaca traduntur, valde diverſos eſſe, adeoque etiam rerum narratarum auctoritates, nunc declarabo curatius. Ea quidem, quae ab eo inde tempore, quo Graeci Aegyptum adiere, geſta ſunt, ad vulgarem hiſtoriarum Graecarum ordinem redeunt. Antiquiora dixi partim ex antiquiſſimis monumentis hieroglyphis inſignitis, partim ex ſacerdotum interpretatione eſſe petita. Quae ſi ſedulo diſtinxeris, de multis iam iudicium ferri poterit & aequius & verius. Antiquiſſima igitur manifeſtum fit priſcis monumentis fuiſſe memoriae hominum tradita; de quo nemo ambiget. Monumenta & exſtitiſſe olim, & exſtare adhuc, hieroglyphis inſignita, ſatis puto conſtat [1]. Iam hieroglypha nemo interpretari poteſt, niſi is, qui cum ſignis ſignorum vim & mentem acceperit: quod niſi factum fuerit, ad coniecturam redeunt omnia, eamque incertam & lubricam. Quo tempore inter ſacerdotes Aegyptios hieroglyphorum notitia exoleverit, equidem non dicam; ſatis tamen intelligitur, literarum ductibus admodum antiquo aevo reper-

1 Non prorſus improbabile eſſe arbitror, ſi hieroglyphorum, quaé adhuc cum in obeliſcis tum in aliis monumentis, multo magis quae in hypogaeis atque in ruinis inprimis Thebaïdis ſuperſunt, corpus aliquod recte diſpoſitum haberemus, ipſa eorum comparatione multa erui & mutua forte luce colluſtrari poſſe. Uti nunc quidem Aegyptia antiquitas ſe habet, nihil ſatis diligenter curatum eſt. Ingens reliquiarum per Thebaïdem neglectus iacet cumulus; in agro Memphitico quam multa lateant abdita, docuere recentiſſimis temporibus Dux *de Chaulnes* & *Montagu*; haud contemnendum antiquitatis Aegyptiacae apparatum per Muſea & per libros ita ſparſum videas, ut difficile ſit iuſtam comparationem facere, aut in diverſiſſima temporum intervalla, ad quae referenda ſunt, ea referre. Uno verbo: ipſis fundamentis & initiis eorum, quibus hiſtoria Aegyptia ſuperſtrui poſſit, caremus, ſeu ſcripta ſeu artis opera ea eſſe malis. In ceteris habet plerumque res ſe hunc id modum: partim habemus textum, quem vulgo diceres, cuius interpretatio periit, partim commentarium, cuius textus nullus ad manum eſt; nam ἱεροὶ λόγοι hieroglyphorum, h. e. eorum, quae hieroglyphis tradita erant, expoſitionem continebant. At hieroglypha illa aut periere, aut nondum in comparationem venere.

tis, mature eam interiiſſe. Conſignata inde fuere literis nonnulla ex hieroglyphica antiquitate iam ab initio; alia coniectando & divinando aſſequi voluit ſerior aetas: omnia haec *libris ſacris* perſcripta eſſe veriſimile fit; de quibus quidnam mihi ex rerum ipſa ratione ſtatuendum eſſe videatur, nunc paucis aperiam.

Igitur non mera mentiendi libidine ſacerdotes libros ſacros fraudibus & mendaciis conſarcinaſſe ſtatuo: ſed a quo inde tempore literae erant inventae, neceſſe fuit, ea, quae exſtabant veteris aevi monumenta, hieroglyphis inſculpta, tranſcribere; quae ipſa res interpretandi ſtudium afferre debuit; rationes itaque antiqua tradendi ſubnaſci debuere variae ac diverſae, per diverſi aevi tempora, & pro diverſorum ingeniorum, diverſorumque collegiorum ſacerdotalium conſilio & opinione. Hinc tanta varietas in annis, quos adſcripſerant ſacerdotes nominibus regum ex monumentis deſcriptis, pro diverſis diverſorum computis. Quod autem intra ſacerdotum clauſtra ſe continuerunt omnia, quae ad doctam antiquitatem ſpectabant, hoc non ad calumniandam aut elevandam horum hominum fidem trahendum eſſe cenſeo. Magno humanitatis beneficio id factum, quod in nonnullis populis ordo aliquis ſacerdotum modo, modo magorum, modo Brachmanum exſtitit, qui literis ac diſciplinis vacarent; ita ſaltem earum elementa reperta & aliis tradita fuere; cum contra in iis populis, qui hoc hominum ordine carerent, barbaries & literarum ignoratio pertinaciter mentibus inſederit. Porro ſupererant, quantum intelligo, narrationes antiquae, quae ad quemnam ex priſcis regibus referendae eſſent, ambigebatur. Hinc una eademque narratio interdum ad diverſa regum nomina adſcribi paſſim coepit. Occurrebant autem in monumentis alia ad gentis antiquitatem, res geſtas, fata & facta, alia ad religiones rituſque ſpectantia. Subnaſci adeo opinionum diſſidia coepere non modo ſuper hiſtoriis, verum etiam ſuper religionibus, earumque cauſis: quae tanto maiora eſſe debuere, quo maior erat per Aegyptum religionum diverſitas. Quae ſi tenueris, unde Graecis advenis tam varia ac diſcrepantia ſeu de hiſtoriis ſeu de religionibus ex libris ſacris recitata fuerint, facile licet aſſequi. Fundus aliquis debuit eſſe pleriſque omnibus: antiqui alicuius monumenti auctoritas, ſed obſcura plerumque illa & incertae interpretationis; multo

magis obſcurata hominum, qui interpretari voluerunt, opinionibus; ita ut cum facto antiquo teneamus plerumque commenta ſeriorum hominum; adeoque antiquior hiſtoria Aegyptia comparari poſſit hactenus cum hiſtoria antiquiore Graecorum a mythis profecta; ineſt & huic aliquis fundus, aliqua ratio, ſed plerumque tam obſcurata, tam lubrica & incerta, ut de vero nihil pronuntiare liceat.

Nec tamen hoc unum librorum ſacrorum argumentum fuiſſe apparet, ut antiqua traderent; perſcribi mox coepere res proximae cuiuſque aetatis, ita ut pro annalibus Aegyptiorum iidem libri ſacri eſſent; hoc tamen non niſi ſerius factum eſſe, ipſa narrationum ratio & indoles docet. Quam diverſae auctoritatis & fidei illos annales fuiſſe credere licet! e quibus tamen ne fragmenta quidem, ſed tanquam ex paludoſis rivulis derivatas lacunas habemus. Alii libri diſputationes de rebus ſacris complexi ſunt, alii alia; ſed de his diſputare, nihil nunc attinet. Illud modo declarandum eſſe arbitror, librorum horum ſacrorum auctoritatem eſſe debuiſſe admodum diverſam; potuere enim alii habere maiorem antiquitatem [1], alii maiorem doctrinam, fidem, aliis.

Potuere quoque inter ſacerdotes haberi, quae fama vetere eſſent accepta (*alte Sagen*): quae eadem tamen libris ſacris conſignata fuiſſe, probabile ſit, ſaltem tum, cum Herodotus Aegyptum adiret, v. c. de Aegypto inferiore ab initio aquis ſubmerſa (II, 4 & 10); aut ubi ſcriptor praeclare ex teſtaceis in montibus & ex ſaxis pyramidum conchyliatis argumentatur cap. 12, (ſagacius, quam Strabo XVII, p. 1162 B.) & de ſoli alluvie c. 13. In iis igitur libris computi regum ex iis monumentis, antiquiores utique, confecti continebantur: unde praelectos eos tranſcripſit Herodotus (II, 100.) Ergo antiquiora redibant omnia ad monumenta eorumque interpretationem. Neque adeo aut mirandum, aut, niſi alia cauſa adfuerit, de fraude eſt cogitandum, ſi multa ex antiquis columnis ac cippis (στήλαις), in quorum numero obeliſci fuere, petita afferuntur; inſcripta iis putabimus fuiſſe hierogly-

1 Satis magnam auctoritatem habuiſſe libros nonnullos ſacros probabile ſit, in tam antiqua ſcribendi literis origine & inventa materia domeſtica, papyro. Quid quod iam in antiquiſſimo monumento, Oſymandyae ſepulcro, volumina erant efficta. v. Diod. I, 49.

pha, non interpretationes ipſas, quas forte libri ſacri continebant. In nonnullis locis etiam nonnulla ſervare potuit hominum memoria, qua ii, qui arabilem Aegypti partem incolebant, adeoque, ut probabile fit, vitae cultu & inſtitutione alios anteibant, mirum in modum excelluiſſe narrantur ab Herodoto II, 77. Interea nec hoc a vero abhorret, exſtitiſſe quoque lapides, in quos ea, quae ex antiquis hieroglyphis intelligi poſſe putabantur, literis Aegyptiis erant tranſcripta. Ita apud Tacit. Ann. II, 60, Germanico inviſente Aegyptum: *& manebant* (Thebis) *ſtructis molibus literae Aegyptiae priorem opulentiam complexae:* potuit tamen ſcriptor his ipſis nihil aliud, quam hieroglypha, cuiuſmodi v. c. in obeliſcis ſunt, intelligere. Unum adhuc ſubiungam, quod ad antiquiores hiſtorias ſpectat, in quibus ſaepe aegre ferre viros doctos video, quod ad ſimplicem regum enumerationem factorumque recenſum eae redeunt. Atqui ipſa materia ſcribendique vetus ratio in ſaxis, hieroglyphorum quoque indoles, vix diſertiorem expoſitionem admittere potuit. Quaecunque ex priſcis monumentis etiam a Moſe deſcripta ſunt, breviter rerum tantum ſummas comprehendere quis miretur? Indiculos itaque regum Aegyptiorum, quos habemus, ex priſcis monumentis deſcriptos eſſe negare nolim; ſed annos additos ex ſacerdotum interpretatione & computatione probabile fit. Omnino antiquiſſima quaeque breviſſima eſſe autumandum eſt, &, ſi volumina audimus, ſingulis foliis noſtris perſcribi forte poſſe, quae olim in volumine habita eſſent, meminerimus.

Non itaque falli me arbitror, ſi dixero, partem aliquam hiſtoriarum fabuloſarum ex monumentis male acceptis, aliam ex hieroglyphis, quorum vis & ſenſus ignorabatur, ductam eſſe. Ita, ut uno & altero exemplo utar, Phoenicis notio ex nulla alia re quam ex pictura hieroglyphica, qua adumbrabatur Cyclus magnus anni ſolaris & lunaris ad idem initium redeuntis, ducta eſt (Herod. II, 73,) ut dudum docuere viri docti. Quae de mortuorum iudicio narrantur, ſi quem fundum habent, ex priſcis ſculpturis ea petita eſſe ſuſpicor; occurrunt adhuc veſtigia in tenuiſſimis his reliquiis, quae ſuperſunt, v. c. in ſarcophagis (ap. Com. *Caylus Recueil T. V*, pl. 8.) Fabulas de Oſiridis virilibus ab Iſide conſecratis ortas eſſe puto a phallo, ſymbolice in parietibus picto & in pom-

pis Deorum portato. (Diod. II, 22; cf. Plutarch. T. II, pag. 358 B.)

Verum ea, quae ſentio, uno eoque palmario exemplo declarabo ſculpturarum ſepulcri Oſymandyae (Diod. I, 48, 49.) Regi pugnanti ad latus erat leo, (haud dubie ad fortitudinem pugnantis alludente; re tamen mox in rem geſtam verſa) ducti in triumpho captivi ſine virilibus & ſine manibus, (en originem fabulae de Seſoſtridis ſtatuis in terris victarum gentium poſitis: Diod. I, 55, & ipſe Herod. II, 102) tum XXX iudicum conſeſſus in pariete exſculptus, cui ex adverſo in media aede ſtabant multae ſtatuae ex ligno factae, quae adumbrabant litigantium & de iure diſceptantium turbam. Inter iudices unus erat praecipuo inter ceteros loco, (Romanus Praetorem dixiſſet) appenſam ex collo Veritatis ſeu Iuſtitiae icunculam habens clauſis oculis inſignem. (Symbolicum hoc fuiſſe quis neget? ab hoc tamen aut ſimili ſimulacro petita eſt haud dubie narratio de priſcarum aetatum iudicibus hoc inſigni inſtructis. cf. Plutarch. T. II, p. 358 B.) Circa illum magiſtratum voluminum multitudo diſperſa iacebat. Ipſe rex Diis dona ferebat. His accedebat circulus aureus CCCLXV cubitis diviſus Solis curſum deſignans. Omnino Oſymandyas in hiſtorias relatus eſſe videtur a ſerioribus, cum in monumentis Solis ſymbolum ſeu hieroglyphum ille fuiſſet. Idem in Seſoſtride factum ſuſpicatus ſum alio loco. Ornata haec forte ſunt iis, quae in pluribus ac diverſis monumentis paſſim occurrebant. Contra quae de imprecatione Menae, inventoris luxus, narrantur, (Diod. I, 45,) ex columna ducta ſunt, cui imprecatio erat inſcripta (cf. Plutarch. p. 354 A.)

In hiſtoriis porro illud tenendum, quod obvium eſt, & a multis obſervatum; veteres obſervationes aſtronomicas & phyſicas, per hieroglypha & ſymbola traditas, praefixas eſſe hiſtoriis, eodem more, quo idem apud Graecos, Phoenices, & alios populos factum. Itaque nec in numeris annorum haerendum eſſe arbitror; omnem enim in iis cum hiſtoriis comparandis operam lubricam eſſe neceſſe eſt; inprimis cum computi illi aſtronomici vix integri & incorrupti ad ſcriptores Graecos perlati fuerint; alii autem computandi modi fundo idoneo careant. Quod numerantur apud Herodotum II, 144, uſque ad Sethonem, Vulcani ſacerdotem, CCCXLI generationes a primo re-

ge, qua tandem re nititur? quod is numerus coloſſorum ligneorum viſebatur in templo Iovis Thebani, iique ſacerdotes ſummos referre dicebantur. At gratis ſumebatur hoc, quod omnes perpetua progenie, filius quiſque patri ſuccedens, prognati eſſe ferebantur.

Praeterea tamen, in hiſtoriis non ſecus, quam in ſacrorum ritibus, de quibus mox dicam, fabulas, quibus plebecula delectari ſolet, comprehendi nemo neget, nonnullaſque inventas, ſaltem ornatas ad ſalubre aliquod monitum ſeu ad religionem populo commendandam. Ita quae de Seſoſtridis filio excaecato & ſanato proſtat narratiuncula: Herodot. II, 111; Diod. I, 59. Excaecatus narratur, quod Nilum ſagitta petierit; cui rei locum dare potuit, quod exſtabat ſignum eo ſtatu (c. 59); potuit quoque uxoris caſtitas celebrata eſſe admixtis fabulis. Verbo, releganda talia ſunt in ſuum ordinem & locum; non vero ex his iudicium de aliis prorſus diſparibus faciendum.

Hactenus de hiſtoriis. Quae de religionibus & ritibus ſacris narrata accepimus, alia ad ritus religioſos ſpectant, qui aut tum fuere, cum a ſcriptoribus traderentur, aut quos olim fuiſſe, ipſi traditum acceperant; alia ad cauſas & origines, adeoque ad opiniones ſeu ſacerdotum, ſeu interpretum, ſeu ipſorum ſcriptorum. Alienum a conſilio eſſet, ſingulatim haec perſequi: ſed in iis ipſis, quae de religionibus memorantur, licet alia recentiora alia antiquiora internoſcere. Nolim ad argutias delabi, ſed tria ſaltem antiquarum religionum genera diſcernere mihi videor; quorum recentiſſimum eſt illud, quo ad Iſidem & Oſiridem referuntur omnia; praeceſſerat aliud, ut ita dicam, ſyſtema VIII, aliud XII Deorum. (v. c. Herod. II, 46, 145.) Subeſſe iis magnam notionum phyſicarum ſimplicitatem, obvia res eſt; nec dubitare licet, a ſenſibus religiones quaſque antiquas petitas fuiſſe. Multa ad ea, quae libris ſacris perſcripta erant, redire manifeſtum fit, alia ad *λόγους ἱεροὺς*, h. e. interpretationes ſacerdotum, quas diverſae aetatis, auctoritatis, fidei, eſſe debuiſſe in aprico eſt. Antiquiſſimas quaſque Aegyptiorum religiones ſimpliciſſimas fuiſſe credere licet; etiam eas, quae ſymbolici quid haberent; eaſdem, diverſarum urbium & locorum, fuiſſe origine diverſas, ſupra innuere memini. Per tantum aetatum numerum etſi in populo antiquitatis tenaciſſimo fieri tamen non potuit, quin multa novarentur; quam mul-

ta per tot ſeculorum decurſum ex memoria hominum exoleſcere debuere! ſubſtitutae ſunt opiniones & coniecturae, variae, & incertae, & a diverſis ſacerdotum collegiis, in diverſis Aegypti nomis, in tanta religionum & inſtitutorum diverſitate. Mox cum Graecorum forte exemplo ſuper religionum originibus & cauſis diſputare inciperent, in tam remota antiquitate ad opinationem pleraque abire neceſſe fuit, etiam ubi hieroglyphorum in monumentis fides eſſet advocanda. Ut uno & altero exemplo haec declarem: quae ſymbolice olim de Iſide & Oſiride narrata fuerant, ea, ac ſi vere geſta eſſent, acceperunt: ita etiam quae de Thot, inventorum ſymbolo, dicta erant. Memoratum eſt, morem fuiſſe antiquitus, ut imperium domeſticum apud feminas eſſet (Diod. I, 27); atqui is mos, ſi animum advertas, nullus alius fuit, quam aliorum barbarorum, ut omnis familiae & rei domeſticae cura penes matrem familias ſit, marito interea in domo otioſe deſidente. Adeo Aegyptii ſeriores ſua inſtituta antiqua ignorarunt ipſi. Eodem ſpectat, quod Herodotus feminas in foro verſari & mercaturae vacare, viros domi deſidere narrat (II, 35.)

Iam ut ſummatim apponam tanquam in tabula delineationem hiſtoriae Aegyptiorum, quam quidem utinam aliquis doctior me & otio abundantior perficiat, haec tanquam pro principio & fundo ponenda eſſe arbitror: Seiungendae ſunt ab initio ſtatim ſcriptorum interpretationes & opiniones; adeoque omnia ea, quae Graecas rationes redolent; & revocanda, quantum fieri licet, omnis narratio ad ipſa Aegyptiorum verba & ſenſus; tum & in his indagandum, e quo fonte unumquodque manaverit, utrum ex vulgari fama, an ex ſacerdotum narratione, & ex cuius collegii opinione; diſcernenda quoque tempora, nec antiquiora habenda eodem loco & ordine, quo recentiora; diſcrimen porro faciendum inter ea, quae uni & alteri Nomo & urbi in more habita aut narrata fuiſſe dicuntur, ab iis, quae toti Aegypto: inprimis omnino dirimenda ea, quae de Thebaïde & de inferiore Aegypto traduntur; reſtant ea, quae ex monumentis antiquis dicuntur eſſe petita, quae utique pleraque ad hieroglyphorum interpretationem redeunt, cuius auctoritas non ubique eſſe videtur ſatis gravis, inprimis cum plerumque ad ſyſtema religionum cuiuſque collegii facta ea ſit; qua

quidem via ipſa mythorum doctrina adeo fuit perturbata, cum v. c. ſeriores ad Iſidem & Oſiridem omnia traherent. Sunt tamen ipſa monumenta, hoc eſt, aedificiorum ruinae, ſigna, anaglypha, picturae, obeliſci, pro argumento multarum rerum, quas narratas videmus; partim ea alia ſuper ingeniis, inſtitutis & religionibus Aegyptiorum ſuppeditant, pauca quidem ſatis explorata, ex quibus tamen iudicium facere licet, prorſus diverſam per tot aetates fuiſſe populi ad omnem hominum memoriam memoratu digni fortunam, nec literas eaſdem, nec religiones, nec inſtituta, nec eundem omnino humanitatis ingeniorumque cultum per omnia ſecula obtinuiſſe.

Iam ut ad Diodorum redeam, quem hiſtorias Aegyptiorum ex Graecis fontibus hauſiſſe dixi, cum in iis pleraque ad Graecas rationes eſſent inflexa, in eo tamen in diverſa abirent ſcriptores, ut alii mythice, alii phyſice Aegyptiacas hiſtorias explicarent, alii politicas & pragmaticas narrationes inſtituerent; Diodorus ad ſingula fere genera narrationem de Aegyptiis accommodatam ſcriptis ſuis conſignavit; inprimis vero ad ultimum genus, *pragmaticum* illud dicas, narrata refinxiſſe deprehenditur, idque pro operae ſuae conſilio, cum ad utilitatem vitae omnem hiſtoriam referret. Ita factum eſt, ut Aegyptias hiſtorias ex ſuis, non ex Aegyptiorum notionibus digereret.

Primo quidem loco (I, 11, 12,) ſententiam de primis, praeter Oſiridem & Iſidem, quinque Aegyptiorum Diis proponit, quos ſane phyſicum ſyſtema conſtituere manifeſtum fit. Modo illud Diodorus non ad fabulas Graecas revocare maluiſſet: nam cum Solem & Lunam in Oſiride & Iſide recte inveniſſet, aetherem in Iovem, ignem in Vulcanum, terram in Demeterem, τὸ ὑγρὸν in Oceanum, τὸ ξηρὸν in Athenen transformat; nec illud quidem monet, quibus nominibus ab Aegyptiis haec inſignita fuerint. At in ſequentibus ſeu Diodorus, ſeu is, quem ſecutus eſt, auctor, alterum fabularum ſyſtema ab interpretatione profectum ingreditur, ut ad hiſtoricam rationem revocet ea, quae veteres erant philoſophati per hieroglypha ſuper rerum humanitatiſque cultus origine. Itaque, cum Solis curſus per Oſiridis profectionem per terrarum orbem antiquitus fuiſſet declaratus, Oſiridis & Iſidis res geſtae exponuntur, tanquam ex annalibus, contextae partim ex antiquis mythis, hieroglyphorum expo-

ſitionibus, partim admixtis fabulis de Baccho e Graecia translatis. (a c. 17 ſq.) Quam multa phyſici argumenti in his latuerint, ex frequenti phallorum uſu in vetere Aegypti religione, inprimiſque ex pudendis Oſiridis repertis ac diligenter ſervatis, colligi poteſt; nam naturae virtutiſque generatricis ſymbolum antiquitatis commune fuiſſe phallum, ſatis conſtat. Quae de Oſiridis morte, corpore disiecto, & iterum reperto, & ſimilia narrantur, a ſymbolica expoſitione rerum neſcio quarum profecta eſſe veriſimile fit. Quam diverſae habeantur numinum Aegypti interpretandorum rationes, ipſe Diodorus obſervat (c. 25); nec tamen ei in mentem venit, damnandum eſſe omnino totum hoc conſilium interpretandi Deos ac mythos Aegyptiorum per Graeca nomina & fabulas. Ceterum in toto hoc loco de Diis (uſque ad c. 29.) non tam Graeci ſcriptoris veſtigia preſſiſſe, quam potius Aegyptium aliquem ſcriptorem graeciſſantem, h. e. religiones Aegyptias ex Graecis illuſtrantem, expreſſiſſe videtur; nec ſatis ſcio, an *Aſclepiades* ille fuerit, cuius theologumena ſupra e Suetonio memoravi. Saltem ipſe Diodorus caput illud ita abſolvit: *καὶ περὶ μὲν τῶν θεολογουμένων παρ' Αἰγυπτίοις τοιαῦτ' εἰπεῖν ἔχομεν.* Quod cap. 27 ſe non ignorare monet, *ſcriptores nonnullos de ſepulcris Oſiridis & Iſidis ad Nyſam Arabiae* narrare, ſpectat forte ad *Euhemerum* & ad *Leonem Mendeſium*, (v. not. p. XXX) ſi modo ille antiquior Diodoro fuit. Dum vero narrationes (cap. 28) de coloniis Aegyptiorum repudiat, pungit forte *Iſtrum* Callimachi diſcipulum, qui de Aegyptiorum coloniis ſcripſerat, fabulas Graecas perſecutus, ut ex veſtigiis, quae ſuperſunt, colligo. (conf. Voſſ. de H. Gr. IV, 12.)

Sequitur locus de ſitu *Aegypti & de Nilo* eiuſque natura (c. 30—41,) in quo multa de ſuo tradere potuit; nam ipſe Aegyptum adierat ſub Ptolemaeo neo Dionyſo ſ. Aulete circa Olymp. CLXXX, 1, U. 694; qui tamen itineris terminus fuerit, non aeque conſtat. Quouſque enim in Aegypti ſuperiora penetraverit, nuſquam declarat. At Herodotus uſque ad Elephantinen loca oculis cognoverat (II, 29.) Sane quidem tanquam de rebus, quas ipſe auditu, non viſu acceperit, φασὶ, λέγουσιν, addit, ubi de Nili parte ſuperiore & de Meroë agit. Etſi de Nili fontibus & incrementis, de quibus multi multa ſcripſerant, ea apponit, quae poſt aliorum lectionem ipſe dili-

gentius exploraverat, *Agatharchidis Cnidii* ſententiam, tanquam veriorem amplexus, qui ab imbribus aeſtivis per Aethiopiam ingruere ſolitis inundationem petierat [1]. In eos auctores, quibus Strabo ad eandem fere fidem utitur, (XVII, p. 1139,) *Poſidonium* & alios non incidit. Romanum ob felem necatam interfectum a turba ipſe viderat (c. 83 f.) Memphi ſe ſuo adhuc tempore ſacellum Iſidis in templo (τεμένει) Vulcani (I, 22,) vidiſſe ait. De monumentis autem antiquis, quae in iis locis, quae adierat, non amplius ſupererant, addit plerumque φασὶν, ut de Oſymandyae ſepulcro, & de templis quatuor, quae Thebis olim fuiſſe narrantur [2]; regum ſepulcra omnino olim XLVII fuiſſe, Ptolemaei quidem Lagi tempore non ſuperfuiſſe niſi XVII, fide ſcriptorum, qui tum adierant Thebas, narrat; ſuo autem tempore pleraque intercidiſſe & corruiſſe. Omnino quae de Thebis narrat c. 46 ſq. pleraque non niſi ex ſcriptoribus aliis hauſta eſſe potuere. Nam ruinas tum cernere erat, non urbem. Adeo Cambyſes (tum Lathurus) igni ferroque ſaevierat. (c. 46.) Quo exemplo intelligi poteſt, quam exitioſum Aegypto Perſarum imperium fuerit, ſiquidem per CXXXV annos, quibus Perſae Aegyptum tenuere, tot praeclara monumenta corruerant, non utique temporis vi, ſed hominum barbarie, ut probabile ſit. Inde a Ptolemaeo Lagi ad Diodorum anni fere CCLX effluxerant; facta erat monumentorum ſtrages alia minor quidem, ſed ſtrages tamen. Quam nunc hominum, fortunarum, inſtitutorum, religionum, mutationem per eadem tempora factam eſſe putabimus! & nos ex hominum, qui poſt haec tempora vixere, fide & auctoritate de vetere illa Aegypto ſtatuere audebimus.

1 Pupugit me, quod Herodotus II, 19, 20, de Nili incrementorum cauſa nihil ex Aegyptiis ſacerdotibus comperire potuerat; at Diodorus (cap. 37, p. 111 ſq.) eos ex Oceano terram circumfluente cauſam repetiiſſe tradit: quod idem Herodotus inter hariolationes Graecorum ſapientum refert c. 21; & ſane Homerum iam ea opinione imbutum eſſe conſtat, cf. c. 23. Num poſt Herodotum inquirendis cauſis phyſicis diligentiorem operam dederant? an Graecam ſapientiam ipſi Aegyptii adoptaverant? hoc alterum vereor ne verius ſit.

2 Pococke tamen huius ſepulcri ruinas ſupereſſe narrat p. 106 ſq. ſed falli arbitror virum doctum, nec in aliis ſatis ſubtilem, qui etiam de hoc aedificio alia minus explorate tradit.

In ea parte, qua *regum hiſtorias* complexus eſt Diodorus, (c. 43 — 68,) (ſunt autem, Thebanis paucis praemiſſis, Memphitae tantum, non Thebani, nec aliter ap. Herodotum) auctorem utique diverſum ab Herodoto ſecutus eſt, eumque, qui non vera & explorata nude tradere, ſed hiſtoriam pragmaticam ſcribere voluit; quae ab antiquioribus narrata erant, ad philoſophicas rationes exacta ſunt, exque iis ipſe *utilia tantum* & memoratu digna tradere velle profitetur. (c. 44, & de Amaſide c. 69, *τὰ μάλιστα ὠφελῆσαι δυνάμενα.*) De Seſoſtride ipſe ait (c. 93,) ſe eorum, quae non modo a Graecis ſcriptoribus, ſed & a ſacerdotibus Aegyptiis (nec tamen addit, ſuine an ſuperiorum temporum) miro cum diſſenſu narrentur, dilectum facere velle eorum, quae & veriſimillima ſint, & cum monumentis, quae adhuc ſuperſint, maxime conſentanea. Atqui veriſimilem rationem & probabilitatem ille non niſi ex iudicio ſcriptoris pragmatici definiit; id quod ab antiquis hiſtoriis ac mythis alienum eſt, qui ad longe alios ſenſus ac notiones veterum aetatum exigendi ſunt. Itaque ille regem rerum geſtarum & victoriarum fama celebrem, moxque victoriarum fructibus ad ornandos regni ſui agros uſum, exhibere ſtudet; opera publica plura, quorum verus auctor ignorabatur, ei tribuuntur (c. 56, 7, 8.) Omnino in *Seſoſtride* haec duo mihi liquere videntur: primo quae de Oſiride iam ſupra diximus a nonnullis in hiſtoriarum modum fuiſſe interpretata, ea ab aliis translata eſſe in Seſoſtridem, (apud Tacitum Ann. II, 60, Rhamſes nominatur) eique adeo expeditionem aſſignatam in terras longinquas; cum proprie haec de Solis curſu olim narrata fuiſſent: alterum eſt, ut Semiramidem & Belum in Oriente, Solomonem in Palaeſtina, in aliis terris alia nomina, ita Seſoſtrin pro auctore veterum operum, quorum verus auctor ignorabatur, ut aggerum, foſſarum, magnae molis aedificiorum, eſſe venditatum.

In *moribus & inſtitutis Aegyptiorum* exponendis inde a c. 69 ſq. ipſe profitetur, *ſe, narrationum portentis, quae Herodotus & alii nonnulli rerum Aegyptiacarum ſcriptores delectandi cauſa amplexi ſint, miſſis factis, ea eſſe expoſiturum, quae a ſacerdotibus Aegypti in commentarios relata accurate examinaverit.* Primo libros ſacerdotum ſacros ipſe utique non inſpexit, quomodo enim Graecus homo illos legere potuiſſet? etſi nec illo tempore exſtitiſſe eos credere licet;

ſed ſecutus eſt Diodorus ſcriptorem, gente Aegyptium; qui idem hoc profeſſus erat, ſe ſua e ſacris libris hauſiſſe; quis ille fuerit, ipſo tacente quis pronuntiare auſit? De *Manethone* ſane obvia eſt ſuſpicio. Forte & *Hecataeum Abderitam* adhibuerat; nam eum ea, quae de regum vita narrantur, ſimili modo narraſſe, ex Plutarcho (T. II, p. 353 B.) colligere licet. Arripuit illa aut ipſe Diodorus, aut ſcriptor, quem ante oculos habuit, & ita tractavit, ut praeceptis philoſophicis ac politicis, monitiſque, quibus regum ac principum vita regi poſſet, narratione ſua auctoritatem faceret, dum praecepta in facta mutaret, & ad ultimam antiquitatem ea retraheret; verbo, fuiſſe ſuſpicor ſcriptores, qui, ad Cyropaediae exemplum, aut ad librorum nonnullorum Romanenſium morem, quibus praecepta vitae & morum in Cyri vel Sethos hiſtorias relata & digeſta ſunt, de regum officiis ac muniis, de reipublicae & iudiciorum adminiſtratione ita tradidiſſent, ut veterum Aegyptiorum mores & inſtituta eundem in modum comparata exponerent. Ita regi Aegypti, quod Britanni de ſuo rege praedicare ſolent, non licuit male quid facere; recte faciendi poteſtas latiſſime patuit; illud tamen humana natura, multo magis regum ingenia detrectabunt, quod ne quidem recta & honeſta pro lubitu facere licuit, ſed ad praeſcripta loci, modi ac temporis. In multis eum, qui haec primo commentatus erat, occurrere voluiſſe arbitror regnorum corruptelis, praviſque regum moribus. Latent igitur in his nonnulla antiquitus apud Aegyptios in hunc morem inſtituta, ſed exornata iſta pro conſilii ratione, & ad eam notionem amplificata, quam auctor animo ſuo circumferebat. Ita recte narratur, quod c. 74 de populo in tres ordines diviſo traditur; in tertio aratores & paſtores habebantur; qui, mercede conſtituta, ſacerdotum, regis & militum, agros colere, armenta paſcere putandi ſunt; tum opifices & artifices.

In cauſis *ſuperſtitioſi beſtiarum cultus* reddendis (c. 83-90) auctores utique Graecos ſuper Aegyptiacis ſuperſtitionibus argutantes exſcribit; nec videt veram cauſam & rationem eſſe petendam ab antiquitate temporum ſucceſſu corrupta. In religionibus, quae ſymbolis & hieroglyphis continebantur, quorum interpretatio non niſi certo hominum ordini, ſacerdotibus inquam, inſtitutione per manus tradita, innoteſcebat, fieri aliter non potuit, quam

ut vulgi animi hieroglyphis adhaereſcerent, tandemque, depreſſis ad ſervitutem, ignorantiam ac metum mentibus, ad ſuperſtitioſam opinionem, nulla ratione ſubſtructam, omnia revocarent. Nam ne ſtatuas, inde ab incunabulis per omnia ſecula gentem Aegyptiacam eodem, ut noſtri Negri, more animantia pro numinibus adoraſſe, vetat cum antiquior rerum apud Moſen memoria, tum reliqua, quae de ſapientia Aegyptiorum memorata ita ſunt, ut refelli nequeant. Firmatam eſſe ſuperſtitionem mox aliis rationibus, non negem: potuere enim alia animantia ſervari, alia diligenter curari, propter utilitatem aliquam inſignem; cadavera potuere condi, ne proiecta aërem corrumperent; omnia haec a iuſtis cauſis profecta in religionem verti potuere propter rerum cognationem. (cf. Herod. II, 67.)

Quae *de more ſepeliendi & condiendi mortuos* narrat, (c. 91, 92,) non ex viſu audituve habet, verum ex ſcriptoribus utique petiit, qui alia vidiſſent, alia antiquiorum narrata accepiſſent. Multa itaque tradit, quae ſi ſeverius ipſe exegiſſet, in tabulas ſuas vix retuliſſet. Etiam in loco *de ſapientibus Graeciae*, qui Aegyptum adiiſſe & multa hinc inſtituta reportaſſe feruntur, ſcriptorem Aegyptium graeciſſantem ante oculos habuiſſe videtur; id quod arguunt repetita ab Aegyptiis ſacra Graecorum, tum myſteria & res inferae; quodque in his parum veriſimiliter traditur, ad locorum apud Memphim ſitum loca infera Graecorum fabulis eſſe deſcripta. Immo vero, cum iſtae fabulae ex naturali rerum ſpecie ad probabilem aliquam rationem a Graecis ingeniis eſſent inventae & ornatae, fuit Aegyptius aliquis Graece doctus, qui loca circa Memphim iis aſſimilavit, & fabulas ipſas ad ea retulit. Caret enim omni ratione, funera quotidie in eum morem ducta, & corpora, iudicio habito, trans Acherontem eſſe vecta.

Illud nunc ex his manifeſtum factum arbitror, *Diodori auctoritatem in Aegyptiacis*, in iis quae ipſe vidit, eſſe ſatis gravem, in ceteris, quae ex aliis auctoribus tranſtulit, eſſe levem aut nullam, ita ut, niſi ſeveriore iudicio adhibito, in Aegyptiacis ad Diodorum vix recte provocari poſſit; nec omnino cum eo comparandam eſſe *Herodoti* fidem, quae omnibus modis potior eſt, modo recte de praeclaro hoc ſcriptore ſtatuatur. Primo aetate omnes antecedit, & propius attingit ea tempora, quibus Aegyptii

ſuis legibus uti deſierant; adiiſſe enim Aegyptum videri debet ante medium Artaxerxis Longimani regnum. Potuere eo tempore ſupereſſe inter ſacerdotes, qui res antiquas memoria tenerent, librorum ſacrorum uſum haberent; exſtabant adhuc monumenta vetera, quae mox, cum alii ſub Ptolemaeis & Romanis loca inviſerent, interciderant. Narrat aut viſa aut audita; narrat cum fide, diligenter diſcernens, quae ipſe viderit, quae ex ſua ſententia memoret, & quae ab Aegyptiis narrata acceperit, & a quibus: vid. c. 99, 123. Nominet mihi aliquis ex recentioribus ſcriptoribus terrarum & peregrinationum ullum aliquem, qui non dicam aequiparari ei, ſed ſecundo ab eo loco collocari poſſit? Nec tamen altera ex parte exſpectare licet, eum omnia reſciviſſe, quae Aegyptii de ſuis religionibus tradiderant; nolimque adeo eo argumento uti, ut omnia pro recentibus commentis habeam, quae, ab Herodoto non memorata, a Diodoro & aliis forte traduntur. Si Thot non ipſi innotuerat, quem Plato memoravit, potuit ille aliis hominibus, quam quibuſcum verſatus eſt Herodotus, dudum notus eſſe; quandoquidem ſatis conſtat, nihil aliud eſſe eum, quam notionem abſtractam inventi literarum in perſonam mutatam; nam quid Platonici Alexandrini fabulati ſint, in cenſum veterum hiſtoriarum non referimus.

Premunt tamen inter haec Herodotum multa. An enim Aegyptii ſermonis peritus fuerit, dubitari poteſt; etſi eum verba Aegyptia interpretantem video in ſigno Aegyptio, quod in Ionia deprehendiſſe ſibi viſus erat, c. 106. Adhibuit igitur interpretes, ſeu Graecos Aegyptiacis imbutos, ſeu Aegyptios, qui Graecas literas tenerent. Alterum hoc verius; nam unde in Aegypto ſuppetierint interpretes Graeca docti, ab ipſo Herodoto aliquo loco expoſitum eſt; ſcilicet a Pſammeticho Ionibus & Caribus receptis pueros Aegyptios erudiendos traditos, & ab iis, qui Graecam linguam addidicerant, procedere eos, qui tum erant, interpretes [1]; ab hoc inde, inquit, tempore Graecis cum Aegyptiis permixtis, res Aegyptias liquido teneri. Recte hoc monitum quis neget? Nec tamen minus moneri debebat illud, ab hoc inde tempore homines

1 C. 154: ἀπὸ δὲ τούτων τῶν ἐκμαθόντων τὴν γλῶσσαν, οἱ νῦν Ἑρμηνέες ἐν Αἰγύπτῳ γεγόνασι. Quid? quod inter VII Aegyptiorum claſſes Herodotus cap. 164 numerat interpretes.

Graecis literis imbutos, cum interpretari Graecis Aegyptiaca videri vellent, ad Graecas notiones & religiones omnia revocaſſe. Ad hunc tanquam ſcopum dirigitur omnis antiquitatis interpretatio, quam ille a ſacerdotibus interpretibus acceperat: ſtatim c. 4. Pro exemplis ſint narrationes de Proteo & de Helena (Herod. II, 113, 120; in quibus & hominum illorum vanitas, popularibus ſuis gloriam ex rebus Graecis comparantium & fabulas in eum finem interpretantium, tum Herodoti praeconcepta his de rebus opinio apprimis intelligi poteſt. Add. de Hercule c. 43 ſq. de comparatione religionum Graecarum cum Aegyptiis 49 — 58; de Lino 79; de veſtis laneae interdicto uſu in ſacris 81; de diebus 82; ubi Heſiodum reſpicere videtur de Perſeo 91; de Deorum temporibus 145, 6.) Nec itaque mirum, ab ipſo ſcriptore idem inſtitutum ſervatum, ut & ipſe audita Graece redderet, & ad patrios Deos & religiones ſacerdotum narrationes referret; etſi uno & altero loco ipſe ſui eſt interpres, v. c. cap. 156; quibus locis inter ſe comparatis, aliaque multa & varia doctrina adhibita, egregiam religionum Aegyptiarum illuſtrationem dedit Iablonskius. Praeter ea, quae ab interpretibus acceperat, alia narrat Herodotus tradita a ſacerdotibus, ſeu & ipſis Graece loquentibus, ſeu interprete Graece docto adhibito. Quae autem hac via accepta memorat, diverſi utique ab aliis generis ſunt habenda. Magna pars a ſacerdotibus diverſorum templorum narrata ſimilis eſt iis narrationibus, quas v. c. faciunt monachi vel ſacerdotes parochani ſeu pagani de Sanctis viris, quibus aedes ſunt dicatae, inprimis ut rituum origines & cauſas reddant: v. c. cap. 122, & de bove Saitica lignea 130. (Mirum in his exemplis, adeo exoleviſſe memoriam ſacrorum rituum, unde ducti eſſent; ad Iſidem enim illam ſpectaſſe manifeſtum fit c. 132.) Sunt etiam nonnullorum templorum ſacerdotes multo indoctiores ceteris: itidem ut noſtro tempore fieri videas in diverſis templis aut monaſteriis; ſolent immiſcere lepidas narratiunculas ingenioſe pro illa aetate & pro plebis ingenio inventas, ut de ſollertia architectorum theſauri Rhampſiniti (Herod. II, 121), de pyramide a Cheopis filia ex quaeſtu corporis exſtructa c. 126.

Sacerdotes Vulcani Memphi, alios ſacerdotes Thebis, Iovis puta, (c. 143,) ſeu Amun, (IV, 181,) alios Heliopoli, Herodotus memorat (II, 3), quorum hos habi-

tos ait doctiſſimos; alio loco *γραμματιστὴν τῶν ἱρῶν χρημάτων* Minervae Saiticae de Nili fontibus narrantem, (c. 28; add. 122, 123). Sunt in his, quae memorantur, nonnulla phyſica, nec prorſus abſurda, ut quae de Nili alluvie ſacerdotes expoſuerant (c. 5 ſqq.)

Idem a ſacerdotibus diſtinguit Graecos, a quibus narrata accepit, (v. c. II, 3,) qui non alii eſſe poſſunt, quam partim qui urbes maritimas, inprimis Naucratin, inſederant, (c. 178, 9,) partim qui ab Ionibus & Caribus, ſub Pſammeticho receptis, erant oriundi, a Peluſio Memphim traducti (c. 134), qui in urbibus paſſim mercatus cauſa verſabantur; quorum magnus tum numerus fuiſſe videtur. (v. Herod. II, 39.) Valde abſurda ab iis narrata, ut de pyramide a Rhodopide exſtructa (c. 134.)

Quod tandem vana religione contactus Herodotus multa eloqui noluit, non tam initiatum eum eſſe myſteriis arguere iudico, quam potius inde conſtare, hominem, qui omnia aſſimulabat Graecis, adeoque Oſiridem Baccho, Cereri Iſidem, arcanas doctrinas a ſacerdotibus acceptas eodem loco habuiſſe cum initiis Graecorum, ideoque eloqui auſum non eſſe. (Vid. cap. 81, 171.) Igitur nomina tantum numinum ſe profari velle ait, arbitratus, omnes eodem modo de his nominibus ſtatuere, ut pro iiſdem nimirum Diis cum Aegyptiis habeant 1. Religioſum quoque ei habitum eſt, idem quod Pindarus de ſe aliquoties teſtatur, de Diis turpia eloqui: itaque non effari vult fabulas de Pane Aegyptiorum (c. 64), nec cur ſuem plenilunio immolent (c. 47), nec de phallis (c. 48 extr.), nec de cauſa planctus in ſacris Iſidis (hoc enim eſſe *τύπτεσθαι* iam olim monitum ad Tibull. I, 7, 28; vid. c. 61, 137), nec de cauſa lucernarum ardentium in ſacris Minervae Saitidis (c. 62), de cauſis, cur animantia Aegyptiis ſacra habeantur (c. 65), quis ſit is, quem melior condiendi ratio referebat (c. 86), & cuius ſepulcrum in templo Deae Saiticae erat (c. 170, 171); etſi valde obvium eſt de Oſiride eum agere.

1 *Νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσου περὶ αὐτέων* (antec. *τὰ οὐνόματα αὐτέων* ſc. *τῶν θείων*) *ἐπίστασθαι*. Herod. II, 3, pergit: quae autem de ipſis Diis meminero, non niſi re ita poſtulante in medium afferam. *Τὰ δ' ἂν ἐπιμνησθῶ αὐτέων, ὑπὸ τοῦ λόγου ἐξαναγκαζόμενος ἐπιμνησθήσομαι.* Ita locum ſatis impeditum accipio. Nec alia Herodotus ratione in his utitur, ipſo loco c. 51 conf. c. 65.

Verum haec in Aegyptiaca exſpatiandi libido a Diodoro ita me abduxit, ut reliqua de Aſſyriis ceteriſque barbaris gentibus qua fide & auctoritate a Diodoro tradita ſint, contractioribus velis exſequenda, in aliud tempus mihi differenda eſſe intelligam.

COMMENTATIO ALTERA

AD LIBROS II – V.

QUAM ſcriptionem me gravibus de cauſis ſuſcepiſſe profeſſus ſum, AA. ut, cum magna pars veterum hiſtoriarum, quae in noſtris libris hiſtoricis exponuntur, ex Diodoro petita ſit & peti ſoleat, aliis auctoribus ex antiquitate nos deficientibus, in huius hominis fidem & auctoritatem paulo accuratius inquirerem, eam nunc pace veſtra ita perſequar, ut quae libris quatuor priorem excipientibus tradita ſint, fabuloſa pleraque, ex quibus fontibus ducta ſint, indagando exquiram. Complectuntur autem libri hi hiſtorias fere eas, quarum cognoſcendarum maxime avidi eſſe ſolemus, inprimis in puerili aetate, & de quibus, ubi mente & animo confirmati ſumus, vel maxime ambigimus; *res* inquam *Aſſyriorum*, *Babyloniorum*, *Chaldaeorum*, *Medorum*, tum de *India*, *Scythia*, de *Amazonibus* & *Hyperboreis*, inde de *Arabia* & *Taprobane* libro SECUNDO; TERTIO autem de *Aethiopia*, *Troglodytis*, *Arabia;* inde de *Amazonibus Libyae*, de *Atlanteis* & de *Dionyſi* rebus *narrationes* quas appellat *Libycas;* tandem libro QUARTO & QUINTO mythos *Graecanicos.* Nec vero, cum in his excutiendis & trutina expendendis collocavi operam, rem me parum fructuoſam & auditu cognituve tantum iucundam, agere putavi: quandoquidem non modo multarum rerum, de quibus liberum eſſe poteſt in utrum modum ſtatuas, fides per illa aut elevatur aut firmatur, verum & multarum rerum auctoritas inde pendet, quae vel ad librorum ſacrorum, inprimis prophetarum effata & oracu-

la, vel ad philoſophicorum placitorum originem & vetuſtatem, aliae ad hiſtoriam literarum, naturae, terrarum inprimis, hoc eſt ad geographicas notitias, ad locorum ſitus & naturas, animantium hominumque mores, iis inprimis terris, quae noſtra aetate parum adiri ſolent, ut Africae & Aſiae interiora, ſpectant. Ita multa ſunt, quae de homine in conditione & ſtatu, quem vocant, non modo ſilveſtri, ſed & belluino conſtituto, hoc eſt de populis quibuſdam Africae in primis humanitatis incunabulis verſantibus, a Diodoro narrantur: quae utrum veris an falſis ſimiliora ſint, ad hiſtoriam, quam noſtri vocant, hominis, hoc eſt viciſſitudinum conditionis modorumque, quibus eae humanam naturam afficiunt, haud parum intereſt. Multa ſunt alia fabuloſe tradita, quae ſi pro veris habeantur, ut haberi ſolent, generis humani hiſtoriam rerumque humanarum progreſſum turbant & evertunt. Not[a] ſunt, quae cum ſuperioribus ſeculis a Rudbeckio & aliis noſtro autem a Curtio Gebelino aliiſque in medium pro lata ſint, ad condendum novum hiſtoriarum ſyſtema a[d] certas novellas hypotheſes accommodatum, quae quiden magna parte nituntur narrationibus his Diodori parun ſubtiliter, veraene an commentitiae eſſent, exploratis. A[n] acutiſſimus homo *Bailly* Aſtronomus commenta ſua de pri mitivo aliquo populo in boreali Aſia rerum potito prola turus fuiſſet, ſi ille tenuiſſet, veterum hiſtoriarum am bitum populorumque origines & ſucceſſiones ſcriptorum que fidem, quibus in rerum generibus amplecti, in quibu deferere fas ſit? An Atlanteos iactabit aliquis, qui aſſe cutus ſit ea, quae de Atlanteis in Platone & in Diodor tradita ſunt, non hiſtorica niti fide, ſed ab primis auct ribus partim mythorum vetuſtiorum interpretandoru cauſa, partim ut diſputationibus philoſophicis pro vehicu lo eſſent, eſſe inventa & excogitata? Audire ſaltem deb bant viri docti ipſum Diodorum, qui » ſe praemittere ve le populorum hiſtoriis *τὰ μυθολογούμενα* [1] ex more ali rum antiquiorum ſcriptorum, qui mythos hiſtoriis a ſcriptis praemittere inſtituerant, » profitetur [2]. In quo qu

1 Diod. I, 4: πεποιήμεθα δὲ τὴν ἀρχὴν τῆς ἱστορίας ἀπὸ τῶν μυθολογουμένων παρ᾽ Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, ἐξετάσαντες τὰ παρ᾽ ἑκάστοις ἱστορούμενα κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους ἐφ᾽ ὅσον ἡμῖ[ν] δύναμις· hoc quidem poſtremu parum ſollerter parumque di genter. Add. lib. IV pr.

2 Actum de hoc ad Apollod

dem per ſe nihil erat, quod reprehenderes; modo mythi, hoc eſt, ea, quae antiqua fama a maioribus accepta, plerumque a poëtis ornata ſunt, accurate ſatis ab hiſtoriarum fide ſecernantur. Non igitur parvam gratiam me virorum doctorum initurum eſſe arbitratus ſum, ſi uno in loco ex vetere hiſtoria quae exturbanda ſint, tanquam fabuloſe tradita, quae retinenda utpote cum fide & auctoritate narrata, exponerem, ut tandem aliquando deſinant, qui quidem nos audire volent, Diodori fide promiſcue uti, tanquam in omnibus & ſingulis eodem modo aut deprimenda & aſpernanda, aut mirifice extollenda & celebranda.

Exorditur autem Diodorus *libro ſecundo* res *Aſſyriacas*, quas quidem unde hauſerit, expedita res eſt, cum ipſe ſe, relicto Herodoto, *Cteſiam* auctorem habere profeſſus ſit 1: etſi & alios, quos ſe ante oculos habere ait, memorat. Ita (c. 20) de diſceſſu e vita Semiramidis contra Cteſiam *Athenaeum* laudat *& alios*: in quibus forte *Dinon* fuit, nam & is iis, quae ibi narrantur, ſimilia tradiderat, etſi non minus fabuloſa, quam quae a Cteſia erant per-

T. III, p. 926 ſq. ubi ei, quem primum mythos hiſtoriis praefixiſſe dixi, Anaximeni praeceſſiſſe dicendus erat *Dionyſius Mileſius* in Cyclo, de quo mox dicam.

1 Diodor. II, 2, nomina populorum a Nino victorum ſe ἀκολούθως Κτησίᾳ τῷ Κνιδίῳ apponere; c. 5, de numero copiarum Nini in Bactrianos ducentarum ὡς Κτησίας ἐν ταῖς ἱστορίαις ἀναγέγραφε· c. 7, de Nini monumento, & de Babylonis moenibus; c. 15, in Semiramidis expeditione in Aegyptum & Aethiopiam, quo & ſpectat locus lib. I, c. 56 extr. de Aethiopum ſepultura adverſus Herodotum; & c. 20, ſub finem eorum, quae de Semiramide narraverat: Κτησίας μὲν οὖν ὁ Κνίδιος περὶ Σεμιράμιδος τοιαῦθ' ἱστόρηκεν· c. 21 fin. de annis imperii Aſſyriorum. Inprimis vero c. 32, poſt ea, quae de Medorum regno ex Herodoto attulerat, de Cteſia agit, qui XVII annis apud Artaxerxem Mnemonem medicinam exercuerat: οὗτος οὖν φησιν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν. Ipſa Cteſiae verba obſervarunt viri docti c. 23, de Sardanapalo, ex comparatione Athenaei XII, 7, & c. 26, de miſſis ab eo liberis in Paphlagoniam; comparato eod. loco. In Mſ. Scorialenſi Excerptorum, ad calc. Polyaeni, de quo inf. commemorantur Γυναῖκες ἐν πολεμικοῖς συνεταὶ καὶ ἀνδρεῖαι, in his primo loco Semiramis: de ea ex Cteſia narratio fit. Ibi paſtor appellatur *Simois* (pro Simma, ut ap. Diod. II, 4 f.) *Menones* autem, praefectus, qui eam duxit ſecundum Diod. ib. c. 5, *Onneus*: ut adeo in Diodoro legendum ſit: οὗτος δὲ ἐκαλεῖτο μὲν Ὄννης, quod & Codd. habent.

ſcripta [1]. Fuere etiam alii rerum Aſſyriacarum ſcriptores [2]. Verum eorum, quae a Diodoro tradita ſunt, ſumma, ad Cteſiae fidem redire videtur. Iam ſubtiliore virorum doctorum iudicio [3] ſatis diligenter ea eum in modum conſtituta eſt, ut, etſi fabuloſe multa, nonnulla forte in maius aucta quam ipſe acceperat, in phyſicis inprimis, & in Indicis, tradere potuerit, non tamen commentitia prorſus commemoraviſſe videri debeat. Scilicet ferebantur, ut apud ceteras gentes, ſic inter populos orientis narrationes heroum veterum mythicae variis modis exornatae: in his nomina clara, quae per Ninum, Semiramidem & ſic porro reddita ſunt: de his ſi commemoravit auditu & lectu accepta Cteſias, non erat cur fraudis factae ipſe accuſaretur. Potuere in iis eſſe multi multorum populorum etiam Indorum mythi in unum populum cumulati. Si haud pauca, ex eo quidem aliorum opera repetita, (nam ſi ipſe Cteſias ſuperſtes foret, de multis expeditius iudicium foret) non ſatis conveniunt cum Herodoto & aliis: primum in rebus ex tam remota antiquitate repetitis & fama hominum per plures populos & aetates acceptis mirationem id non habet; tum nomina provinciarum, regum, ſatraparum permutata in multis turbas intuliſſe videntur: at Diodoro vitio dare licet hoc

1 Vid. Weſſel. c. l.

2 In his *Cephalion*, e quo locus eſt apud Syncell. p. 167. Ad fabularum Graecarum calculos is Aſſyriaca revocaverat; diverſus ab eo Cephalo Gergethius, antiquus ſcriptor: at alter ille σύντομον ἱστορικὸν a Nino ad Alexandrum ſcripſerat, libris IX Muſarum nomina inſcripta habentibus, Photio lectum c. 68. Eius quoque mentio fit in Moſe Chorenenſi lib. I, 17. *Bionem* & *Alexandrum Polyhiſtorem* laudat idem Syncell. pag. 359. Egerant praeterea de Aſſyriis antiquiores *Beroſus*, poſthaec *Thallus*, *Caſtor*, *Apollodorus*.

3 Cteſias Xenophonti fere aequalis, & ab hoc iam laudatus, ex XXIII libb. rer. Perſicarum tres priores rebus Aſſyriacis, tres ſequentes Medicis conſumſerat Rerum Perſicarum narratio de ducta erat uſque ad Ol. 95, 3 qui eſt annus ſeptimus Artaxer xis II, Mnemonis dicti; v. Diod XIV, 46. De eius fide poſt Henr Stephanum iudicia meliora pro ſtant multorum virorum docto rum, qui res Aſſyriorum, Med rum ac Perſarum aut narrand aut excutiendo & comparand cum aliis hiſtoricis attigerunt ſecundum Freretum *Hiſt. de l'A cad. des Inſcr. Mem.* Tom. V, 350 ſqq. & alios, quos Baun garteniana diligentia notavit, a dam *Bougainvillium* Tom. XXII init. Quae ex Cteſiae Perſicis d promſerat Diodorus, lib. IX X comprehenſa fuere; at i ſunt inter libros Diodori depe ditos; cf. inf. de his libb.

quod in exſcribendo Cteſia parum diligenter ac ſubtiliter verſatur, in temporibus notandis inprimis negligentiſſimus; quodque idem narrationes diverſorum ſcriptorum interdum adiunxit, nec tamen in cauſas diſſenſus ulla cura adhibita inquirere maluit. De *Babylone* porro *Clitarchum & qui cum Alexandro in Aſiam traiecere* [1] commemorat: (c. 7) verum non magis illi alia, quam quae fama erant tradita, narrare potuere; interierant enim iam tum vulgata illa antiquitatis miracula, (c. 9 extr.) in his inprimis, quod omnia ſuperabat, Beli templum. De Memnone Tithoni f. Priamo opitulatum miſſo iam Cteſias narraverat: ſaltem eo in loco (c. 22 extr.) *in regiis commentariis illa deſcripta a barbaris aſſervari* tradit [2]: ſcilicet comparatione temporum facta ſimilem heroëm in Aſſyriis repererat Cteſias, in quem narrata quodammodo convenirent; forte & nomen ſimile in Aſia celebratum fuit: ita Suſis Memnonium in Strabone commemoratum legimus.

Locus interpoſitus eſt de *Chaldaeis* (c. 29, 30, 31), haud dubie ex alio auctore, &, quantum quidem ex poſtremis verbis cap. 31 intelligere licet, uno ex ſcriptoribus poſt Alexandrum. Agnoſcas tamen facile ſcriptorem, qui rhetorice illa, quae de Chaldaeis acceperat, ornavit, partim in ſcientia horum hominum ad miraculum uſque evehenda, partim in laudando eo inſtituto, quod eodem genere & ordine nati homines a patribus acceptam philoſophiam ſuis liberis ipſi mandabant. Omnino locus de Chaldaeis in veteris hiſtoriae cognitione vexatiſſimus ex Diodoro parum lucis accipit. Iſta quidem aetate, de qua ſcriptor agit, eo nomine ordo hominum certae ſtirpis & familiae literarum ſtudiis vacantium veniebat: eae autem literae inprimis aſtrologiae ſtudio continebantur. Si a priſcis illis Chaldaeis, quos Babylonem occupaſſe conſtat, originem duxere, varia fortuna hos quidem uſos eſſe neceſſe eſt; ita ut inter Babylonios Babyloniorum artibus eruditi, ingeniis & moribus expolitis, haberent inter ſe philoſophorum ordinem certas familias aut ſtirpes complexum, qui, reliqua poſt Babylonios Chaldaeorum gente exſtincta,

1 Ex Clitarcho & ex iiſdem plura inf. lib. XVII in rebus Alexandri petita videbimus: v. Weſſeling. p. 219, o) ubi conf. Schneider. V. C. ad Demetr. de Elocut. ſub. f. item p. 230.

2 Περὶ μὲν οὖν τοῦ Μέμνονος τοιαῦτ᾽ ἐν ταῖς βασιλικαῖς ἀναγραφαῖς ἱστορεῖσθαι φασὶν οἱ βάρβαροι.

ipſi ſupereſſent, & ſapientium collegium aliquod conſtituerent [1]. Poſt Alexandri tempora defeciſſe illud videtur, Babylone vacuefacta, incolis a Seleuco Seleuciam abductis; etſi ille iis vicum urbis circa Beli templum habitandum reliquerat. (Pauſ. I, 16 extr.) Strabo de iis (in praeclaro loco XVI, p. 1071) loquitur, tanquam adhuc diverſas urbes tenentibus, nec alio modo Plinius (VI, 26, ſ. 30), ſed hic antiquiorem aliquem exſcripſit.

Redit inde Diodorus ad *Cteſiam* in iis quae de *Medorum* imperio (c. 32 — 34) & mox de *India* (c. 35 — 42) tradit; videtur tamen e *Megaſthene* & aliis, qui poſt Alexandrum de India ſcripſere, fabulas de Dionyſo & Hercule inſeruiſſe; quarum forte fundus aliquis eſſe potuit hactenus, quod Indi de aliquo priſco heroë narrare ſolebant, qui meliorem vitae cultum per gentes circumtuliſſet. Iam iſta, quippe iis ſimilia, quae de Baccho vel Hercule ferebantur, transferebant ad eos Graeci. Ceterum in his admittendis iudicium parum ſubtile adhibuit Diodorus.

Quae inde de *Scythis* (c. 43, 44) & de *Amazonibus* (c. 45, 46) ſequuntur, quem auctorem habeant, nondum reperio; etſi eum leviſſimum hominem fuiſſe ſatis certum habeo: quae enim de Amazonibus narrantur, ex Graecis poëtarum fabulis conficta ſunt; de Scythis autem, deſerto Herodoto, qui in hoc loco ſcriptor erat graviſſimus, Graeculo obſecutus eſt, qui partim mera commenta de gentis origine tradere, partim ea, quae de una & altera Scytharum tribu memorata erant, ad totam gentem referre maluit. Unum illud notatione dignum eſt, quod de duabus coloniis per Scythas ex Aſia ductis, appoſuit, altera Aſſyriorum in Paphlagoniam, altera Medorum ad loca circa Tanaim, quae Sarmatarum origo fuit.

Nec magis iudicii acuti hiſtoricum declarant illa, quae de *Hyperboreis* ſubiungit: niſi in eo, quod auctorem, quo uſus erat, ſubiungit, *Hecataeum* ex numero eorum, qui *veteres mythologias ſcripto tradiderant* [2]. Fuit is Abderita, Alexandri & Ptolemaei Lagidae aequalis: quem *περὶ τῶν Ὑπερβορείων* commentatum eſſe ſatis conſtat. Si ea, quae Diodorus affert, eodem modo ab ipſo expoſita fuere, il-

1 Nam Chaldaeos philoſophos e Babyloniorum ſtirpe Aramaea fuiſſe, nomine Chaldaeorum in hos translato, vix probabile fit.

2 C. 47: *τῶν γὰρ τὰς παλαιὰς μυθολογίας ἀναγεγραφότων Ἑκαταῖος καί τινες ἕτεροί φασιν.* Conf. Weſſel. e. l.

lum diverſorum hominum, temporum rerumque, fabulas in unum miſcuiſſe manifeſtum fit. Scilicet ea, quae principio de populis ad ſeptemtrionem & occidentem Graeciae habitantibus narrata erant, geographicae rationis ignoratione varie tradita & ornata fuerunt a poëtis [1], male mox eadem inferri coepta in hiſtoriarum libros. Quo latius autem longiuſque modo ſeptemtrionem modo occidentem Europae habitari innotuerat, eo longius Hyperboreorum ſedes variis modis prorogatae ſunt; cumque omni Europa in notitiam adducta nullus locus iis ſupereſſet, ecce ad inſulas verſus ſeptemtrionem ſitas deducti ſunt Hyperborei. Fabularum igitur ad tempora, terras & homines diverſiſſimos ſpectantium congeriem Hecataeus in inſulam aliquam Galliae ex adverſo poſitam importavit.

Scriptorem, qui poſt Alexandrum vixit, auctorem habuit quoque Diodorus in iis, quae de *Arabia*, de animantibus frugibuſque in ea naſcentibus, ſubiunxit (c. 48 — 54), forte tamen non unum eundemque. Partem quidem priorem ex *Hieronymo Cardiano* hauſtam eſſe ſuſpicor ex loco de Petra & de Aſphaltite, qui iterum inſertus legitur lib. XIX, 97, 98, 99, comparato c. 100, & XVIII, 42 [2]; in ceteris *Agatharchidem* praeiviſſe coniicere licet, forte & *Artemidorum*, ut ex Strabone aſſequaris (XVI, p. 1120 ſq.) verum de his tutiora tradere licebit, ſi quis hoc in rerum genere cum maxime verſatus ſcriptores alios de metallis, lapidibus ac feris Arabiae, inque his de ſtruthocamelis & camelopardalibus agentes contulerit; nam mihi ad haec deſcendere nunc non licuit.

Tandem narratio fabuloſa de *Taprobane* inſula ſubiicitur, ex *Iambulo*, quod ipſe praefatur (c. 55 ad f.) At ſunt in ea nonnulla, quae fundum veritatis habent; inprimis hoc, quod iſta inſula (Ceylan ſ. Zelan noſtri appellant), quae nunc unius hominis dominationis lubidini & impo-

1 Cf. Notae ad Apollodor. p. 409 ſq.

2 Cf. Spicilegium antiquitatis mumiar. Commentat. Soc. R. Sc. Tom. III, p. 92. Firmantur haec verbis libelli inediti, quem deſcriptum a ſe in Bibliotheca Scorialenſi, ad calcem Polyaeni Mſ. adiectum, Κρῆναι καὶ Λίμναι καὶ Πηγαὶ καὶ Ποταμοὶ ὅσοι θαυμάσιά τινα ἐν αὐτοῖς ἔχουσιν, communicavit mecum Tychſen V. C. in quo legitur: Ἱερώνυμος ἱστόρησεν, ἐν τῇ Ναβαταίων χώρᾳ τῶν Ἀράβων εἶναι λίμνην πικρὰν, ἐν ᾗ οὔτ' ἰχθῦς οὔτ' ἄλλο τι τῶν ἐνύδρων ζώων γίνεσθαι. ἀσφάλτου δὲ πλίνθους ἐξ αὐτῆς αἱρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων.

tentiae ſubiecta eſt, illo tempore incolas habuit per tribus ac vicos diſtributos 1; nec enim alia regiae dominationis arbitrio unius relictae origo facile fuit.

In iis itaque, ut ſummatim dicam, quae hoc libro pertractavit Diodorus, vix aut diligentis dilectus, aut ſubtilis & acuti iudicii laudem meretur; multo minus conſentaneum eſt, eum tanquam principem auctorem eorum, quae ex aliis iſto, quo diximus, modo concinnavit, celebrare, & ſuper iis, quae non ſua, ſed aliorum fide tradit, D aut M annis ante ſe geſta, ad eius fidem provocare.

LIBER TERTIUS Diodori rebus *Africae* partem maximam occupatur: qui quidem terrarum tractus ut accuratiore notitia nobis cognitus eſſet, ſi quid aliud in votis habendum erat. Non enim nos aut rerum naturae, aut humani generis ſcientiam habituros eſſe ſatis perfectam & abſolutam arbitror, niſi Africae interiora melius cognita habuerimus, neque ullam hiſtoriae naturalis partem recte ſibi conſtare poſſe, ante quam aut Aethiopiae montes ſuperaverint aut deſerta pererraverint viri intelligentes ac fide digni. Multarum enim rerum, ut ita dicam, officinam in his terris conſtituiſſe videtur natura, quas aliis terris invidit; inprimis animantium naturis & infinitis generibus proprium illud ſolum & tanquam natale patriumque eſſe voluit; de coeli vero ſolique vi in humana ingenia diſputatio omnis erit manca & imperfecta, quamdiu de diverſis Afrorum ingeniis, moribus, inſtitutiſque tam pauca recte tenebimus. Ideoque cum veteres plura de Africa tradiderint, quam quidem recentiores, cum aditus ad multa loca olim liberior fuerit, veterum de Africa narrata inprimis cognitu utilia arbitror, in votiſque habeo maxime duo: primo, ut exſiſtat aliquis, qui

1 Coſmae Indopleuſtae tempore duo reges erant ſibi mutuo infeſti lib. XI, p. 397. Ferunt adhuc noſtra aetate duas diverſae originis gentes inſulam tenere, alteram Singaleſium, qui dominatui regio, nonnunquam crudeliſſimorum tyrannorum, obnoxii ſunt, alteram Braminorum & Malabaricae ſtirpis ex India profectam, quae & ipſa aliquando reges ſuos habuit; huic admixti ſunt Arabes, vulgo Mauri dicti, Muhammedicae religioni addicti, tum ex Hollandia advenae, qui Luſitanis expulſis, terras verſus aquilonem ſitas tenent. Gentem aliam Singaleſibus antiquiorem aliquando inſulam tenuiſſe, ſuſpicari licet ex antiquis monumentis, quae ſuperſunt; cf. *Wolf Reiſe nach Zeilan*, T. II, p. 39. *Knox* p. 165.

naturae cognitione humanique generis hiſtoriis ſatis inſtructus omnia de Africa ex antiquis iuxta ac recentibus libris colligat, ad rerum fidem aut probabilitatem & ad critices hiſtoricae canones exigat, eaque adeo, quae aut fidem aut probabilitatem habeant, ſeiungat a falſis ac commentitiis; alterum eſt, ut exſiſtant inter reges & principes Europae, qui peregrinationum in interiora Africae, ab oriente non minus quam ab occidente & aliis partibus, ſtudia incendant, ſua liberalitate ſuſtentent, eaque re literis opportunitatem eam afferant, ut lacuna illa, quae in ingenti illa naturae tabula ſtudium omne tanquam hiatu intercipit, & rationes a viris doctis ſubduci ſolitas turbat, tandem aliquando expleatur; quibus ubi acceſſerit interior aliqua notitia terrarum ultra Gangem ſitarum, pauca erunt, quae ad globi noſtri terraquei, animantiumque in eo degentium, humanique generis hiſtoriam praeterea requiri debeant.

De *Aethiopibus* quae narrat Diodorus, non unius eiuſdemque auctoritatis ea ſunt: nam primo de eorum rebus & origine nonnulla apponit, opinione potius & coniectura, quam idonea aliorum fide & auctoritate; inde (a cap. 12) geographica ſubiicit, quae praeclara ſunt, & ex *Agatharchide* petita, ut ſtatim videbimus.

Primo igitur (a c. 1 — 10) Aethiopes non modo indigenas eſſe tradit, id quod condonari poterat, verum & Aegyptios ab iis ductos eſſe: qua in re auctorem, quem quidem ſecutus ſit, non edit; Graeculum eum fuiſſe neſcio quem manifeſtum ſit, qui non fide hominum narrata haec acceperat, ſed ſophiſtice ac rhetorice Aethiopum origines Aegyptiacis primordiis antetulerat: intelligitur hoc ex rationibus, quas affert de animantibus ex terra calore ſolis generatis, tum de Aethiopum pietate ab Homero celebrata; porro Aegyptiaca inventa & inſtituta, cum Aethiopibus communicata, (cf. Herod. II, 30, & v. paulo poſt) ad Aethiopes tanquam auctores transfert: inter quae parum docte literas hieroglyphis antiquiores fuiſſe cenſet. Similia ſomnia etiam leguntur apud ſcriptorem libelli Lucianei de Aſtrologia. Verum abiicienda haec de Aethiopum antiquitate & ex libellis hiſtoricis eiicienda eſſe, ſtatuet mecum, quiſquis ea fundo idoneo deſtituta & ab hypotheſi temere concepta eſſe profecta cognoverit.

Meliora argumenta aliunde duci forte poterant; & pri-

mo quidem probabile admodum eſſe, ex editioribus Aethiopiae locis homines deſcendiſſe ad Aegypti campos: quod quis neget? modo illos homines barbaros fuiſſe concedas, non vero cultus humanioris inter Aegyptios auctores. Ex ſuperiore Aegypto ad inferiorem incolendam progreſſum factum eſſe nemo dubitet; fuere quoque Aethiopum regum dynaſtiae in Elephantine conſtitutae: nec tamen ex his cogitur, illos cultum & religiones Aegyptiorum ſecum intuliſſe; etſi ritus & inſtituta forte nonnulla vicinis Aegyptiis communicari potuere. Fraudem porro in nomine Aethiopum obiici memineris, tam parum finito eo & conſtituto, ut modo in ulteriore auſtro, modo ad Aegypti fines, modo in Aegypti finibus incolentes advenas ex auſtro, eo nomine deſignatos videas, nulla ceteroquin originis verae ratione habita.

Subiicit inde (a c. 5) alia Aethiopum inſtituta, quae tamen ad unum tantum ex iis populum, qui *Meroën* inſulam & urbem in Nilo ſitam incoluit, ſunt revocanda; quod & ipſe (ſub c. 7 f.) tandem monet, quodque comparatione Strabonis (lib. XVII, p. 1177 C.) facta intelligitur. Quem auctorem ſecutus ſit, diſcere licet ex c. 11, *Agatharchidem* ſcilicet *Cnidium* lib. II *rerum Aſiaticarum* (*τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν*), & *Artemidorum Epheſium* libro VIII *Geographiarum;* ut tamen ea deligeret, quae ipſe, cum in Aegypto verſaretur, auditu acceperat, tum a ſacerdotibus Aegyptiis, tum a legatis Aethiopum. Interſperſa forte nonnulla ſunt *ex Cteſia,* qui ubi de Semiramidis in Aethiopes expeditione agebat, res Aethiopicas attigerat, ſaltem ſepulturam corporum vitro obductorum, (hoc eſt bitumine, ſeu gummi, vernicem nos appellamus) 1; niſi eundem, tanquam popularem ſuum, iam Agatharchides adhibuerat. Putes tamen plura Diodorum de Aethiopibus his reſcire potuiſſe; nam Romani eo tempore Petronio duce in Aethiopiam uſque ad Napata progreſſi erant, ſub a. U. C. 731, 2, (v. Strabo l. c. p. 1175) ipſe autem Diodorus tertio hinc anno adiit Aegyptum (a. 734), ut adeo legatos, de deditione a regina Candace miſſos, fuiſſe eos ipſos, quos Diodorus conveniſſe narrat, credere liceat 2.

1 Vid. Diod. II, 15, ubi conf. Weſſeling. poſt Herod. III, 24; add. Strab. XVII, p. 1178 A. B. p. 1125 B.

2 Succeſſiſſe alia bella poſt haec tempora in his locis, quibus facies eorum immutata eſt, intelligitur e Plinio VI, 29, ſ.

Aethiopiae notio apud Homerum iam occurrit, etſi fabuloſa, hactenus tamen memorabilis, quod alios orientem verſus, alios ad occidentem Aethiopes agnoſcere videtur, de quibus multa diſputat Strabo (I, p. 58, & al.) Agnoſcit quoque utroſque, Aſiae alios, Indis ſimiliores, alios Africae, Herodotus (VII, 70). Idem Herodotus iam de Meroë audierat, & XII dierum itinere ab Elephantine facto Aegyptios transfugas, qui ſub Pſammeticho receſſerant, inter Aethiopes conſediſſe norat: qua ipſa re hoc Aethiopum genus Aegyptia inſtituta adſciviſſe quis miretur? ipſe quoque Herodotus iam tum manſuetiores Aethiopes receptis his accolis factos narrat (II, 30). Habitabant quoque permixti cum Aethiopibus Aegyptii in ipſis confiniis circa Elephantinen inſulam Nili (II, 29). Acceperat idem fabulam de Seſoſtride illa loca cum copiis pervagato, (II, 102; add. Strab. XVII, p. 1114 A.) & de Aethiopibus ab eo victis (II, 110). Mox narrat, Cambyſen Aethiopes ſubiugare voluiſſe (III, 17 ſq.): *macrobios* eos appellat, ſede ultra conterminos Aegypto Aethiopes aſſignata; (add. III, 97) viros proceris ac pulchris corporibus (III, 20). Miſerat ad eos Cambyſes legatos ex Ichthyophagis ab Elephantine arceſſitos, qui linguam callebant. Quam infeliciter res regi ceſſerit, ut exponam, opus non eſt. In Strabone (XVII, pag. 1176 A.) locus, quo exercitus perierit, memoratur inter Pſelchen & Premnin, parvam puta; nec dum adeo ad Catarractam maiorem pervenerat. Suſpicari adeo licet, macrobios illos nullos alios fuiſſe, quam eos qui Aethiopiam proprie dictam circa Meroën habitabant, adeoque Abeſſinios, qui inter vetuſtiſſimas humani generis ſtirpes referendi eſſe videntur[1]. Tandem Herodotus inter eos, qui dona Perſarum regibus, ſaltem Dario, miſerant, memorat Aethiopes, primo Aegyptiis conterminos, tum qui Nyſam ſupra Aegyptum incolerent (III, 97; II, 146); eos ex Troglodytis fuiſſe ex eodem loco (III, 97) colligo, forte ex plagis litoralibus maris rubri: conveniunt munera, aurum, ebenum, ebur cum pueris, miſſa: & diſerte idem Aethiopiam Arabiae ex adverſo poſitam alio loco agnoſcit (III, 114).

35, ubi *miſſi a Nerone principe renuntiavere ſolitudines uſque ad Meroën.*

1 Si Plinium excutias, contra Meroën in occidentali parte habitarunt: in orientali Megabari; lib. VI, 30, ſ. 35, p. 346.

Verum de ceteris Aethiopiae partibus diſerta narratio non niſi Ptolemaeorum regum ſtudiis debetur, a quibus, inprimis a Philadelpho, miſſi ſunt, partim qui elephantis venandis operam darent, partim qui alia animantia cognoſcerent, maxime in finibus orientalibus verſus mare rubrum. Ad poſteritatem ea ſcripto prodidit *Agatharchides*, quem ſub Ptolemaeo Phyſcone & Lathuro vixiſſe declaratum eſt 1; hinc *Artemidorus*, qui illum ſecutus eſt 2. Auctor uterque graviſſimus, a quibus quae tradita ſunt, maximam utique habent auctoritatem. Et noſter quidem Agatharchide maxime eſt uſus, homine Cnidio, regis Ptolemaei pueri tutore, ſive Alexander ille fuit, ſive Soter II, ſeu Lathurus. Inter alia ille ſcripſerat ad ſuum pupillum *libros V de rubro mari*, e cuius libro primo & quinto nonnulla ſervavit Photius 3, quae cum Diodoro a viris doctis comparata ſunt. Scriptorem gravem, veritatis ſtudioſum facile agnoſcas; uſum ſe profitetur narrationibus ad reges miſſis ab iis, quibus navigatio in haec loca mandata fuerat, maxime ut elephantos venarentur; idemque ſubſiſtere ſe ſub finem operis ſignificat, commentariis propter Aegyptiorum defectiones & ipſis deficientibus 4. Ar-

1 A Dodwello. Add. Weſſeling. ad Diod. III, 11.

2 Ut intelligitur v. c. ſi Strabonem compares p. 1114 B. C. ubi etiam docemur, Eratoſthenem iam antea, ubi de Arabia agebat, haec loca attigiſſe, ſed ſtrictim. Add. p. 1120, 21; inpr. lib. XVII pr. Omnino hoc ordine virorum doctorum opera progreſſa eſt, ut Eratoſthenes, cui Timoſthenes praeluxerat, pro fundo eſſet geographiae, cui ſuperſtruerent ſua Agatharchides, tum alii. Videtur tamen & harum narrationum fundus aliquis in Cteſia fuiſſe (v. paulo ſup. p. LIX). Aelianus quidem H. A. XVI, 31, de Cynamolgis laudat e Cteſia ſimilia iis, quae Agatharchides habuit. Quae ab aliis praeter illos tradita fuerint, v. ap. Plin. VI, 29, ſ. 33 ſq. ubi inprimis Timoſthenes & Bion, idem qui a Syncello p. 359 cum Polyhiſtore laudatur, notandi, cum Iuba, qui diligentiſſime de Troglodytice quae narrantur perſecutus eſſe dicitur. Alia Fabuloſa de orientali parte tradita idem Plinius apponit ſ. 35: *Ferant certe* &c.

3 V. fragm. p. 14 Geogr. min.

4 Ad quem annum defectiones illae referendae ſint, definire non auſim, cum plures numero fuerint; illa autem, qua Thebae deletae ſunt, Olymp. CLXXIV, 2, a. C. 83, neſcio an ſerior fuerit. Fuerat Agatharchidis maius opus τῶν περὶ Ἀσίας libris X, & τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην libris XLIX. Ex priore illo, Aſiaticis inquam, librum II laudat Diodorus lib. III, 11, cum Artemidori libro VIII, tanquam optimum fontem eorum, quae de Aegypto & Aethiopia tradantur;

temidorum Epheſium, qui eadem fere aetate (fuit enim Agatharchide natu minor) opus geographicum XI libris conſcripſerat, quemque ipſe (III, 11) in iis, quae de Aegypto & Aethiopia tradita ſint, inter praeſtantiores ſcriptores refert, vix in iis, quae de Troglodytice & Aethiopia expoſuit, adhibuiſſe videtur; conveniunt enim omnia cum Agatharchide. Hunc tamen ipſum expreſſerat in hac parte Artemidorus, ut comparatione Strabonis, qui eum ante oculos habuit, facta intelligitur; niſi quod Artemidorus alia adiecerat, & totum terrarum orbem erat perſecutus. Epitome ex eo ab Marciano Heracleota facta ſupereſt; omiſſa tamen a ſe in epitome ea, quae ad Aethiopiam ſpectant, ipſe epitomator fatetur (ſub init.)

Ex *Agatharchide* igitur hauſit Diodorus ea, quae (inde a c. 12 ad 37) ſequuntur: & primo quidem locus praeclarus *de metallis auri in finibus Arabiae ab Aegypti regibus exquiri ſolitis;* (III, 12, 13, 14) inde de *Ichthyophagis*, h. e. de populis non certae alicuius ſtirpis eo nomine appellatae, ſed de diverſis populis piſcario victu utentibus, quos tamen late per litus Oceani orientalis, Gedroſiae & Caramaniae, hinc per oram Arabiae, quae Perſidi obverſa eſt, & per oram auſtralem ſinus Arabici ſparſos memorari tenendum eſt. (Diod. III, 15. Agatharch. p. 27; Geogr. min. T. I.) Diodori autem & fragmentorum Agatharchidis comparatione facta intelligo, eos, de quibus maxime agit Diodorus, Ichthyophagos eſſe in ipſa Troglodytica paſſim habitantes, inde a ſinu immundo verſus orientem (cf. Strab. p. 1115 B. 1118 B. 1119 B. 1113 D.) quid? quod partem eorum, quae narrat Diodorus (c. 15, 16), Strabo ad Troglodyticam circa Deiras revocat (p. 1118). Omnino Diodorus parum diligens fuit

ut adeo probabile fiat, ſecutum & ipſum eſſe eos ſcriptores in his, quae de Aegypto & Aethiopia expoſuit. Si tamen recte iudico, ſpectarunt illa non tam ad hiſtorias, quam ad locorum deſcriptiones & ad geographica. His enim finibus omnino continebatur Agatharchidis quoque opera, qui poſt Lycum & Timaeum, Hecataeum & Baſilidem, Diophantum & Demetrium, (qui reliquas orbis terrarum partes deſcripſerant,) auſtrum perſequendo abſolvere deſcriptionem voluit (p. 4142). Omnino illo loco (c. 11) paulo perturbatior eſt Diodori oratio, ut non explicitum ſatis ſit, reſpiciatne illa quoque, quae libro I de Aegypto tradiderat.

in locorum, quae ſinguli populi incolerent, ſitu declarando: quem Strabone duce, qui & ipſe Agatharchidem (cum Artemidoro tamen) ante oculos habuit, XVI, p. 1114 ſq.) curioſius notando, non male me de Diodoro mereri arbitrabor.

Primo quidem, quae ab initio (c. 15, 16, 17) de Ichthyophagis aeſtum maris obſervantibus & quaternis diebus eſu piſcium conſumtis quinto quoque die ad potum ſe conferentibus narrantur, haud dubie ad incolas litoris auſtralis maris rubri, qua Troglodytice vulgo dicta patet, ſpectant; & quidem ad loca intra fauces eius maris, Deiras dictas a Geographis; (cf. c. 18 pr. Agatharchid. p. 31) circa Deiras quoque eoſdem populos memorat Strabo (pag. 1118.) Procedit inde narratio ad oram exteriorem, h. e. ad Troglodyticen extra fauces maris rubri, in qua occurrunt Aethiopes ἀπαθεῖς [1], ab incredibili ſtupore, quo & vulnera & mortes ſuis infligi videbant, appellati (c. 18. Agatharch. p. 33.) Habitabant ii partim in ſpecubus, partim in tuguriis cetorum ſpinis & oſſibus factis, alii ſub contextis arborum ramis, alii ſub aggeſto fuco marino (c. 19. Agatharch. p. 32, 33. Strab. p. 1118 f.) Tandem genus fuit in abruptis rupibus degentium (c. 20. Agatharch. p. 33, 34.) Inde *Chelonophagi* (c. 21), qui & victum & habitacula ſua e teſtudine marina petebant, in inſulis Sporadibus quaerendi ſunt cum in ipſis faucibus ſinus Arabici, (Strabo p. 1118 B. 1114 A. B.) tum extra eas (id. p. 1119 A. Agatharch. p. 34 & 56.) Subiicit Diodorus modum victus parandi, quo Ichthyophagi Babyloniae utuntur (c. 22), ad oſtia Euphratis (Strab. XVII, p. 1082 B.) ſiti. Ceterum in horum populorum rebus cognoſcendis interdum miratio ſubiit conditionis & naturae humanae, quatenus homines belluino more viventes, ſolo & coelo, quo illi nati ſunt, non aliter quam ferarum genera, tanquam Dei alicuius imperio ac nutu, adſcripti & aſſignati eſſe videntur, ut natale ſolum evagari non liceat. In tanta enim victus egeſtate, rerum comeſtibilium penuria, ſoli coelique inclementia & aſperitate, quis non exſpectet, eos populos finibus ſuis egreſſos fertiliores agros & meliorem victus potuſque copiam eſſe circumſpecturos? Hoc tamen haud in animos admittunt populi per tribus ac ſtirpes habitantes; magna

1 Iidem dicti ἄδιψοι.

vero rerum converſione facta opus eſt, ut a belluina vita ad venatoriam, aut paſtoritiam progrediantur. Hactenus bella & proelia, quae incidunt, ingens generi humano magiſterium & diſciplina eſſe ſolent, qua ex naturali ſopore & ſtupore excitati & expergefacti homines animi corporiſque viribus uti incipiant.

A litore hinc Diodorus ad loca procedit mediterranea; quos enim commemorat *Aethiopes* radicum paluſtrium arborum, ſeminumque victu ſe ſuſtentantes, (*Rhizophagos, Hylophagos* & *Spermatophagos* appellat c. 23, 24) ad loca ſpectant circa fluvios Aſtapum, Aſtaboram & Aſtoſobam, niſi hic unus idemque cum Aſtapo eſt, (cf. Strab. p. 1116 A. B. 1177 B. 1134 B. Agatharch. p. 36 extr. 37) adeoque ad regnum, cuius caput Meroë erat; iiſdem annumerandi *Venatores*, & qui verſus occidentem remotiores ſunt *Elephantomachi* (c. 25, 26, 27. Agath. p. 39, 40, 41). In his numerat Aethiopes *Simos*, at verſus meridiem *Struthophagos* (c. 28), & parum ab his remotos *Acridophagos* (c. 29), qui locuſtis veſcuntur, in deſerti confiniis, unde nubes locuſtarum advolant: his ait praetendi terras immenſas, ſed ſerpentibus & reptilibus ab incolis vetuſtis relictas; in extremis auſtralibus partibus *Cynamolgos*, homines feros, haerere ait, qui boum ſilveſtrium venatu & canino lacte vivunt (31). Nec ab his recedunt fragmenta ex Agatharchide apud Photium (pag. 32, 43, 44); conveniunt & in iis, quae de *Troglodytis* commemorantur (p. 45 — 48, & Diod. l. c. c. 32, 33, 34), nullo locorum ſitu declarato: quae tamen conſtitui forte poſſunt paulo accuratius e Strabone, qui Artemidorum auctorem adhibuit (p. 1114 C. B.). Troglodytarum quidem nomen parum idoneum ad geographicam ſubtilitatem, cum habitandi morem, non populorum ſtirpem declaret, late patet & ad plures populos per Arabiam, Libyam & Aethiopiam ſpectat, qui in ſpeluncis & terrarum cavis degunt; eſt autem magna ſpecuum copia in multis terrarum regionibus partim ignium ſubterraneorum vi, partim aquarum eluvie aliiſque de cauſis. Sed qui *proprio* aliquo nomine *Troglodytae* appellantur, ſunt Aethiopes in litore maris rubri, quod Arabiae obverſum eſt, habitantes. Fuere quidem recentioribus ſeculis Luſitani aliique, qui in eam plagam litoralem paſſim eſcenderent, ſed vix illi loca deſerta adeuntes, verum emporia; videntur ta-

men vitae humanioris cultum aliquem in multa ſaltem loca intuliſſe Arabes, a Mohammedicis inde temporibus [1], qui paſſim emporia tenent, tum etiam Habeſſinii; & forte iam antiquis temporibus Graeci a Ptolemaeis miſſi ad elephantos parandos; ab his hominibus totum hoc litus adiri & paſſim caſtellis intercipi coepit; (v. Strab. pag. 1114 ſq.) ut Evergetae expeditionem in haec loca, de qua monumentum Adulitanum (apud Coſmam Indopleuſten Tom. II, p. 141 ſqq.) teſtabatur, taceam. Sed in Troglodytis his, qui litus dictum inhabitant, ex Strabonis accuratiore deſcriptione *Colobi*, h. e. ii, qui praeputia non circumcidunt ut ceteri, ſed praecidunt, (pag. 1114 C. & Diod. meminit c. 32 ſ.) iuxta fauces ſinus Arabici habitarunt: his ſubiacebant verſus auſtrum *Cynamolgi* (pag. 1116 C.) At paulo ſupra inter Sabas & Deiras, ſeu fauces ſinus Arabici, *Elephantophagi*, (p. 1117 A.) longius verſus auſtrum *Struthophagi*, (B. C.) finitimi his Sili ſ. Simi, (ibid. D.) & his finitimi *Acridophagi*, (p. 1118 A.) ab auſtro vero contigua deſerta ab reptilibus obſeſſa (ib. B.). Ita ſatis patet, omnia, quae narrata ſunt de Aethiopiae populis, non niſi *ad orientalem plagam* ſinui Arabico ſubiectam ſpectare.

Pergit Diodorus *de animantibus Aethiopiae*, hoc eſt eiuſdem tractus, quem modo dixi, commemorare (c. 34 — 37), quae & ipſa *ex Agatharchide* tranſcripta ſunt; (cf. fragm. p. 49 — 56) ex quo ſua hauſerat quoque, etſi nonnullis de ſuo forte additis, Artemidorus, ut comparato Strabone (pag. 1120, 1) ſuſpicari licet. Eodem modo uterque, & Diodorus & Strabo, verſantur in *Arabiae ora maritima* perſequenda; nam hic Artemidoro duce uſus (p. 1122 — 25), non multum diverſa narrat a Diodoro, qui Agatharchidea preſſe ſequitur, inde ab intimo ſinu navigatione facta uſque ad Arabes Sabaeos: (c. 38 — 48) uti comparatione cum fragmentis ex Agatharchide intelligitur; (pag. 56 — 59) etſi ipſe Diodorus (c. 38) profitetur, ſe tradere *alia ex regiis Alexandriae commentariis, alia auditu ex his qu. ea viderint accepta* [2]. Quod quidem ultimo loco dictum eſt, hactenus verum eſſe poteſt, quia ex Aelii Galli ex-

[1] Arabes tamen iam antiquis temporibus in alterum continentem ex Arabia traieciſſe nemo dubitet. Et commemorat Arabes in Troglodytice Plin. VI, 29 ſ. 33 f.

[2] Ποιησόμεθα τὴν ἀναγραφὴν τὰ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βα

peditione in Arabiam illa aetate ſuſcepta (v. c. 730) eſſe poterant ſeu Alexandriae ſeu Romae, qui rebus gerendis interfuerant; at quod de commentariis regiis ait, ad Agatharchidem ſpectat, quem exſcripſit. Pauca, quae hinc ſequuntur (c. 49, 50, 51), *de Libya* non minus ex Agatharchide petita eſſe videntur per digreſſionem ab eo narrata; eſt enim idem narrationis color; niſi in his Artemidorum expreſſum eſſe credere licet, qui poſt Eratoſthenem de Libya tradiderat in opere geographico, ut vel ex Strabone (XVII, p. 1181 C. 1185 B.) colligas.

Quae adhuc a Diodoro commemorata ſunt, graviſſimae ſunt auctoritatis; at quae hinc ſequuntur, leviſſimae. Nam de *Amazonibus Libyae* tradita apponit (c. 52 — 55), quae Graeci ſcriptoris veteres fabulas in hiſtoriarum formam mutantis commenta eſſe primo ſtatim oculorum coniectu percipias: cum enim vulgata fabularum de Amazonibus ſedes eſſet Aſia Ponto Euxino finitima, fuit homo, qui aut narrata de inſula hirtarum feminarum in occidentali Africae litore acceperat [1], aut in veterem aliquem poëtam inciderat, aut cum in iiſdem Africae locis, praeter Neptuni religionem & Palladis natales ad Tritonidem paludem, collocatae eſſent a poëtis Gorgones, Perſeique & Herculis profectiones, omnibus his ita uſus eſt, ut Amazonum res ad ea loca revocaret, & cum iiſdem fabulis in unum conglutinaret. In quibus vix a Diodoro exſpectaſſes, ut is ſibi imponi pateretur: profitetur autem ſe ea repetere ex *Dionyſio* [2]: *Mileſius* ille eſt, *Cyclicus* quoque dictus, quoniam Cyclum partim mythicum partim hiſtoricum ſcripſerat, in quo origines hiſtoriarum, hoc eſt, mythos, ita perſecutus eſt, ut verae hiſtoriae eos praemitteret, improbo tamen ſtudio in hoc, quod fabulas ad hiſtoriarum formam revocare, rerum vere geſtarum ſpe-

σιλικῶν ὑπομνημάτων ἐξειληφότες, τὰ δὲ παρὰ τῶν αὐτοπτῶν πεπυσμένοι.

1 Etſi enim de Hannonis Periplo nihil definire auſim, ſitne ille, Graece factus, qualem nunc habemus, ad eadem tempora, quibus navigatio facta eſt, (in ſextum an in quartum ante C. N. ſeculum) revocandus: mature tamen inter Graecos fabula illa de feminis toto corpore hirſutis & ſine coitu marium ſponte foecundis (Mela III, 9) vulgari potuit.

2 C. 52: ἀναγράφειν τὰς πράξεις πειρασόμεθα ἐν κεφαλαίοις, ἀκολούθως τῷ Διονυσίῳ τῷ συντεταγμένῳ τὰ περὶ τοὺς Ἀργοναύτας καὶ τὸν Διόνυσον καὶ ἕτερα πολλὰ τῶν ἐν τοῖς παλαιοτάτοις χρόνοις πραχθέντων.

ciem iis induere, mythoſque ſcriptoris pragmatici more tractare inſtituit, ita ut ad veriſimilitudinem & ad probabilitatis hiſtoricae legem exigeret ea, quae a poëtis ſeu antiquis ſcriptoribus eſſent narrata. Quo quidem conſilio nihil poterat eſſe ineptius, nihil ad ipſas hiſtorias pernicioſius. Itaque Amazonum ille, tanquam populi, magni imperii conditoris & orbis terrarum victoris, res geſtas condidit. Vixit autem ille ſub extrema Hecataei tempora, paulo ante Herodotum, aut hoc adhuc puero, aetate ultra Darii mortem protracta [1], quandoquidem ipſe *τὰ μετὰ Δαρεῖον* quinque libris conſcripſerat, una cum Perſicis, ſi modo haec diverſa fuere; ſed inprimis Cyclus ille paulo ante commemoratus celebritatem nominis ei comparavit [2].

Quod vero multo minus ignoſcam Diodoro, eſt, quod fabuloſam de *Atlanteis* narrationem, tanquam populi in extrema Africa olim florentiſſimi, intexuit (cap. 56—61; add. c. 54), qua quidem ille narratione multis viris doctis, ex recentibus quoque aetatibus, fraudem fecit, eoſque induxit, ut multarum hypotheſeon fundum facerent fabulam hiſtoriae ſeveritate & auctoritate prorſus indi-

1 Haud diffiteor, mihi vix ſatis probabile viſum, iam Herodotea aetate de fabulis veterum ſcriptorem aliquem arguta hac ſubtilitate agere inſtituiſſe. Rerum tamen argumentis & ſcriptorum auctoritati refragari non licet.

2 Actum de hoc homine Not. ad Apollodor. T. III, pag. 980. Virgil. T. II, p. 221. A Schol. Pindari ad Iſthm. IV, 104, Dionyſius *ἐν πρώτῳ κύκλων* laudatur, quae ſi vera lectio eſt, plures Cyclos, ſaltem Cyclum duplicem *μυθικὸν* & *ἱστορικὸν*, exſtitiſſe recte ſtatuas; ſed forte vitium eſt pro *κύκλου*, uti apud Schol. Euripid. ad Phoen. 1123 legitur, ubi ex lib. I Cycli de Argo Ius cuſtode fabula repetitur; potuit quoque idem Cyclus, cum & mythica & hiſtorica comprehenderet, modo pro uno, modo pro duobus diverſis libris haberi. Mythicum cyclum bene declarat Diodor. paulo poſt de Dionyſo c. 65: *Διονυσίῳ τῷ συνταξαμένῳ τὰς παλαιὰς μυθοποιΐας. οὗτος γὰρ τά τε περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰς Ἀμαζόνας, ἔτι δὲ τοὺς Ἀργοναύτας, καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον πραχθέντα, καὶ πολλ' ἕτερα συνέταξε, παρατιθεὶς τὰ ποιήματα τῶν ἀρχαίων τῶν τε μυθολόγων καὶ τῶν ποιητῶν.* Erant adeo in eo comprehenſae res Bacchi, Amazonum, Argonautarum, bellum Troianum, (quae ſingulatim ab aliis tanquam volumina ſeparatim ſcripta enumerantur) cum aliis multis, & in iis ea, quae in veterum mythologorum & poëtarum carminibus ac ſcriptis tradita erant, exhibuerat: hoc eſt *παρατιθέναι*, non, *adiungere*, ut vertitur h. l.

gnam. Fundum ei feciſſe videntur partim antiquus fabulandi mos, quo Solis, Noctis, Somni, Tartari, Titanum, & rerum inferarum aliorumque mythorum ſedes ad extremum occidentem collocatur, in rebus Perſei inprimis & Herculis; partim Homeri loca de Aethiopibus; partim fabulae de Crono, de Atlante, & alia. Unde haec hauſerit Diodorus, expreſſis verbis non declaravit, pateſcit tamen ex toto narrationis ordine, etiam in his *Dionyſium Mileſium* ei ante oculos fuiſſe; quem auctorem quoque in iis, quae ſequuntur, habuit, de Dionyſo, (62 ad libri f.) de quo, praemiſſis philoſophicis interpretationibus nonnullorum apponit narrationes tanquam rerum vere a Dionyſo ſeu Baccho triplici geſtarum [1]; tum ſubiicit narrationes, quas Libycas vocat, ex eodem *Dionyſio* diſerte appellato, ſimiles prorſus & cognatas cum illis, quae de Amazonibus & Atlanteis in ſuperioribus expoſuerat [2]. Quod autem in his mirationem mihi fecit, erat, quod, ad Euhemeri fere rationem, in Deorum ordinem tranſiiſſe narrantur homines, qui aliquando rerum geſtarum fama clari & de genere humano bene meriti fuerant: ut adeo iam integro ſeculo ante Euhemerum eandem opinionem non

1 C. 64 Antimachum excitat, qui cum aliis poëtis Lycurgum non Thraciae, ſed Arabiae regem ediderat.

2 Fuere tamen & alii, qui Dionyſio conſona traderent: eod. loc. c. 65 extr. διέξιμεν ἐν κεφαλαίοις τὰ παρὰ τοῖς Λίβυσι λεγόμενα (vana profeſſio primi auctoris) καὶ τῶν Ἑλληνικῶν συγγραφέων ὅσοι τούτοις σύμφωνα γεγράφασι, καὶ Διονυσίῳ τῷ συνταξαμένῳ &c. v. paulo ſup. not. Quam parum critici acuminis huic homini fuerit, intelligas ex eo, quod c. 66 narrat, Linum, allatis a Cadmo literis primum uſum, ſtatim res Dionyſi perſcripſiſſe, (τὸν δ᾽ οὖν Λίνον φασὶ τοῖς Πελασγικοῖς γράμμασι συνταξάμενον τὰς τοῦ πρώτου Διονύσου πράξεις καὶ τὰς ἄλλας μυθολογίας ἀπολιπεῖν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν); iiſdem literis uſum Orpheum & Pronapidem, Homeri magiſtrum, nec non Thymoetam, Laomedontis nepotem & Orphei aequalem, qui Libyam & Nyſam montem in extremo occidente, in quo Bacchus educatus ſit, adierit; eundem inde reducem ſcripſiſſe earmen, quod vocant *Phrygiam poëſin*: καὶ τὰς κατὰ μέρος τούτου τοῦ θεοῦ πράξεις μαθόντα παρὰ τῶν Νυσαέων, συνταξάμενον τὴν Φρυγίαν ὀνομαζομένην ποίησιν, ἀρχαϊκῶς τῇ τε διαλέκτῳ καὶ τοῖς γράμμασι χρησάμενον. Fuit igitur aut fingitur fuiſſe *vetus carmen*, quo Libycae hae narrationes continerentur, quae cum fabulis Cybeles coagmentatae erant, ut ex his capp. apparet, ut ab homine ſacrorum Phrygiorum cauſas tradere volente profectae eae videri debeant.

a philoſophis modo, verum etiam a ſcriptoribus nonnullis probatam fuiſſe manifeſtum ſit. Debuit vero mature in eam incidere paulo ſagacior quiſque, ſi Herculis & Bacchi ſimiliumque heroum inter Deos receptorum exemplum ad Deos ita transferebat, ut & de iis eorumque origine eodem modo ſtatueret.

Eundem *Dionyſium Mileſium* ſequi putandus Diodorus LIBRO QUARTO in *fabulis Graecis* exponendis; & primo quidem de Dionyſo ſeu Baccho, interpoſitis nonnullis de Priapo & de Muſis (c. 6 & 7), inde c. 8 — 39 de Hercule, intertextis fabulis Orphei, Atlantis & Amazonum, tum (40 — 56) de Argonautarum expeditione, adeoque de Iaſone & Medea, inde de Heraclidis uſque ad Hylli mortem (c. 57, 58), & de Theſeo (59 — 63). Subiiciuntur narrata de rebus Thebanis (c. 64 — 67). *Dionyſium Mileſium* in his ante oculos fuiſſe, primo, rerum ad cycli inſtar conſtituto ordine & toto orationis colore, narrationiſque prava illa ratione intelligitur, qua ad hiſtoriarum ordinem revocat res fama obſcura acceptas, a poëtis narratas & ornatas, & inter eos homines geſtas, quibus ea conſilia ac ſtudia, quae iis tribuuntur, illo utique aevo eſſe non potuere; quid enim moleſtius, quam narratum legere, Bacchum, Herculem aut Theſeum, magni ducis more exercitum ducere, praeclara de hominibus ad meliorem vitae cultum adducendis conſilia agitare, & ſic alia; tum vero id docent nonnulla loca cum iis comparata, quae paſſim ex Dionyſio Mileſio laudantur, primo in Argonauticis, tum in rebus Thebanis 1.

1 Non latuere loca doctum Diodori interpretem Weſſ. primo c. 41 extr. quod Argonautarum dux editur Hercules: id quod a Dionyſio traditum ait Apollodor. I, 9, 19, p. 59. Porro c. 48, quod Iphin Stheneli f. Euryſthei fratrem ab Aeeta in Colchis caeſum edit, ab eodem Dionyſio acceptum memorat Schol. Apollonii Rh. IV, 223, 229. Utque c. 49 Byzantium appuliſſe Argonautas narrat Diodorus; ita in ea urbe nuptias Medeae & Iaſonis factas Dionyſius ap. Schol. eund. IV, 1154. Omnino reditus Argonautarum tam diverſis modis memoratus (vid. ad Apollodor. Not. pag. 206) ad hiſtoricam fidem expoſitus erat a Dionyſio Mileſio, ita ut duce Hercule, per Boſporum, Propontidem & Helleſpontum reduces Troiam expugnarent. Etiam Herodorus eadem via rediiſſe, qua profecti erant, Argonautas ediderat. De bello Epigonorum cf. ad Apollod. pag. 638; hoc cum bello Thebano ex Dionyſio tranſcriptum eſſe ut paulo confiden-

Interea tamen alios quoque auctores Diodorum non neglexiſſe ſi quis contendat, non repugnem; etſi, quoties aliorum auctoritate utitur, id Dionyſii verbis factum eſſe potuit. Ita de diverſis Bacchis diſputat; cum ſcilicet, praeter Bacchum ex Oſiride effictum, Thebanus alius, alius Sabazius 1 haberetur. De Priapo (c. 6) etiam ad veteres provocat; nec tamen valde antiqua ſunt, quae inde profert. In Hercule (c. 8) antiquiſſimos poëtas & mythographos ſe ſequi velle profitetur, iraſcens iis, qui in narrationibus antiquis veritatem nimis ſubtiliter exquirunt. Quo vel uno loco homo iudicii parum ſubtilis & ſuperſtitioſae levitatis, veterum mythorum naturam & originem prorſus a ſe ignorari, prodidiſſe videri debet 2. Ubi Hercules ad Ligures, inde in Italiam perveniſſe narratur, (c. 20, 21,) interpoſita nonnulla ſunt a Diodoro, aliunde accepta, primo de mira Ligurum laboris patientia, etiam in feminis parturientibus notabili, qui locus e *Poſidonio* petitus eſt, tum de acceſſu ad Tiberim & ſacro ibi inſtituto: quae in Romanis quoque ſcriptoribus occurrunt. De Gigantibus ad Phlegram internecione deletis cum ad alios, tum ad *Timaeum* provocat (c. 21 extr.) Ceterum Dionyſium Mileſium, modo ille non pravo narrandi conſilio in tranſverſum raptus fuiſſet, diligentiſſimum fabularum ſcriptorem fuiſſe, agnoſcas maxime in Herculis rebus & in Argonautarum expeditione. Diodorum in his nonnulla ſive de ſuo ſive ex aliis interpoſuiſſe non negem, ut cum c. 56 de fabularum de Medea inter tragoedos varietate monet, & quam falſa ſint de Argonautarum reditu tradita. Secundum ſuperiora ſuſpicari licet,

tius ſuſpicer, faciunt ipſa loca Diodori III, 52, 65, quibus cyclographum eximia laude ornat. Tandem & illud cum Dionyſii genio convenit, quod vetuſtiores poëtas comparatos vides c. 65, 66. Cum itaque eum certis in locis ducem ipſi fuiſſe liquido conſtet, reliqua iis ſimillima ex eodem fonte fluxiſſe credibile eſt.

1 In hoc Philochori locum Diodoro ante oculos fuiſſe cenſebat Scaliger; quod tamen parum probabile, etiam Weſſelingio iudice ad c. 4, n. 52.

2 Matridem Diodoro ad manus fuiſſe ſuſpicatus eram in Notis ad Apollodor. Tom. I, p. 340. Scripſerat *Matris* Encomium Herculis, in quo rhetorice eius res & facta exornaverat Mentionem tamen hominis a nemine factam memini, praeterquam ab Athenaeo X, p. 412 B. & idem aliud Herculis Encomium laudat *Caucali* Chii, rhetoris, qui frater Theopompi hiſtorici fuit.

propter argumenti vicinitatem narrationiſque genium, non minus ex Dionyſio mutuata eſſe, quae extremam libri quarti partem conſtituunt, fabulas miſcellas & per ſaturam appoſitas: de reliquis ex Aeoli ſtirpe prognatis (67 — 70), de Lapithis & Centauris (c. 71), de Aeſculapio (c. 72), de Aſopi & Aeaci ſtirpe (c. 72). Inde de Pelopis ſtirpe (c. 73, 74), de Ili ſtirpe (c. 75), de Daedalo & Minotauro Minoiſque in Siciliam expeditione (76 — 80), interpoſitis tamen de ſuo a Diodoro, utpote Agyrio, Siciliae urbe, oriundo, iis, quae de Engyinorum in Sicilia Deabus matribus leguntur; hinc de Ariſtaeo (c. 81, 82), & tandem (c. 83) de Eryce & Daphnide: in quibus de Veneris Erycinae templo nonnulla adiecta ſunt ab ipſo Diodoro: & c. 85 de Orione.

Quod ſi haec a me partim ex fide aliqua ſcriptorum, partim cum opinionis probabilitate recte dicta ſunt: licebit in tanta narrationum varietate fundum aliquem quaſi ſubſtruere mythis, ut ea, quae Diodori narrationi conſentanea ſint, ad unum auctorem Dionyſium Mileſium cyclographum referantur; ſecernanturque adeo ab aliis, quae & ipſa, ſimili exemplo, ad alios auctores referri poterunt. Ita tandem eo perveniri poterit, ut in mythorum expoſitione ea, quae vetere fama accepta erant, a poëtarum ornamentis tum a mythographorum commentis liberentur. Quae vero Dionyſii auctoritas habenda ſit, ſupra, cum de eius conſilio interpolandi fabulas agerem, expoſitum eſt; ſubſcribeturque adeo a viris harum rerum intelligentibus iudicio meo, fabularum Graecarum nec narrationes nec rationes a Diodoro recte peti poſſe.

In QUINTO LIBRO de *Inſulis* inſcripto (Νησιωτική c. 2) diverſos auctores ſecutus eſt; & quidem primo loco *fabulas Siculas* (c. 1 — 6) exponit Diodorus, inde *de inſulis Aeoliis*, & ceteris *maris mediterranei inſulis* agit (c. 7 — 18). In his ſcriptores Siculos ante oculos habuit, *Timaeum* puto & *Philiſtum*, quos ipſe laudat c. 1 & 6, ut tamen de ſuo multa viſu & auditu accepta, dum peregrinaretur in his terris, interponeret: in hac igitur parte *inter graviſſimos auctores* Diodorum referendum eſſe cenſeo. (cf. inf. Commentat. III.) At quae (c. 19, 20) de inſula Libyae obiecta in Oceano interponuntur, commentitia eſſe manifeſtum ſit, & ex Atlantica Platonis conficta, ex *Poſidonio*

forte repetita 1. Poſidonius enim Apameenſis ſeu Rhodius Polybii hiſtorias libris LII, uſque ad Pompeii tempora continuaverat; eiuſdem liber fuit de Oceano, in quem cenſuram egit Strabo, (lib. II, p. 150 — 162,) qui idem, ante eum & Polybium occidentalis Europae plagam parum cognitam fuiſſe, profitetur. Hunc utique auctorem ſecutus paſſim eſt Diodorus in ſequentibus, quae de *Britannia* (c. 21 — 23; de extremo ſeptemtrione in Caeſaris rebus libro XL egerat, ut intelligo ex III, 38), de *Gallia* (c. 24 — 32), de *Iberia* (c. 33 — 37), de *Liguribus* & (c. 40) de *Etruſcis* tradit. Sed videndum eſt de his ſigillatim accuratius.

In iis, quae de Britannia affert Diodorus, nonnulla de ſuo penu attuliſſe videri debet, patefacta paulo ante a Caeſare Romanis inſula; etſi *Timaeum* quoque ante oculos habere potuit; id quod in loco, qui ſequitur de ſuccino in inſula Baſilia colligi ſolito, factum eſſe certò conſtat 2, quem Diodorus utique ex *Timaeo* exſcripſit, qui

1 Nam ex eo in ſequentibus multa hauſit, & conſtat ex Strabone, Poſidonium in harum inſularum narratione credulitatis nota laboraſſe. Narrationem aliquam de inſulis in Oceano Atlantico ſitis, natam primo ex veterum poëtarum figmentis de Solis occidentis & de Noctis domo, hinc de locis inferis, tandem de Inſulis Fortunatis & Elyſio ad extremum occidentem relegatis, ſtabilierunt rumores partim a Carthaginienſibus (Strab. I, p. 4, 5; III, p. 224 B.) aliiſque navigantibus profecti; (ita Sertorius accepto de inſulis illis nuntio perfugium in iis parare ſibi conſtituerat; v. Plut. Sertor. p. 571, 2) partim a philoſophis, qui, cum noſtrum continentem mari circumductum eſſe noſſent, in vaſto illo mari Atlantico non minus aliis continentibus locum eſſe intelligerent: v. Ariſtot. de Mundo c. 3. Inde fabularum ſedem alii in iis locis conſtituerant, ut Theopompus ſuam Meropidem ap. Strab. VII, p. 458 C. de qua plura apud Aelian. V. H. III, 18, ubi v. Periz. Nec vero, ne ſcriptoris diligentiſſimi fidem elevatum eamus, Theopompus iſta ſuae hiſtoriae intuliſſe putandus, ſed erant illa ex libro θαυμασίων hauſta.

2 De ſtanno in inſula Micti effoſſo iam Timaeus mentionem fecerat apud Plin. IV, 17, 30; ſeu Pytheam Maſſilienſem nominare Plinius voluit, ſeu Pytheam exſcripſit Timaeus, quod fecit utique in loco de ſuccino ſeu electro. Plin. XXXVII, ſ. 11, 1, & IV, 14, 27. De inſula Baſilia quam diverſa ſint recentiorum iudicia, notum eſt. Aliorum opinionibus commemoratis, de Samlandiae litore accipiebat eam b. Murray Nov. Commentar. T. VI, p. 93, ut taceam quae inde agmen virorum doctorum, qui de ſeptemtrione veterum egere, Schœningius, Schlœzerus, Uphagenius, (Parerg. hiſt. p. 479 ſqq.) de ea diſputavit.

ſua *e Pythea Maſſilienſi* petierat: ad quem tanquam primum auctorem iſta referenda erant, non vero ſub Diodori nomine laudanda: adiicit tamen is, & tanquam fabuloſam refellit, narrationem de Eridano & Phaëthonte.

De *Gallia* egerant in geographicis *Eratoſthenes* & *Artemidorus*, in hiſtoricis *Timaeus*, *Polybius* ac *Poſidonius*; nam *Ephorus* fabuloſa pleraque tradiderat auditu accepta, ut e Strabone diſcere licet. Si ex ceteris coniecturam facere licet, fuit & in his *Poſidonius*, quem ſequeretur Diodorus 1, verum adiecit plura, quae ipſe ex Romanis compererat, qui cum Caeſare in Galliis fuerant. Multa autem narrat de Gallorum moribus, Americanorum ingeniis ſimillima, neque aliunde nota; non praetermittenda ab iis, qui ſtudium ſuum in populorum ingeniis & moribus cognoſcendis ponunt.

De *Celtiberis*, *Vaccaeis* & *Luſitanis* (c. 33 — 38) quae a Diodoro adſcripta ſunt, e *Poſidonio* petita eſſe, certa iam eſt exiſtimatio: nam quae de metallis memorata ſunt (c. 37), diſerte tribuuntur Poſidonio auctori a Strabone 2; hoc idem factum in loco de *Liguribus* 3, & in altero de *Etruſcis* 4, de quibus omnino tanquam adhuc florentibus narrat, quae antiquior auctor de antiquioribus temporibus tradere debuit, quibus Etruſcorum opes adhuc inſignes haberentur.

E mari mediterraneo in liberius pelagus traiectu facto, *de inſulis Arabiae obiectis* (c. 41 — 46) narrationem inſtituit, inque his de *Panchaea* & templo Iovis Triphylii: nimis credulus & levis in *Euhemeri* fide amplectenda, quem commentitia de iis tradidiſſe iam antiquiores monuerant 5.

1 Quae de nomine Celtices praemiſſa ſunt, c. 24, *e Timaeo* petita ſuſpicor, comparato Parthenio c. 30 & 29, & Etymol. M. in Γαλατία a Weſſel. laudato. Quae de frigore & glacie paſſim narrantur, parum accurate de tota Gallia pronuntiata ſunt, uti illa quoque (c. 26), quae de turbinibus ac procellis; quippe quae antiquiores de Campo inter Maſſiliam & Rhodani oſtia tradiderant, in his *Poſidonius*; confer Strab. IV, p. 276 ſqq.

2 Strab. III, p. 217 ſq. conf. Weſſel. ad c. 37, 38.

3 C. 39, ubi cf. Weſſ. collato Strab. lib. V, p. 334.

4 C. 40, coll. Athen. IV, p. 153, laudato iam a Weſſel.

5 Strabo VII, p. 459 A. & II, pag. 163, laudato Polybio. Add. Plutarch. Iſ. & Oſir. & al. Nihil notius Euhemeri mendacitate hac in re, cum Deos quotquot eſſent e mortalibus factos docere vellet, in ἱερᾷ ἀναγραφῇ. Ad eum diſerte provocarat Diodorus lib. VI,

Inde redit Diodorus *ad mare Aegaeum*, commemoratque *de inſulis*. In his eſt *Samothrace* (c. 47, 48, 49): de qua primo antiqua fama inter Samothraces ferri ſolita apponitur, de Ponti Euxini in mare Aegaeum eruptione; tum fabulae de Saone, inde de Dardano & Iaſione, & de teletis in inſula conſtitutis: de quibus quam diverſa a ſcriptoribus quamque fabuloſa ſint tradita, inter viros doctos conſtat [1]; videtur autem noſter rediiſſe in his ad *Dionyſium* ſuum. *Naxus* (c. 50, 1, 2); de hac *Andriſcum*, Naxiacarum rerum ſcriptorem aut ipſum inſpexit, aut alium qui ſua inde petierat [2]. Sequuntur: *Syme* (cap. 53), *Calydna*, *Niſyros*, *Carpathus* (cap. 54). Cum plures eſſent de inſulis libelli, περίπλων vel περιηγήσεων nomine inſigniti, in quibus etiam *Mnaſeae Europiaca*, quem Diodorus ſecutus ſit, exputari ſine auctore nequit. Inde (c. 55, 9) *Rhodus*, de qua antiquioribus fabulis expoſitis ipſe ad *Zenonem*, Rhodiacarum rerum ſcriptorem, provocat, Polybii aequalem [3], in quo hominem agnoſcere licet, communi Graecorum fraude contactum, ut veteres fabulas ad certas opiniones interpretetur & interpolet; uti (c. 57) ductas Rhodo & Athenis colonias in Aegyptum Heliopolin & Sain pronuntiare haud veretur; fluxiſſe videntur ex eodem fonte, quae de *Cherſoneſo* inſulae obiecta exponit (c. 60—63). Copioſior eſt in inſula *Creta* (c. 64—80), de qua commemoraturus profitetur: ſe *clariſſimos rerum Creticarum auctores* ſecutum exponere velle; paulo poſt de Idaeis Dactylis *Ephorum cum aliis* excitat; inde fabularum ordinem memorat prorſus ad *Euhemeri* rationem & doctrinam [4], nec tamen eius nomen apponit, ſub finem autem loci (c. 80) diſerte memorat, *in tantis ſcriptorum de rebus Cretenſium diſſidiis* ſe ſecutum eſſe *eos, qui & probabiliora narrent & maiore auctoritate habeantur;* in nonnullis *Epimenidem Theologum*, quod vix genuinum opus eſſe potuit, in aliis *Doſiadam*, & *Soſicratem*, &

quod inter fragmenta eſt, ed. Weſſ. T. II, p. 633, ex Euſeb. Praep. Ev. lib. II, 2. Ex Ennio, qui Latine vertit, v. locum Lactantii Inſt. I, 11, & alia loca N. D. I, 42, & al. ap. Columnam ad Ennium p. 312 ſq.

1 Cf. ad Apollod. p. 737 ſq.

2 Intelligas comparatis locis ex c. 50, cum Parthenio c. 19. Cum Andriſco Agaſthenes memoratur ab Athen. lib. III, p. 78 C. loco a Weſſel. laudato.

3 C. 56 extr. ubi v. Weſſel.

4 Conf. cap. 46, & ſup. de Panchaia.

Laoſthenidam, ſcriptores nunc tantum nominibus notos 1. Homines tamen valde ineptos fuiſſe, quoſque Diodorus, ſi ullo iudicii acumine uſus fuiſſet, ſequi non debuiſſet, manifeſtum ſit; non enim mythos antiquos aut famam veterem exponunt, ſed Sophiſtarum commenta, qui rerum origines Cretenſibus aſſignare, vitaeque inſtituta, inventa, artes ad Dactylos Idaeos, Curetes, Titanes referrent, ſimulque alteram hypotheſin adhiberent, qua e mortalibus Dii facti eſſe ferebantur. Plurima in his ex Euhemeri ſomniis ducta eſſe faſtidioſe doceri poſſet 2. Tandem c. 81, 82, *Lesbi* & *Tenedi* origines ſubiicit Diodorus: inque his librum *quintum* abſolvit.

Qui ſequebatur SEXTUS, reliquas Graecorum fabulas ex temporibus ante bellum Troianum complexus erat 3. Plura de Diis in eo, quae cum *Euhemeri* opinione convenirent, expoſita fuiſſe, ex fragmentis intelligitur 4. Subiecerat iis fabulas ſecundum Homerum, Heſiodum & Orpheum, nec tamen ne in his quidem ab inſtituto diſceſſerat, quin mythos, poëticos quoque, in hiſtorias mutaret: uti e fragm. III apparet, Xanthum & Balium, Achillis equos, ipſi Titanas fuiſſe.

Inde LIBRO SEPTIMO uſque ad *librum decimum ſeptimum* res inde ab excidio Troiae ad Alexandri interitum erant deſcriptae 5; e quibus *liber VII*, *VIII*, *IX*, *X*, periere. Deducta in his fuit hiſtoria uſque ad Olymp. LXXV, 1, qua Xerxis traiectus in Graeciam factus eſt: a quo *liber XI* initium habet. A Troiae excidio uſque ad Olymp. VII, 2, qua Roma fuit condita, ut quidem Diodorus calculos ponit cum Polybio, anni exierant plus quam

1 Vid. de iis Meurſ. in Creta, nec plura Weſſel. afferre potuit.

2 V. c. de Cerere, cap. 69, coll. I, 29. Vidit quoque vir doctiſſimus, L. B. *de Sainte Croix*, nuper in *Recherches ſur les Myſteres* pag. 80, 517. Brevitatem equidem in his ſecutus ſum, quoniam me de rebus notis agere memineram.

3 Diodor. I, 4: τῶν γὰρ βίβλων ἡμῖν ἓξ αἱ πρῶται περιέχουσι τὰς πρὸ τῶν Τρωϊκῶν πράξεις καὶ μυθολογίας· καὶ τούτων αἱ μὲν προηγούμεναι τρεῖς τὰς βαρβαρικὰς, αἱ δὲ ἑξῆς σχεδὸν τὰς τῶν Ἑλλήνων ἀρχαιολογίας.

4 Fragm. n. 1. Spectabant ad lib. VI Exc. de Virt. & Vit. p. 545, 546, I, 37 ed. Weſſ. & Fragm. n. I — V, non vero quae ibi ſeqq. Omnino Excerpta & Fragmenta parum diligenter diſpoſita eſſe, e ſeqq. apparebit.

5 Diod. l. c. ἐν δὲ ταῖς μετὰ ταῦτα ἕνδεκα τὰς ἀπὸ τῶν Τρωϊκῶν κοινὰς πράξεις ἀναγεγράφαμεν, ἕως τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς.

CCCCXXX. Scilicet Diodorus Apollodorum Athenienſem ſecutus a Troia everſa ad Olympiadem primam annos computaverat CCCCX, (v. lib. I, 5,) his ſi adiiciantur anni Olympiadum LXXIV, interiere Diodori hiſtoriae annorum IↃCCV, quanta iactura! cum ea in plerisque rebus nullo modo reſarciri poſſit. Multo aequiore animo ferri potuiſſet iactura librorum XI & ſequentium, cum illarum rerum alii auctores exſtent, iique graviſſimi. *Ephorum*, quem omnino fortunae iniquitas nobis invidit, alia ſors adverſa oppreſſit in hoc, quod ne ea quidem ad nos pervenere, quae Diodorus ex eo deſcripſerat. Quae in libris VII — X comprehenſa fuerant, ſequentia fuiſſe apparet:

Initium LIBRI VII factum a bello Troiano ſatis conſtat. Perſecutus inde erat reditum Achivorum, errores novaſque ab iis captas ſedes; inde Heraclidarum ingreſſum in Peloponneſum octageſimo a Troia capta anno factum. Fuere in his plura rerum argumenta, ad quae aliis in locis provocat, v. c. de Theſſalia, ut IV, 55, intelligitur. Ad haec tempora ſpectat fragmentum ex Syncello, (Weſſ. p. 635, VI) de Corinthi a Dorienſibus occupatae originibus [1]. Ad paulo ſuperiora tempora ſpectabat fragmentum ex Ulpiano ad Demoſthenem de Munychio. (ibid. p. 636, VII.) Laudatur in eo *Hellanicus*, quem adeo in his ante oculos habuit; in rebus Dorienſium autem *Ephorum*, qui ab Heraclidarum reditu, (ita vulgo aiunt *κάθοδον*) hiſtorias ſuas exorſus erat (IV, 1, XVI, 76). De *coloniis* e Graecia in diverſas terras ductis diligenter actum eſſe, dubitare non licet [2]. *Romae conditae* & originum gentis ab Aenea ductarum in fragmentis ſupereſt memoria: locus apud Syncellum exſtat, libro Diodori *ſeptimo* laudato: ut neceſſe ſit, in rebus Aeneae hac de re actum eſſe [3]. De

1 Item de Carano p. 637, IX.

2 Superſunt loca de Syracuſis, quae ad earum primordia ſpectant, p. 548, 549; de Sybaritis p. 549, 550.

3 Ad eundem locum ſpectabat Excerptum de *Aenea* p. 636, de Virt. & Vit. ὅτι Αἰνείας &c. Ex rebus *regum Albanorum* eſt Excerptum p. 546 extr. de Romulo Silvio. Ex *Romana* autem *hiſtoria* plura occurrunt: Exc. *de Romulo & Remo* p. 547, de *Numa* p. 549, de *L. Tarquinio* p. 551, de *Servio Tullio* pag. 553, de *altero Tarquinio* Roma expulſo p. 558. In Exc. de Legat. pag. 618, de *Tullo Hoſtilio*. Ex eod loco ſunt, quae Tzetza attigit. (pag. 642, XXV.) Ex commentariis Romanorum publicis res Romanas repetitas a ſe eſſe affirmat Diodor.

rebus *Spartanorum* ſuperſunt narrationum veſtigia in Excerptis (de Vit. & Virt. p. 547); de *Lycurgo* 1; de *belli Meſſeniaci* primi cauſis. Ex narratione bellorum Meſſeniacorum ſupereſt nobile fragmentum de *Cleonni* & *Ariſtomene* (p. 637, X), quod ſpectat ad an. ante C. N. 730, Ol. XII, 3, quo Euphaës, Meſſeniorum rex, caeſus. Omitto alia: ſed de *Solone* diligenter egerat (v. p. 551), ſimulque de *VII Sapientibus* Graeciae (p. 551, 552), de *Pythagora* & *Pythagoreis* (p. 554, 5, 6.)

In iis, quae de *Cyro* & *Aſtyage*, tum de *Croeſo* (Exc. p. 552, 3), de *Cambyſe* (p. 556, 7 & 619, II), narraverat, Cteſiam ei cum Herodoto auctorem fuiſſe nullus dubito: docentque hoc idem fragmenta in Exc. de Virt. p. 552, 3. Quae vero inprimis intercidiſſe doleo, ſunt *Siciliae res*, quas ille, utpote Siculus, accuratius perſecutus eſſe videtur 2, tum Carthaginis origines 3. Liber DECIMUS in primordiis regni *Xerxis* eiuſque apparatu belli adverſus Graecos ſuſcipiendi, tum in Graecorum conventu ad Corinthum habito ſubſtiterat. Quae inde geſta ſunt, libro XI & ſequentibus tradita, unde hauſta fuerint, *tertia Commentatione* perſequar.

initio operis cap. 5: καὶ διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ (Ῥωμαίοις) πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς Ῥωμαίων διαλέκτου περιπεποιημένοι, πάσας τὰς τῆς ἡγεμονίας ταύτης πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ᾽ ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων. Non ſatis perſpicuum eſt, quinam hi *commentarii a multis temporibus aſſervati* eſſe poſſint. Acta publica vix bene intelligas: ſi faſtos & annales Pontificum; hos utique non inſpexit ipſe, ſed auctores Romanos, qui eos conſuluerant.

1 Mirari licet, quod in Excerptis huic ἀποσπασματίῳ praemittitur aliud de Cumae in Italia tyranno, Malaco, qui Ariſtodemus fuit, μαλακὸς dictus: vixit ille ſub Tarquinii exſulantis tempora, circa U. C. 248, ante C. N. 506. Atqui Lycurgi aetas ad a. ante C. N. 885 refertur. Scilicet adſcripſerat iſta Diodorus eo loco, quo de Cumae originibus egerat, quae ad a. ante C. N. 1044 ſpectant. Morem autem hunc ſecutus eſt noſter, ut ſub urbium initia brevi enarratione fata earum exponeret: ſic in Corinthi, Sybaris, Cyrenarum originibus (p. 550).

2 Sunt ex iis pauca p. 558, de Hippocrate Gelae tyranno & Therone.

3 In his ſaltem Timaeum exſcribere potuit; nam in eo is locus occurrebat, ut ex Excerptis Codicis Madrit. ad calcem Polyaeni a cl. Tychſen communicatis didici: Θειοσσώ. ταύτην φησὶ Τίμαιος κατὰ μὲν τὴν Φοινίκων γλῶσσαν Ἐλισσὰν καλεῖσθαι, ἀδελφὴν δὲ εἶναι Πυγμαλίωνος τοῦ Τυρίων βασιλέως, ἀφ᾽ ἧς φασι τὴν Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ κτισθῆναι &c.

COMMENTATIO TERTIA
AC
POSTREMA
AD LIBROS XI–XL.

Etsi Diodori libri, inde ab undecimo ſervati, in hiſtoriis verſantur magis notis & multorum ſcriptorum opera tractatis, non tamen expeditior eſt quaeſtio illa, quam mihi extricandam ſumſeram, de auctoribus, quos ille expreſſerit. Sunt enim in pleriſque veſtigia aut nulla aut ſatis obſcura, & in paucis ultra probabilitatem ſatis validam licet progredi. Poteſt tamen omnino de uno & altero duce, quem ille adhibuerit, fide interpoſita pronuntiari: quandoquidem ipſe ſcriptores nonnullos ſub finem rerum traditarum excitat; unde iucunda illa & ad animum grata oritur perſuaſio, ex multis perditis ſcriptoribus nos habere particulas ſervatas in Diodoro, quae eorum, quae periere, deſiderium levare poſſint.

Et in rebus quidem Graeciae *Ephorum* ab eo maxime exſcriptum eſſe, ſatis perſuaſum habeo. Nam commemorat eum ſub annum Olymp. CIX, 4, (ante C. N. 341; fuit is Philippi R. Macedonum vigeſimus, quo Perinthus ab eo obſidebatur) in quo eius hiſtoriae, res a Graecis & Barbaris inde ab Heraclidarum reditu per DCCL annorum decurſum geſtas complexae [1], ſubſtiterant; opus erat per XXX volumina diſtributum, quod periiſſe ſi aegre ferendum eſt, gratiam habebimus Diodoro, qui fidem eius ſecutus permulta ex eo ſervaſſe putandus eſt;

1 Ἱστορία ſ. κοιναὶ πράξεις τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων. Diod. XVI, 76, IV pr. Ceterum me in hoc & aliis ſcriptoribus Voſſii, Ionſii aliorumque operam conſuluiſſe, facile per ſe intelligitur.

imitatus ipſum etiam in hoc, quod Ephorus feciſſe narratur, ut ſingulis libris prooemium praefigeret; nec non in diſpoſitione rerum narratarum, quam in Ephoro commendat, (lib. V pr.) quod libros per populorum hiſtorias, adeoque ad diſtinctas operis partes, diſpeſcuerat. Fides huius ſcriptoris haud dubie in diverſis operis partibus diverſi momenti eſſe debuit; & inique de eo iudicatum eſt univerſe ex una vel altera parte aut loco. Nam in recentiſſimis hiſtoriis ea tradidiſſe cenſendus eſt, quae ipſe viderat vel audierat; antiqua vero ex aliis ſcriptoribus, comparatione & iudicio facto, compoſuiſſe. Fabuloſe eum multa de Nilo & Aegypto nec non de Iberia tradidiſſe, ipſe Diodorus monet; (lib. I, 37—39) nec hoc mirari licet, ſiquidem ea loca ipſe non adierat. Hiſtoriam ſuam a valde remota aetate, etſi antiquiſſimis temporibus mythicis excluſis, exorſus erat [1]: quid mirum, ſi fabuloſe tradita appoſuerat? Eum ſe ſequi diſerte ait Diodorus (XII, 41) in cauſis belli Peloponneſiaci exponendis: (inde a cap. 38) eundem laudat (XIII, 41) ad Ol. XCII, 2, de claſſe Lacedaemoniorum ſub Mindaro gravi tempeſtate ad montem Atho afflicta; & in diſſenſu de Iaſonis tyranni Pheraei morte, XV, 60. Alcibiadis mortem ex eius libro XVII exponit (XIV, 11.) Loca ex eo notata paſſim ſunt ad Diodorum a graviſſimo interprete Weſſelingio, ut ad lib. XI, 60.

Continuaverat Ephori hiſtorias & Graecorum barbarorumque geſta [2] inde ab Olymp. CX uſque ad Philippi mortem (Ol. CXI, 1), adeoque res fere VI annorum expoſuerat *Diyllus* Athenienſis (lib. XVI, 76), alteram ſuarum hiſtoriarum partem inde exorſus; nam in priore paulo altius, & inde ab origine belli ſacri ac ſacrilegio Delphico, (Ol. CVI, 2,) narrationem exorſus erat, ut adeo XII anni praeter illos ſex acceſſiſſent, utque ille Calliſthenis hiſtorias, de quibus poſtea dicetur, continuaſſe videri poſſet. Erat opus XXVI libris comprehenſum [3]:

1 Anni illi 750 aſſurgunt ad annum ante C. N. 1091, adeoque 13 annis ſerius quam nos vulgo Heraclidarum reditum, quem anno 1104 aſſignamus, collocare in tabulis ſolemus.

2 Τὰς κοινὰς Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων πράξεις.

3 Diodor. XVI, 14, ubi v. Weſſel. qui poſt Voſſium H. Gr. III, c. VII, p. 173, laudat Athenaei locum XIII, p. 593 F. de Demetrio Phalereo, ubi advocatur Diyllus, cui loco in promtu

quod continuavit, Diodoro noſtro teſte, (Ecl. XXI, 5) *Pſaon* Plataeenſis libris XXX, e quo tamen nihil aliunde conſtat, niſi quod Dionyſius Halic. (*de compoſit. verb.* p. 9) eum inter ſcriptores refert propter ſocordiam orationis vulgo neglectos. Verum bellum ſacrum, ab Ephoro praetermiſſum, praeterea eius filius, *Demophilus*, novo opere pertexuerat, exordio facto a templo Delphico per Philomelum Phocenſem occupato direptoque, adeoque ab Ol. CVI, 2, uſque ad Ol. CVIII, 3, quo bellum illud Philippi opera fuit finitum (lib. XVI, 14). Probabile itaque fit, Diodorum etiam hunc ſcriptorem quin inſpiceret haud commiſiſſe.

In ſuperioribus temporibus adhibuiſſe videtur *Calliſthenem*, diſcipulum Ariſtotelis, Alexandri comitem, rerumque ab eo geſtarum ſcriptorem, arrogantia ſua, ac pervicacia in regem, notabilem; ſcripſerat *res Graecorum* [1] inde ab Antalcidae pace Ol. XCVIII, 2, uſque ad ſacrilegium Delphicum & belli ſacri initia Ol. CVI, 2, ſpatium XXX annorum X libris complexus [2]; ſubſtiteratque adeo in illo tempore, a quo Diyllus exorſus eſt. Calliſthenem adeo per librum XV & XVI paſſim exſcripſiſſe dicendus Diodorus.

Verum redeundum eſt ad antiquiores. *Herodotum* in Medicis quouſque ſecutus ſit, non niſi ex Xerxis expeditione in Graeciam facta, quae libro XI expoſita eſt a Diodoro, cum ſuperiora perierint, iudicare licet: in his autem plerumque eum deſeruiſſe & diverſa tradentes prae-

quidem eſſet medela, ſi ex altero Diogenis Laërtii loco, quo idem memoratur, lib. V, 76, reponeretur Δίδυμος (v. ad e. l. Caſaub.); verum ſupereſt alter locus lib. IV, 14, p. 155 A. ubi de Caſſandro ἐν τῇ ἐννάτῃ τῶν ἱστοριῶν actum dicitur: quae quomodo in illo opere, quod non ultra Philippi mortem proceſſit, occurrere potuerint, non aſſequor; niſi obiter ex ſerioribus annis praecepta ea & inſerta fuere. Facit tamen novam difficultatem, quod in Ecl. Diodori libri XXI, 5, idem Diyllus in Agathoclis rebus memoratur Ol. 118, 4; 119, 1. An dicendus eſt praeter duas illas partes tertiam & plures adieciſſe operi, idque adeo continuaſſe? De Diyllo qui ſcripſere, laudantur a Burmanno in add. ad Valeſ. Emendatt. p. 228.

1 Τὰ Ἑλληνικὰ ſ. τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ἱστορία.

2 Diod. XIV extr. XVI, 15. Antiquas hiſtorias prorſus non attigerat: ut IV pr. Ut ea, quae ad conſilium meum non ſpectant, de ſcriptoribus commemorem, exſpectari non poteſt. De Theopompo tamen docte nonnulla Valkenar. appoſuerat in Oratt. p. 235, 256, 261.

tuliſſe Diodorus videtur; etſi Herodoti meminit anno Ol. LXXV, 2, quo anno, pugna navali ad Mycalen facta, eum opus ſuum finiiſſe notat. In Perſicis Cteſiam ſequi maluit, ut iam ſuperiore Commentatione obſervatum; ſic de Xerxis nece lib. XI, 69, Dionyſium Mileſium, quem in antiquis mythis ſecutus erat, (v. Commentat. II, p. LXVII ſq.) forte & in rebus poſt Darium geſtis adhibuerat.

Thucydidem haud dubie conſuluit Diodorus: nam initium eius hiſtoriae inde ab Olymp. LXXXVII, 1, cum anno belli XXII abruptae, ipſe annotavit; (XII, 37, XIII, 42) attamen ab eius narratione plerumque recedit; (ut XI, 57, *ubi v. Weſſel.* 70, XII, 41, hoc ultimo quidem loco Ephoro praelato.) *Xenophontem* non fuiſſe praeteritum a Diodoro, cum hoc declarat, quod eius & hiſtoriae ab ipſo ſcriptae aliquoties meminit, (XIII, 42, XV, 76 f. 89 f.) tum nonnulla ad eius fidem narrata.

Laudat quoque *Theopompum*, Chium, hiſtoricum ſummum, fide, diligentia, arte & oratione probatiſſimum: qui in eo anno, in quo Thucydides ſubſtiterat, cum Xenophonte *hiſtoriarum ſuarum* [1] exordium fecerat; noviſſima belli Peloponneſiaci in iis complexus. Verum Xenophon XLVIII annos perſecutus erat, Theopompus non niſi XVII, uſque ad proelium navale ad Cnidum Ol. XCVI, 3, libris XII, (Diod. XIII, 42, XIV, 84). Eius adeo veſtigia in Diodori lib. XIII, XIV, XV, ſupereſſe non dubito [2]. Eiuſdem Theopompi alterum fuit opus, *Philippi*

1 Ἱστορίαι Ἑλληνικαὶ vel Ἑλληνικὴ ἱστορία. Vid. praeclarum de Theopompo iudicium Dionyſii Halic. in Epiſt. ad Cn. Pompei. p. 211.

2 Addidi librum XV, etſi res ultra Olymp. 96, 3, progredientes complexum: in hoc enim veſtigia Theopompi deprehendo in rebus Evagorae, regis Cypri, quas expoſitas eſſe a Theopompo libro XII rerum Philippicarum memorat Photius Cod. 176, monens idem, librum illum a Menophane pro perdito habitum fuiſſe, (praeter lib. VI, VII, IX, XX, XXX, iam pridem deſideratos). At ea, quae illo libro comprehenſa fuere, ad annum Ol. 98, 3, ſpectant, nec ullo modo in Philippicis locum habuiſſe videntur. Difficultatem vidit Weſſeling. ad Diod. p. 573, n. 37. Mihi ſatis liquet, Photium librum XII & ultimum hiſtoriarum Graecarum manibus tractaſſe; nam in hos poterant a Theopompo per digreſſionem illa omnia, quae de Acori & Evagora ex eo libro laudantur, interponi vel operi adiici in narratione pugnae ad Cyprum. Digreſſionibus autem Theopompum mi-

res geſtae [1], Macedonum regis, libris LVIII, (Diod. XVI, 3) initio ab Olymp. CV, 1, facto, paulo poſt regni exordia natis cum Athenienſibus diſſidiis. Hunc Diodorus manifeſte expreſſit in iis, quae de Philippo belliſque, quae cum Graecis ab eo geſta ſunt, expoſuit, per totum libr. XVI. Declaratum id quoque per fragmenta paſſim a Weſſelingio laudata & comparata. Ad quem annum Philippica deſcenderint, nuſquam memoratum reperio; probabile tamen ſit, ante Philippi mortem Ol. CXI, 1, non deſeciſſe [2]; ipſe utique vixit ſub Alexandro.

Nec tamen uno Theopompo duce contentus, *Duridem Samium*, Ciceronis iudicio, *hominem in hiſtoria diligentem*, quoque adhibuit in iis, quae Philippi aetate evenere. Nam eum hiſtoriarum ſuarum *de rebus Graecorum geſtis* [3] exordium inde a morte Iaſonis tyranni Pheraei, & Amyntae, Macedonum regis, adeoque ab a. III Olymp. CII feciſſe, diſerte ipſe notavit lib. XV, 61. Cum eiuſdem Duridis *hiſtoriae Macedonicae* commemorentur, dubitatum eſt, unumne an diverſum hoc fuerit opus [4]. Mihi probabile ſit, idem opus, ut tot alias veterum ſcriptorum hiſtorias, in duas, forte in plures, partes diviſum fuiſſe; nam quod apud Athenaeum tanquam diverſum opus de rebus Aga-

rifice indulſiſſe ſatis conſtat. Inſeruerat quoque Sicula operi ſuo Theopompus, (Diod. XVI, 71,) de quibus paulo poſt agam. Attigerat adeo Aegyptia & fabulas de Nilo, ut iam in Commentat. I vidimus ex Diod. I, 37. In Macedonicis origines gentis haud intactas reliquerat, ut e loco de Carano patet in fragm. Diod. IX.

1 Τὰ Φιλιππικὰ, vel τῶν περὶ Φίλιππον ἱστοριῶν βιβλία νη'· & XVI, 71, ἡ τῶν Φιλιππικῶν ἱστορία. Quod apud Dionyſium Halic. poſt alia, quae in eo laudantur, ſubiicitur p. 212, l. 28; τελευταῖόν ἐστι τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ χαρακτηριχώτατον, (ſc. quod conſilia & virtutes ac vitia eorum, quorum res geſtas expoſuerat, adiecit) male in verſione, etiam a Gedoyno (*Hiſt. de l'Acad. des Inſcript.* T. XVI, *Mem.* p. 244) de extrema operis parte accipitur; immo vero, eſt res in eo maxime inſignis.

2 Laudantur ea ex eius libro XLIII, quae ad Olymp. CIX, 2, ſpectant: & proceſſerat opus uſque ad libros LVIII. Cf. Ionſ. de ſcript. hiſt. philoſ. I, 3. Utrumque opus hiſtoricum ad 60,000 verſus proceſſiſſe, e priſco ſcribendi more Photius teſtatur.

3 Τῆς τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίας.

4 Voſſ. H. Gr. I, 15. Weſſel. ad Diod. l. c. p. 50. Magnum volumen fuiſſe ex eo intelligas, quod Athenaeus Macedonicarum hiſtoriarum librum XXII excitat. Complexum eſſe res quoque barbarorum, exinde colligo, quod Romanorum pugna ex eo commemorata occurrit in Ecl. lib. XXI, 6.

thoclis laudatur, ad eadem tempora ſpectat, quae in altero opere perſecutus erat. Quidquid eſt, Diodorus ſuo ipſe indicio prodit, in ſequentibus annis, adeoque inde a libro XV, Duridem ipſi ante manus oculoſque poſitum fuiſſe. Vixerat ille Ptolemaei Philadelphi aetate.

Alios quoque conſuluit; inprimis *Anaximenem* Lampſacenum, Platonis & Ariſtotelis aequalem (lib. XV, 76), & inter Alexandri comites habitum, cuius quoque res geſtas perſcripſerat; ſed fuerant eiuſdem *hiſtoriae Graecae antiquiores* 1, quas inde a Deorum ortu & generis humani primordiis exorſus ad pugnam apud Mantineam & Epaminondae mortem deduxerat, univerſas prope Graecorum & Barbarorum res geſtas XVII voluminibus complexus. Ad Olymp. CIV, 2, adeo proceſſerat opus illud, (cui mox ille Philippi & Alexandri res geſtas ſubiecerat) & credere licet, ut in prioribus libris, quibus mythi Graecorum expoſiti ſunt, ita in ſervatis Diodori libris XI, XII, XIII, XIV, XV, Graecarum rerum multas paſſim narrationes ex eo hauſtas eſſe.

Ad annum tertium ab eo, in quo Anaximenes ſubſtiterat, hoc eſt, ad Olymp. CIV, 4, produxerant *hiſtorias ſuas rerum Graecarum* 2 duo ſcriptores Boeoti alias parum noti, *Dionyſiodorus* & *Anaxis*, (lib. XV extr.) conſulti & ipſi haud dubie ab eo in rebus maxime Thebanis.

Sequuntur Alexandri M. & ſucceſſorum, (*διαδόχων*, quos vocant) tempora: in quibus quos auctores ſecutus ſit, diſerte nuſquam profeſſus eſt. Ipſe ex iis ſcriptoribus *Hieronymum Cardianum*, Eumenis popularem & familiarem, tanquam ſcriptorem *rerum, quae a ſucceſſoribus Alexandri geſtae erant* 3, aliquoties memoravit, ſed modo in legatione facta, (lib. XVIII, 42 & 50,) modo inter captivos ad Antigonum adductos, (XIX, 44,) tandem ut procuratorem regionis ad lacum Aſphaltiten (c. 100). Dubitari vix poteſt, quin eundem ſcriptorem libris XVIII & XIX in conſilium adhibuerit. Verum longe maximam rerum narratarum partem e *Clitarcho* petiiſſe videtur, quem ipſe alio loco (*lib. II*, 7, *de murorum Babylonis ambitu*) inter eos memorat, qui cum Alexandro in Aſiam traiecerunt; homo fuit levitate & tumore orationis a multis 4 exploſus;

1 *Αἱ πρῶται ἱστορίαι* ap. Athen. at Diod. XV, 89, *τὴν πρώτην* (*ἱστορίαν*) *τῶν Ἑλληνικῶν* dixit.

2 *Τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίαν.*

3 *Αἱ διαδόχων ἱστορίαι.*

4 Quinctil. X, 1, 75: *Clitar-*

quem tamen a noſtro ſpretum non fuiſſe, cum aliis locis, quos Weſſelingius annotavit, tum inprimis notabili illo de anthredone loco (lib. XVII, 75, *ubi v. Weſſel.*) apparet; nec aliter cenſuit vir doctiſſimus de ſancta Cruce [1].

Marſyae obiter mentionem facit tanquam rerum Macedonicarum ſcriptoris inter duces Demetrii in pugna navali adverſus Ptolemaeum Olymp. CXVIII, 2. (lib. XX, 50.) Fuiſſe eum antiquiorem Marſyam, Pellaeum, dubitari nequit; (*v. Weſſel. nota ad* e. l.) ſcripſerat is, praeter librum *de Alexandri inſtitutione*, libros X *rerum Macedonicarum*, qui, initio a Carano facto, uſque ad ingreſſum Alexandri in Syriam erant perducti. Quandoquidem ſcriptor hic Diodoro innotuit, probabile fit, illum nec neglectum ab eo fuiſſe.

In Graecis hiſtoriis poſt ſuperiores adhibuiſſe videtur *Menodotum Perinthium*, qui *res Graecas* libris XV perſcripſerat [2]; a quo anno ille exorſus ſit, non conſtat; periit enim omnis eius ſcriptoris memoria; exierat tamen eius hiſtoria poſt belli Punici II initia [3]. Debuit adeo ille perſequi res a regibus Macedonum, maxime ab Antigono & Philippo geſtas, tum Achaeorum foedus & bella, Arati conſilia adverſus Philippum, uſque ad illud tempus, quo rex Macedonum conſilia cum Annibale adverſus Romanos iniit. Verum periere haec omnia una cum Diodori libris, in quibus haec expoſita fuere. *Apollodorum* Athenienſem in temporum notatione paſſim adhibuit, conſulto eius opere chronicorum, ut lib. I, 5, XIII, 103 & 108 [4].

In *rebus Siculis*, in quibus eum inter principes, quos habemus, ſcriptores referendum eſſe iam alias ſignificavi, ſcriptorem adhibuit non unum, inprimis tamen Timaeum cum Ephoro; etſi laudavit alios quoque, quos ſtatim recenſebo. Antiquior ceteris ſcriptor fuit *Antiochus* Syracu-

chi probatur ingenium, infamatur fides: nam de noſtro ſcriptore agi ne dubites, ut nec ap. Longin. 2, 3.

1 Le *Baron de Sainte Croix*, *Examen critique des anciens Hiſtoriens d'Alexandre le Grand* p. 33.

2 Ecl. lib. XXVI, ſ. 3, ἑλληνικαὶ πραγματίαι.

3 Ante C. N. 218, Ol. 140, 3; etſi in Eclogis Diodori paulo poſt de magno illo terrae tremore memoratur, quo Rhodus concuſſa fuit ante C. N. 229, Ol. 135, 4. Verum multae cauſae confuſorum temporum in his Eclogis eſſe poſſunt.

4 Vid. not. ad Apollod. T. III, fragm. p. 1084, 1089.

ſanus, quem a Cocalo, rege Sicanorum, orſum, uſque ad Olymp. XCVIII, 1, adeoque ad media Dionyſii ſenioris tempora proceſſiſſe, ipſe obſervat Diodorus; (lib. XII, 71 f.) [1] quae vero illa ſint, quae ex eo ille hauſerit, aſſequi non licet. Poſt hunc primo loco is, qui aetate, prudentia civili & dictionis brevitate, ceteros anteibat, *Philiſtus* Syracuſanus eſt commemorandus: eius *hiſtoriae Siculae* [2], in duas partes diviſae, altera ſeptem libris plus quam octingentos annos complexa, ad Olymp. XCIII, 3, ante C. N. 348, ad captumque Agrigentum deducta, exordium ducere debuit a Troia capta [3]; altera inde, ubi prior pars ſubſtiterat, exorſa libris quatuor res Dionyſii ſenioris perſecuta erat (lib. XIII, 103; add. 91). Praeterea opus ſingulare, de quo alii ſilent, memorat, quod libris duobus *res Dionyſii iunioris*, cui ipſe inter amicos fuit, per quinque annos complexum erat (XV, 89). Cum autem illud in Olymp. CIV, 2, ante C. N. 363, deſierit, adeoque ab Ol. CIII, 1, initium duxerit, quo Dionyſius ſenior obierat, & ad cuius mortem ſuperius opus deductum fuiſſe probabile ſit, non niſi primos annos filii exponere illud potuit [4]. Quidquid itaque inde ab antiquiſſimis aetatibus, ut lib. V pr. tum inde a lib. XI, 76 ſqq. de Siculis rebus narratum eſt, e Philiſti priore opere poteſt magnam partem eſſe profectum: at totus ille regnare putandus in rebus Dionyſiorum libb. XIII, XIV, XV.

Exceperat Philiſtum *Athanas* Syracuſanus, res Dionis libris XIII perſecutus inde ab Olymp. CIV, 3. Debuit itaque illud deſcendere uſque ad Olymp. CVI, 3, ut adeo res annorum fere novem (inde ab a. ante C. N. 362, ad an. 354, comprehenderet): idem praemiſerat uno libro hiſtoriam a Philiſto intactam relictam VII annorum [5].

1 Egit de eo docte Voſſius de H. Gr. IV, 7.

2 Σικελικῶν συντάξεις δύο.

3 Nam ſi ad annum 348 plus quam octingentos addideris, haud longe abfueris a Troia capta ante C. N. a. 1184.

4 Ceterum ex his videor mihi rationem reddere poſſe diverſitatis numeri apud Suidam, qui res Siculas libris XI, & Dionyſii hiſtorias libris VI comprehenſas narrat; admodum oſcitanter; nam priore numero utraque pars VII & IV librorum, altero ſecunda pars cum Dionyſii iun. hiſtori[a] in unum collecta fuit.

5 Sic Diod. XV, 94, ut adeo hic in computum non retuleri[t] libros illos duo de Dionyſii iunioris rebus; ſed tantum maiu[s] illud opus hiſtoricum Philiſti

Hunc igitur Diodorus inde ab lib. XVI, 5, ante oculos habuiſſe videri debet.

Ephorum in rebus Siculis ipſe excitat nomine appoſito. In eſcenſu Hannibalis Ol. XCII, 4, in Sicilia facto, Ephorum cum Timaeo contendit, (lib. XIII, 54, 60,) & iterum ſub Ol. XCIII, 3, (XIII, 80,) & Ol. XCVI, 1, (XIV, 54,) ubique de copiarum Carthaginienſium numero diverſis modis ab utroque prodito. Porro *Theopompum* Chium in Philippicis tres libros XLI, II, III, rebus Siculis exponendis impendiſſe, ipſe Diodorus indicat; complexos autem eos eſſe ſpatium L annorum inde a Dionyſii ſenioris dominatu uſque ad exſilium Dionyſii iunioris 1. Manifeſtum inde fit, in libris XIII, XIV, XV, XVI, quoties res Siculae exponuntur, ex Theopompo nos nonnulla ſeu fragmenta ſeu ex eo adumbrata aut hauſta tenere.

Etiam *Diyllum* Athenienſem res Siculas attigiſſe, ipſe monet Diodorus (XVI, 14), ut adeo nec hunc praeteriiſſe quin inſpiceret videatur. Eſt quoque *Hermias Methymnaeus*, adeoque extra Siciliam natus, quem memoravit Diodorus (lib. XV, 37), res Siculas X, vel, ut alii diſpeſcebant opus, XII libris perſecutum uſque ad Olymp. CI, 1, adeoque octo annos ante mortem Dionyſii ſenioris. Quid ex hoc ſcriptore profecerit Diodorus, non conſtat. Alium externum hominem in rebus Siculis teſtem advocat Diodorus eorum, quae de cella Gelliae, opulenti civis Agrigentini, memorata ſunt, *Polycletum* Lariſſaeum, *hiſtoriarum* auctorem, incertae aetatis 2.

Excitat poſt hos in temporibus inſecutis Diodorus ſcriptores Siculos in rebus Agathoclis *Calliam* & *Antandrum*.

quod in Dionyſii ſenioris morte exierat, Ol. CIII, 1, ante C. N. 368, a quo annus ſeptimus CIV, 3, 362.

1 Diod. XVI, 71. Deiectus tyrannide Dionyſius iunior Olymp. 109, 2, anno ante C. N. 343. Anni L retro computati procedunt ad annum 393, Ol. 96, 4, quo Dionyſius ſenior partim cum Imilcone, Carthaginienſium duce, partim cum Rheginis conflixit; at tyrannidis initia aſſurgunt uſque ad Olymp. 93, 3, 4, ante C. N. 405. Aut igitur numerus in Diodoro corruptus eſt, ut pro L, legendum ſit LX, aut ad hunc annum Ol. 96, 4, libri forte initio facto, aut ex rerum narratarum diſpoſitione, Siculas res ab alto repetitas uno contextu expoſuerat: etſi nonnulla ex Siciliae hiſtoriis etiam in ſuperioribus libris attigerat.

2 Diod. XIII, 83, ubi v. Weſſ. poſt Voſſium de Hiſt. Gr.

Agathocles rex Syracuſarum pronuntiatus fuit Olymp. CXV, 4, & regnum tenuit uſque ad Ol. CXXII, 4, annis ante C. N. 317 ad 289. *Callias* quidem, Syracuſanus, libris XXIII res Agathoclis perſcripſerat (*Ecl. libri XXI*, *12*, & *Excerpt. Valeſ.* p. 561), obiurgatus ille a Diodoro, quod tyranno mirifice adulatus erat. *Antander* Agathoclis erat frater, & ipſe hiſtorias condiderat, aliunde vix notus. (v. ibid.) *Philinum*, Agrigentinum, in exponenda expugnatione Agrigenti a Romanis facta (b. Punici I a. 3, ante C. N. 262, Olymp. CXXIX, 3) excitavit (Exc. lib. XXIII, 8), & iterum (Ecl. XXIV, 3) de proelio navali inter Poenos & Romanos facto, quo Poeni victi pacem petiere (ante C. N. 242). Scripſerat ille bellum inter Poenos & Romanos in Sicilia geſtum, hoc eſt bellum Punicum I a Romanis dictum; nam eum ad ſeriora proceſſiſſe, nuſquam apparet. Si Fabio, quod Polyb. I, 14, 15, iudicat, contraria narravit, non iniuria id feciſſe videri poteſt; nam Fabius ſtudebat ſuis; uti Philinus iudice Polybio non minus iis adverſabatur. Si perſonato Plutarcho in Parallelis pr. credendum, narrationem de L. Glaucone ex *Ariſtide Mileſio* (ἐν πρώτῃ Σικελικῶν) acceperat Diodorus (nam is eſt Διονύσιος ὁ Σικελιώτης).

Verum nullum forte alium ſcriptorem in Siculis, ut nec minus in aliis hiſtoriis, ſtudioſius adhibuiſſe videri poteſt, quam *Timaeum*, Tauromenitam, qui poſt Agathoclem & ſub Ptolemaeo Philadelpho vixit, auctor magni operis hiſtorici, cuius plures ac diverſae fuere partes, alia de rebus Graecis, de Siculis alia; ſeiuncta erat alia de Pyrrhi bello in Italia & Sicilia geſto, alia de Agathocle, in quem, quippe a quo inſula fugatus fuerat, nimis iniquus fuiſſe ab ipſo Diodoro arguitur, (Exc. lib. XXI Valeſ. pag. 560 Weſſ.) quemadmodum eius maledicentia a multis fuit notata [1]: & a Diodoro lib. V pr. ubi tamen eum laudat inprimis propter diligentiam in temporibus notandis & variarum rerum doctrinam. In ipſis hiſtoriis Siculis paſſim Diodorus ad eum provocat [2], interdum cum Ephoro com-

1 In iis, quae auditu acceperat, levitatem accuſat Polyb. Exc. lib. XII, 15, de Italia, quam non ipſe adierat II, 16 f. de Africa & Corſica lib. XII, Exc. I.

2 Lib. XIII, 82, de magnificentia monumentorum Agrigentinorum; & c. 83, de Gelliae opulentia ex lib. XV Timaei. Porro lib. XIII, 90, negaſſe ait Timaeum Phalaridis bovem ac-

parat, ut modo in Ephoro dicebam. Si ex uno exemplo iudicium ferre licet, quo inter Timaeum & Calliam de Agathocle tradentes iudex ſedet, Diodorus non ſine memorabili aliqua integritate Agathoclis res expoſuit. (Exc. Valeſ. l. c.)

In *rebus Punicis*, quod quidem ad antiquiora tempora ſpectat, ſcriptores rerum Sicularum Diodoro ea, quae appoſuit, obtuliſſe non dubito; in ſequentibus alia praebere debuit Polybius, tum ſcriptores Romani, quos conſuluiſſe ſe ait. Laudatur tamen ex Diodoro quoque *Soſilus* Ilienſis, qui *Hannibalis res geſtas* [1] libris VII comprehenderat, reprehenſione Polybii (lib. III, 20) ille notus, quod rumuſculos leves & fabulas ſuis hiſtoriis inſeruerat.

De *Iudaeis* locus adhuc ſupereſt admodum nobilis ex lib. XL, Ecl. 1, quem ex *Hecataeo Abderita* ductum a Diodoro eſſe vix dubitare licet. Vixerat ille cum Alexandro & Ptolemaeo Lagi, & de Iudaeis ſcripſerat. Eius Aegyptiaca ſupra memorata fuere (Commentat. I, p. XXIX). In *hiſtoriis Romanis* Romanos ſcriptores a ſe lectos eſſe profitetur Diodorus lib. I, 4. Cum *Fabio Pictore* in annis Olympiadum cum annis Urbis conditae comparandis convenit (v. Weſſel. ad XI, 1). Ex eodem Fabio fabulam de ſue foeta, oſtento Aeneae obiecto, repetit in fragm. e libro VII [2]. In iis, quae a *Polybio* perſcripta fuere, eius veſtigiis ubique inſtitit, ut ex infinitorum locorum comparatione patet. Ubi is deſierat, *Poſidonium* adhibuit, Apameenſem, qui Pompeii tempore vixerat, hiſtorias poſt Polybium libris LII perſequentem uſque ad bellum Cyrenaicum; quod illud eſſe neceſſe eſt, quod a Ptolemaeo Phyſcone geſtum eſt, ſub Olymp. CLIV, 4, a. C. N. 161, U. C. 593 [3].

reum unquam fuiſſe: vid. & hic Weſſel. Tum de Dionyſii claſſe Ol. 93, 4, lib. XIII, 109, de Agathocle lib. XX, 89, Ecl. XXI, 12, pag. 492. De Gigantibus in campis Phlegraeis proſtratis ad eum provocat lib. IV, 21 extr. & Philiſti de Sicanis narrata refutata ab eo narrat V, 6, ut aut antiqua interdum repetiiſſe aut intexuiſſe Timaeum hinc appareat: ut factum videmus de Locrorum Epizephyriorum deductione, ap. Polyb. XII, Exc. 2, p. 326, 333, Tom. II, & p. 37 ſqq. Tom. III.

1 Τὰ περὶ Ἀννίβαν. Ecl. XXVI, 3.

2 Ex Catone hoc repetitur in Sext. Aurel. Vict. de O. G. R. 12, 5.

3 Non vero illud, quod ſub Philadelpho ab Ofella geſtum, ut Voſſ. de H. Gr. p. 103 habet.

Ad auctoritatem eorum, quae a Diodoro narrantur, diiudicandam ſuppeditaſſe mihi videor argumenta & praecepta haud contemnenda; ita ut, quoties laudetur Diodorus in tam diverſi generis & aevi rebus, redire poſſint ii, qui eum teſtem adhibent, ad auctorem, quo ille uſus erat. Incuſanda modo in his eſt fortuna, Diodoro non minus iniqua, quam Polybio ac Livio, quod ii libri, quorum maxima erat & auctoritas & utilitas, temporum rerumque gravitate & dignitate, cum maxime interiere. Ad vitam enim civilem ac prudentiam ea demum tempora abundant exemplis & praeceptis utilibus, in quibus homines in magna imperia ac regna coaluere, quae ad noſtrorum temporum conditionem propius accedunt. At quantam narrationum ſeriem 1, quantam rerum geſtarum ſegetem, in poſterioribus Diodori libris interiiſſe putabimus, qui, ſi ſervati eſſent, ſummorum ſcriptorum, quos ille adhibuerat, funeſta ſtrage poſtratorum, deſiderium aliqua ſaltem ex parte levare potuiſſent. Scilicet tardiore genus humanum greſſu ad perfectam aliquam vitam civilem procedere voluit Numen O. M. Quanto enim magis accelerata ac perfecta eſſe poterat omnis ſeu civilis prudentia, ſeu vitae ſapientia, ſi per omnia tempora aequaliter continuata rerum eventuumque memoria ad nos perveniſſet, inprimiſque earum aetatum hiſtoriae ſervatae fuiſſent, in quibus regnorum imperiorumque incre-

Etſi nec illud, quod poſuimus, ſatis exploratum, ſed locum in Suida corruptum eſſe arbitramur; memorantur enim ex Poſidonio, quae ad a. U. C. 613 ſq. ſpectant.

1 Ut uno conſpectu omnium librorum tempora ſubiicerem, ex iis, quae in Eclogis & Excerptis fragmentiſque occurrunt, narrationibus temporum notationes eruere aut elicere ſtudui, quas hoc loco apponere non gravabor.

Librorum XL argumenta & temporum complexum ipſe Diodorus in fronte c. 4 & 5 deſignavit. Opus quidem ſuum ſic diſpeſcuerat, ut prioribus *ſex* libris mythos Troiano bello antiquiores complecteretur; res inde a bello Troiano ad Alexandri interitum geſtas libris *undecim* comprehenderet. A libro itaque XVIII novum hiſtoriarum tanquam corpus procedebat per *viginti & tres* libros, quibus res inde uſque ad Ol. CLXXX, 1, a. C. N. 60, U. C. 694, adeoque per 264 annos geſtas digeſſerat. At ex iis tantum priores tres libri ſuperſunt, in iiſque hiſtoriae annorum XXII; nam liber vigeſimus in Ol. CIX, 3, a. C.

menta & interitus cum cauſis, etiam remotioribus, expoſiti fuere!

N. 302, U. C. 452 exit. Reliquorum, qui periere, librorum, notae temporum a me deprehenſae ſunt ſequentes:

Lib. XXI	Ol. CIX, 3	ante C. N. 302	U. C. 452
XXII	CXXV, 3	278	476
XXIII	CXXIX, 3	262	492
XXIV	CXXXII, 3	250	504 uſque ad finem b. Punici I.
XXV	CXXXIV, 4	241	513
XXVI	CXL, 3	218	536 b. Punici II. init.
XXVII	. . .	. .	. .
XXVIII	. . .	. .	. .
XXIX	. . .	. .	. .
XXX	. . .	. .	. .
XXXI	CLIII, 2	167	587
XXXII	CLVIII, 3	146	608 (cf. III, 44 extr.)
XXXIII	. . .	. .	. .
XXXIV	CLIX, 2	143	611
XXXV	. . .	. .	. .
XXXVI	CLXVIII, 3	106	648
XXXVII	CLXXII, 2	91	663
XXXVIII	CLXXIII, 3	86	668
XXXIX	. . .	. .	. .
XL	CLXXIX, 2	63	691
uſque ad a.	CLXXX, 2	59	695

& belli Gallici a Caeſare facti initium.

EPIMETRUM.

Cum ſub a. LXXXII & III *de Diodori fide & auctoribus, quos ſecutus eſt*, commentarer: id maxime propoſitum habebam, ut multorum in auctoritate veterum ſcriptorum adhibenda iudicium, ſi poſſem, regerem, ſimulque impetum eorum retunderem, qui, nulla in re modeſte ſibi dubitandum eſſe arbitrati, uno ſui iudicii tanquam ictu omnia proſtrata atque everſa eſſe volunt, atque adeo victorum more iraſcuntur iis, qui imperata facere, ſi non recuſant, ſaltem cunctantur, & re diligentius perpenſa nondum omnia ad liquidum eſſe perducta ſtatuunt.

Fidem ſcriptorum antiquorum promiſcue modo laudari, modo elevari videram; Herodoto, Diodoro, Plutarcho, Livio, Dionyſio, Appiano, modo ſervile obſequium praeſtari, modo omnem auctoritatem detrahi, iudicio certo nullo, plerumque pro cauſae & opinionis, quas quiſque animo conceperat, ſtudio & patrocinio. Diodori exemplo declarare volebam, quam diverſae auctoritatis ſint ea, quae in eius libris comprehenſa ſunt, ut eodem iudicio in aliis quoque ſcriptoribus utendum eſſe appareret, utque omnino ex antiquitatis ſtudiis proſcriberentur iudicia illa ſive cum ſuperbia & arrogantia coniuncta, ſive a re parum ſubtiliter perſpecta profecta, quibus hunc vel illum ſcriptorem, quantus quantus ſit, eſſe mendacem, nullius fidei, nullius uſus, pronuntiatur. Meliora vero! nihil in his pronuntiandum eſt univerſe. In uno eodemque ſcriptore multa ſunt diverſae prorſus naturae & indolis, ſive de rebus ad philoſophiam aliamve diſciplinam ſpectantibus ille diſputet, ſive de rebus geſtis tradat; in his quidem ad fidem & auctoritatem eorum, quae tradit, eſt redeundum; quod ſi res diverſorum temporum & hominum ille memoriae tradiderit, ipſa res docet, non unius eiuſdemque auctoritatis ea omnia, quippe a diverſis auctoribus accepta, eſſe poſſe; aliter cenſendum eſſe de iis, quibus quis ipſum ſe interfuiſſe, aliter de iis, quae auditu aut ex actis publicis accepiſſe, quae ex aliis ſcriptoribus hauſiſſe,

profiteatur. Subtilius etiam iudicium eſt adhibendum in iis, quae ex ultima antiquitate repetita ſunt; haec ad noſtrum ſcribendi & hiſtorias condendi morem revocare velle iniquum eſſet, maxime ea, quae a ſymbolis, hieroglyphis, mythis petita, aut populorum narratione, maiorum fide per plures aetates & homines propagata ſunt. Exuendus in his eſt habitus animi noſtri ac ſenſus, induenda ingenia priſcorum hominum, cum ſermone eorum omnique arte & modo, quo animorum ſenſa reddi aliis ſolebant: ita apparebit, non tam conſulto mentiri & fraudem facere voluiſſe homines, quam redire pleraque ad indolem & naturam rudioris ſermonis & antiqui moris, quo rerum memoria fuit ſervata.

In Herodoto, Cteſia & Diodoro interdum de iiſdem rebus multa diverſis modis tradi videmus. Proclive eſt dicere, hunc vel illum eſſe mentitum, eaque, quae traderet, confinxiſſe; at poſſunt plures inter ſe diverſa tradere, nec tamen mala fide. Fuit haud dubie aetas & genus ſcriptorum, qui ſolo delectandi ſtudio ducti ea quae narrarent fingerent: at iſti, quos memoravi, ſcriptores diverſam auctorum fidem erant ſecuti, quam ipſi cum fide ſcriptis quiſque ſuis reddere voluerunt; quod diverſa tradunt, ipſis temporibus, ſummiſque difficultatibus reſciſcendi peregrina & antiqua eſt imputandum. Qui ea tradit, quae diligenti inveſtigatione facta acceperat, poteſt minus vera narrare, nec tamen aut mendacii aut levitatis argui, inprimis ſi profitetur ſe perſcribere ea, quae acceperit; qui autem profitetur, ſe ex aliis auctoribus congeſſiſſe ea, quae appoſuit, non pro auctore eorum, quae tradidit, eſt habendus, ſed redeundum eſt ad primos auctores, & videndum, qua fide & auctoritate illi fuerint. Qui Plutarchum in libro de Iſide & Oſiride mythorum veteris Aegypti auctorem & interpretem ita laudare voluerit, ut ex eius ipſius fide & auctoritate iſta cenſenda eſſe ſtatuat: nae eum egregie falli neceſſe eſt.

Simili cum pudore ac modeſtia verſandum eſſe aiebam in iis hiſtoriis, quarum nil praeterquam fragmenta habemus, eaque ſervata in iis ſcriptoribus, qui ex ſcriptoribus dudum perditis ſua petierant. Iudicium de his utique fieri recte non poteſt, niſi animum intendamus ad eos auctores, qui primi res perſcripſerant, ut aſſequamur, qua fide & auctoritate iſti illa tradiderint, ut porro fragmenta

iſta pro auctorum diverſitate ad diverſas claſſes & ordines redigamus, nec antiqua permiſceamus cum ſequioribus, fide digniores ac graves cum levioribus, argutias aut opiniones ſuique ſeculi iudicia ſequentibus, fontes cum rivulis, nunquam autem dimittamus animis, nos non niſi fragmenta, eaque diverſorum temporum & hominum, tenere, neque adeo iudicium ferri poſſe niſi circumſcriptum, incedendum eſſe pede ſuſpenſo, de partibus forte nonnullis, vix de univerſa re nobis aliquid conſtare, modeſte ac pudenter verſandum eſſe in omnibus.

Ex quo tempore meliore hac critica uti coepimus, antiquae doctrinae copias tanquam diffluentes nimium & late per innumeros meatus ſerpentes ad certum aliquem alveum revocare licuit; reſciſſis enim ac reiectis vanarum opinionum ludibriis, diſputationibus argutis quidem, ipſas tamen rerum naturas haud attingentibus, maximeque remotis iis, quae ab hominum, temporum & ſcriptorum indole, vita, ſenſu, ſunt aliena, omnis hiſtoriae literaturaeque antiquae penus paucioribus quidem, at tanto melioribus, certioribus & utilioribus coepit opibus eſſe inſtructus; redibit ita *antiquior eruditio* ad numerum certum *rerum*, non *opinionum* ac *diſputationum* levium & inutilium, & habebimus *doctrinam* aliquam *ſuis finibus circumſcriptam*, intra quos ſedem figere & habitare poſſis, cum adhuc quaerenti nemo facile reſpondere poſſit: quam late tandem pateat doctrinae antiquae orbis, & quae ſit antiquitatis doctrina encyclia.

Urget autem neceſſitas eius rei tanto gravior, quo magis ingruunt ea tempora, quibus in aprico eſt, converſis hominum animis ad diſciplinas mathematicas ac phyſicas, cum vitae uſibus & neceſſitatibus multo magis coniunctas, quam diſputationes metaphyſicas ac literarias & antiquarias, inprimis finibus omnium literarum in immenſum prorogatis, patriis quoque literis excultis, patrioque ſermone expolito, fieri non poſſe, quin *literarum antiquarum ſtudia ſenſim frigeſcant*, ipſoque neglectu ac ſitu tandem exareſcant, quandoquidem una ex parte ea, quae communiter utilia ac neceſſaria ſunt, ſatis ſunt expoſita & in vulgares literas popularemque inſtitutionem admiſſa, ex parte altera humanitatis & antiquitatis ſtudia adeo in immenſum orbem excreverint, ut difficile ſit ulli homini, etiam vita integra huic uni ſtudio conſecrata, totum cam-

pum & ambitum emetiri. Partim itaque, deſperato ſucceſſu, inprimis nullis ſatis dignis praemiis tantae operae conſtitutis, omittentur haec humanitatis ſtudia, partim inde nonnulla tantum delibari & flores forte decerpi videbimus. Quod ſi igitur antiquitatis ſtudio, quo nec ſacrae nec profanae literae, niſi ſummo cum detrimento ſuo, carere poſſunt, providere volumus, ſatius erit & conſultius, eiectis quiſquiliis, tricis ac ſpinis, fructuoſa retinere, veram ac certam rerum utilium penum parare, inanes coniecturas, ariolationes, inutiles diſputationes & opiniones reſecare, hypotheſes vanas ex noſtri aevi, vitae, literarum, ſenſu & indole in antiquitatem temere illatas, ſuis auctoribus remittere, nec niſi ſimpliciſſima ac veriſſima quaeque, de quibus liquido conſtat, admittere. Appoſitis proximo loco, ſeiunctis tamen iis, quae tantum probabilitate aliqua ex antiquorum hominum ac temporum ſenſu ducta nituntur, memorabimus ea, quae vere antiqua ſunt & habentur, non autem quae pro ſua quiſque ariolatione antiqua fuiſſe opinatur. Haec equidem tanquam *futuri providus auſpex*, ab omni inde tempore, ex quo in his ſtudiis habitavi, ante oculos poſita habui, utque literarum integritati & perpetuitati pro virili conſulerem, hoc egi, ut ſtudia humanitatis ad certam formam ac ſyſtema revocare, quae in ingenti hac librorum farragine diſperſa ſunt, ſub unum obtutum conferre, viam ad literas bonas comparandas expeditiorem facere, inprimiſque certa & explorata interpretationis ac critices principia conſtituere, veteriſque mythologiae & artis operum veram rationem tradere anniterer.

Redeunt haec ad ſaniora ac certiora de rebus iudicia, ad criticam, quae non voculas & literarum apices, ſed rerum rationes, hominum naturas temporumque diverſitates ac viciſſitudines diligenter rimatur; qua ſi recte utimur, ad iuſtam aliquam molem redigi poterunt antiquae literae, & iuſto ſuo ambitu incluſae ac circumſcriptae retinebunt ſuos cuſtodes & περιπόλους, ſuamque laudem & exiſtimationem, etiam aliis literis, ipſiſque patriis, in immenſum efflorescentibus.

Nec tamen haec ita accepta ſunto, ac ſi, a qua quidem ſententia longiſſime abſum, ſtudia antiquarum literarum non ulterius procedere, nihil tentari ſeu coniectura & hypotheſi aliqua ſubſtrata, nihil ſubtilius inquiri aut exponi

velim; hoc volo, & in votis habeo, ne, minuta ac tenuia ſingula perſequendo, ſummam rerum & complexum certum conſtituere, vera, comperta ac liquida & ſincera ab opinatis, probabilia a mere poſſibilibus, vana & inania ab utilibus, diſcernere negligamus; ne quae fundo idoneo deſtituta ſunt, ex edicto pronuntiemus, tanquam non opinione ſed rerum veritate eſſent nixa, ita ut iis refellendis & evertendis iterum nova opera impendatur, iis quae graviora & ad liquidum perducta ſunt, poſthabitis, aut utriſque habitis eodem loco, eadem dignitate.

Haec mihi videor ſecutus eſſe in iis, *quae ad Diodori librum primum de Aegyptiacis interpretandis expoſueram*, ut certam rationem, vera principia & elementa omnis diſputationis ſuper rebus antiquis hoc exemplo propoſito propinarem. Sunt ea ita comparata, ut nullos habeamus ſcriptores domeſticos, nullos rebus geſtis iiſque, qui eas geſſerunt, aetate aequales; ne quidem famam maiorum ad poſteritatem traditam, ac ſerius certis auctoribus perſcriptam: fuere tamen ſcriptores de rebus Aegyptiacis magno numero, ſed qui vixere populo, republica & religionibus Aegyptiacis partim everſis ac ſublatis, partim per advenas & ſub alieno imperio mutatis; nec tamen hos ipſos ſcriptores, excepto uno & altero, habemus ſuperſtites, ex ceteris non niſi excerpta ſeu loca ſeu ſententias, pleraſque ſine auctore & auctoris nomine. [1] Quam caute ac modeſte in his conſtituendis verſandum ſit, facile patet. Sunt omnino ea, quorum memoria ad nos pervenit, non modo aetate, verum & genere rerum valde diverſa: ſunt alia phyſica, alia hiſtorica, alia pro antiquis mythis habenda, alia pro hieroglyphis, alia ab hieroglyphorum interpretatione ducta; haec ipſa interpretatio quam diverſi generis! alia antiquiorum, alia ſeriorum, qui mythos & hieroglyphica ignorarent, coniectando tamen aſſequi vellent; ſunt vulgares ſuperſtitiones & fabulae aniles ſeu ſacerdotum ſeu vulgi, permixtae philoſophematibus acutis

1 Quantus numerus ſcriptorum de rebus Aegyptiacis olim exſtiterit, & in ipſa Commentatione de Diodoro docui, & pluribus enumeratis declarare poſſis. Ita Demetrius ἐν τῷ περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον laudatur apud Athenaeum XV, p. 680 A. Fuere *Lyſimachi* Αἰγυπτιακὰ, e quibus nobilem de Iudaeis locum tranſcripſit Ioſephus in Apion. Fuit *Iſter*, Callimachi diſcipulus, qui περὶ ἀποικιῶν Αἰγύπτου ſcripſerat, laudatus a Stephano Byz. & Clemente Alexandrino.

ſed mytho & hieroglypho implicitis & obſcuratis; alia ſuperſtitio eſt antiquior, alia ſerior, a Graeculis maximam partem, qui Aegyptum obſederunt, profecta; tenendum praeterea, diverſorum nomorum ac civitatum religiones & memorias antiquas a Graecis pro una eademque Aegyptiaca antiquitate habitas eſſe. Facies nova & inſolita ineſt pleriſque, quod, cum literae apud Aegyptios, ut & apud Iudaeos, Indos, Perſas, Babylonios, *unius* tantum *tribus*, *claſſis* ſeu *ordinis* ſtudiis haberentur, qui idem ſolus religionum & ſacrorum curam & ſtudia haberet, omnia, quae nos ad literarum ſtudia & diſciplinas recte referimus, illi religionibus annumerabant; ita ut literae, quales tum erant, inprimis hiſtoriae, ipſa geometria, aſtronomia, philoſophia, pro religionibus, ſaltem religioſis ſtudiis haberentur, & religioſam quoque indolem & habitum induerent. Ea itaque omnia, tam diverſa inter ſe, uno eodemque loco habere, inprimis in populo, qui per aliquot millia annorum diverſiſſima conditione uſus eſt, hoc eſt iniuriam facere & antiquitati & iudicio humano.

Ante omnia itaque diverſae rerum auctoritates pro earum naturis ac temporum indole, criticeſque hiſtoricae legibus ſunt diſpeſcendae; quae clara ac indubitata ſunt, normam aliquam iudicii in incertis & dubiis conſtituent; intelligenda & interpretanda quaeque non modo pro ſenſu ſcriptoris, qui antiquiora enotavit, verum pro ſenſu & iudicio eius auctoris, e quo iſta petita ſunt; antiquiora ſecernantur a ſerioribus, ex fide aliqua, ſeu monumento, ſeu memoria quacunque, vere tradita a iudiciis & interpretamentis ſcriptorum, ea quorum habemus veſtigia notis expreſſa praeferamus merae ariolationi eius, quod, ad noſtrum morem ac ſenſum, forte eſſe potuerit, etſi vere id fuiſſe, argumento declarari poteſt nullo: quo facto omnino retundetur impetus ariolandi temere & coniectandi ſine fundo idoneo. Vera enim ubique ſunt ſimpliciſſima, modo ſimpliciſſima noſtrum quiſque amplecti vellet! Inprimis autem, quod parum accurate adhuc factum video, diſcrimen obſervandum eſt inter mythos & hieroglypha ſeu ſymbola, eorumque interpretamenta; mythi enim, ſeu λόγοι ἱεροὶ, pro involucris rei alicuius ſeu antiqua fide narratae ſeu doctrina traditae ſunt habendi; ſimilia declarantur per hieroglypha; ab iis longiſſime differunt ſacerdotum interpretationes Graecis ſe adeuntibus pro-

pinatae. Quae ad nos pervenere ſub religionum Aegyptiacarum nomine, non ſunt niſi miſcella farrago ſuperſtitionum variarum, ex diverſis, maxime noviſſimis, aetatibus, quae Graecis partim ex vulgi narratione, partim ex ſcriptorum ſuorum lectione, innotuerant. Quo ipſo adeo intelligitur, difficillimam eſſe quaeſtionem de religionum Aegyptiarum originibus; etſi probabile fiat, a craſſioribus ſuperſtitionibus cum cultu vitae meliore & ſacerdotum ſtudiis ad meliora eas eſſe progreſſas, & ab his iterum deſciviſſe ad deteriora, Aegypto primum regum iniqua dominatione, hoſtilibus incurſibus, ſacerdotum impotentia, opibus ſuis deiecta, mox per Perſarum immanitatem opibus ſuis, ſimulque religionibus, cum libertate exuta, tandem ſub Graecis & Romanis moribus & inſtitutis priſcis partim obliteratis partim corruptis. Parum enim probabile fit, aut ab antiquiſſimis inde temporibus notiones rerum divinarum ſanas ac veras inter Aegyptios omnium rerum rudes fuiſſe, eaſque poſtea dolo malo & artibus ſacerdotum fuiſſe corruptas & obſcuratas, aut a ſymbolicis notionum abſtractarum deſignationibus cultus divini elementa eſſe profecta, adeoque animantium cultum a ſymbolis eorum, quae numini tribuuntur, aut propria eſſe creduntur, proceſſiſſe. Seriora haec omnia & vitae iam excultae incrementa eſſe debuiſſe, ipſa rerum natura docet.

Magnam hiſtoriarum partem *ex hieroglyphis & mythis* derivatam eſſe probabile fit, aliam, eamque maximam, *ex eorum interpretatione:* quae ipſa alia *antiquior*, alia *recentior* fuit; huius quidem auctoritas nulla eſſe poteſt, niſi quam veritas aut proxima vero probabilitas parit. Similis religionum fortuna fuiſſe videtur, vix uno loco ac tempore natarum aut ab uno auctore profectarum aut eodem habitu ſibi conſtantium. Ferorum fuere ab initio hominum ac barbarorum convenarum ſuperſtitiones diverſae, varias res ſibi in vita obvias, & in his animantia, venerantium (ut ſolet humano generi inſita eſſe neceſſitas aliqua colendi aliquid, partim a metu partim ab cupiditatis caeco impetu profecta). Fac ſubinde illata eſſe a ſacerdotum ordine ſacra nova, exſtructa templa, novos Deos publice coli coeptos; *cum populi nulla eſſet inſtitutio religioſa*, manſere plebis ſuperſtitiones inter ſacerdotum religiones. Iam cum hi ſoli literas haberent, cumque inter hieroglypha etiam

animantium formae referri coepiſſent: facile fieri potuit, ut variae miſcerentur ſuperſtitiones, utque interpretantium poſtea ſtudiis multo magis confunderentur.

Ipſa hieroglypha nec omnibus aetatibus eadem, nec eiuſdem ſignificatus & notionis fuiſſe, ſed a ſimpliciore ſenſu ad compoſitum, exquiſitum, variatum, proceſſiſſe facile credas. Ab initio credere licet fuiſſe pauciſſima nec niſi marmoribus inciſa, parietibus templorum, obeliſcis aliiſque ſaxis; facta quoque ſigna hominum & animantium, ut eſſent pro hieroglyphis, tandem & aedificia quae pro hieroglyphis eſſent, aſtronomicis ſaltem cum agri colendi praeſcripto coniunctis. Quid factum putabimus, poſteaquam literarum characteribus receptis eadem hieroglypha reddi coeperunt? [1] Quid mox, cum ſuccedentibus aetatibus verae & antiquae notiones obliteratae eſſent? Non adeo nec hieroglypha nec eorum interpretamenta niſi per tempora & per genera conſtitui poſſe putamus; ut adeo primo loco deſcribenda & comparanda eſſe videantur hieroglypha obeliſcorum & monumentorum per Thebaidem aliaque Aegypti loca; [2] inde demum altero loco in cenſum venire poſſunt hieroglypha in mumiis, laminis, fictilibus, aliiſque reliquiis priſci operis obvia; in ultimum locum detrudenda ſunt ſuperſtitionis ſeriorum aetatum per Ptolemaeorum & Romanorum tempora maxime in gemmis occurrentia veſtigia. Numorum ad priſca hieroglypha indaganda exiguus uſus eſſe poteſt, quandoquidem ab antiquo uſu illa multiplici modo, pro hominum, qui tum erant, ingeniis, fuere deflexa & variata. Etenim Adriani aetate priſca hieroglypha priſco ſenſu & notione adhibita eſſe haud facile credam. Ex Graecis ſcriptoribus omnino vix alia addiſci poſſunt, quam quomodo hi homines, pro ſuo quiſque ſenſu, antiqua acceperint & interpretati ſint. Eo enim tempore, quo ſacerdotes graeciſſantes & Graeci Graecas literas in Aegyptiaca inferentes de hieroglyphis, ſymbolis, mythis diſputabant, omnis dudum ve-

1 Diſerte haec expoſita videas a Tychſen V. C. in *Bibliotheca ant. Litt. & Art. faſc. VI*, 1789.

2 Facta eſt ſpes iucunda & exſpectatio, Zoegam virum doctiſſimum, cuius ſagacitatem e *numis Aegyptiis Imperatoriis* notam habemus, obeliſcorum accuratam notitiam eſſe vulgaturum; recte enim ab hoc, tanquam primario genere, procedit omnis Aegyptiorum antiquitas.

rior doctrina Aegyptia antiqua interierat. Ad hoc genus ſpectant pleraque, quae de Sphinge, de Iſide & Oſiride, de Canopo, nuper diſputata ſunt.

Interea perſuaſum mihi eſſe ſignificavi, fieri poſſe, ut, ſi quis cum recto iudicio & induſtria idonea hac in re verſetur, hieroglyphorum ſententias ille magna ex parte recuperet, modo is non niſi paucas eaſque ſimpliciſſimas quaſvis notitias, inprimis aſtronomicas, in iis quaerat, & primum in ea ipſa mentem ſuam inſinuet, quae cum iis notitiis, tum quae cum natura rerum per Aegyptum coelo, terra, & Nilo coniuncta fuere. Nam hoc, ſi quid aliud, ipſa rerum ratio perſuadet, pauciſſimas notiones principio fuiſſe per hieroglypha notatas; aucto quoque numero intra orbem anguſtum eas ſe continuiſſe; verum ut ſolent ea, quae a rerum imaginibus ſeu animo ſeu figura expreſſis, multis modis variatas. Poterit tamen evenire, ut, ſi vel maxime ſenſum hieroglyphorum aliquis teneat, difficile ei ſit, ullo alio ſermone ea commode eloqui & reddere, veluti Sinae dicuntur ſuas notiones non niſi ſuo ſermone & ſuis characteribus reddere poſſe. Omnino ab aſtronomiae rudimentis omnem Aegyptiorum doctrinam & doctrinae laudem proceſſiſſe cenſeo; idque ita ſe habere, multo magis patet ex doctiſſimis Gattereri noſtri Commentationibus. 1

Adiiciam adhuc nonnulla ſigillatim:

Pag. XXVIII in nota 1 in Schol. Apollonii IV, 262, recte quidem interpretatus ſum aſſertum Hippyos Rhegini; verba tamen de Aegyptiis *καὶ πρώτους στοχάσασθαι τῆς τοῦ ἀέρος κράσεως* pleniora dare licet e Cod. Reg. Pariſ. *καὶ Ἵππων δὲ* (immo *Ἵππυς*) *τότε τοῦ Νείλου ὕδωρ γόνιμον εἶναί φησι, καὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἀρχαιοτάτους ὁμολογεῖ, λέγων πρώτους αὐτοὺς ἄλλων τε* (del. *τε*) *στοχάσασθαι φύσεως καὶ κράσεως ἀέρος ὅπως ἔχει.*

1 *De theogonia Aegyptiorum* in Commentationibus Soc. R. Gott. Vol. VII; & *de metempſychoſi Aegyptiorum* Vol. IX. Ingenioſe nonnulla addidit acutiſſimi ingenii vir, *Vogel*, über *die Religion der alten Aegyptier.* Aſtronomiae prima elementa ſapientiae Aegyptiorum fundum conſtituiſſe nullus dubito. Dicti adeo illi fabuloſe ante ſidera exſtitiſſe, quippe quae ab ipſis primo fuere ſignis notata; ut Arcades ante Lunam: conf. Apollon. IV, 261; de quibus actum in *Opuſc.* Vol. II, p. 332. Hieroglyphorum itaque antiquiorem & praecipuum uſum in aſtronomicis fuiſſe ſuſpicari licet; inde ea traducta ad philoſophemata & theologiae capita.

Inter auctores, qui de rebus Aegyptiorum egerant, fuit *Hellanicus*, Herodoto aetate par aut paulo maior; fuiſſe ɜius Αἰγυπτιακὰ trinis locis Athenaei conſtat XI, pag. 470 D. XV, p. 679 F. & p. 680 B. adde locum Photii Cod. 161; quos diligenter inter Hellanici fragmenta retuiſſe video Sturzium V. C. p. 39 f.

Utinam *Hecataeum Abderitam* [1] ſaltem & *Manethonem* habe, remus, utpote antiquiſſimos inter Graecos ſeculi Proemaeorum! Collegerant enim hi & perſcripſerant accepta ı ſacerdotibus de rebus Aegyptiacis, etſi eorum, quae ɔerſcripſerant, aut non ſatis accuratam eos, aut ad Graecas hiſtorias & religiones deflexam plerumque notionem ıabuiſſe facile conceſſerim. De fide Manethonis ex nobili oco de columnis in terra Seriadica apud Euſeb. & Syncellum praecipitare iudicium nolim, nam eſt ille ab exſcriptoribus interpolatus & corruptelis contaminatus. Quanum tamen ex Diodori verbis lib. III, 11, colligere licet, :x *Agatharchide* & *Artemidoro* maxime pendet Diodori fides *n rebus Aegyptiacis* non minus, quam in Aethiopicis. Sunt utem illi e primis Ptolemaeorum aetatibus, & diligentes, n geographicis ſaltem, ſcriptores.

Plutarchum eorum, quae in libro de Iſide & Oſiride nodo commentatur, modo argutatur, tam parum diligener auctoritatem, quam ſequitur, apponere, aegre ferinus. Diverſae auctoritatis ea eſſe, & hieroglypha ipſa ntiquoſque mythos (λόγους ἱερούς) cum interpretatioibus modo antiquiorum modo ſomniantium Graeculorum ermixtim apponi facile odoreris.

Quod pag. XLIX partem fabuloſe narratorum ad ſacer-

1 Eundem Hecataeum in iis, uae de Hyperboreis tradit, ſeuitur Diodorus infra II, 47. Iecataei liber *de Aegyptiorum philoſophia* non bene laudatur ex Diogene Laërt. prooem. Nam erba: Hecataeus ἐν τῇ πρώτῃ ερὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας, ınt ita accipienda: ἐν τῇ πρώτῃ, *primo libro* ſc. τῶν Αἰγυπτιαῶν *tradit de Aegyptiorum philoſophia*. Exponit eo loco Diogeɜs plura, quae vulgo Aegyptioum philoſophemata fuiſſe narntur; & provocat in nonnullis ad Manethonem ἐν τῇ τῶν φυσικῶν ἐπιτομῇ, quae forte pars τῆς ἱερᾶς βίβλου fuit, ad Hecataeum, mox & ad *Ariſtagoram*, cuius Αἰγυπτιακὰ Stephanus Byzant. quoque laudat. Contra mentio Aegyptiacarum rerum v. c. ap. Athenaeum X, p. 418 D. E. ab Hecataeo ἐν περιηγήσει facta ad antiquiorem, Mileſium, referenda erit, ſiquidem περιήγησις eius laudatur: vid. tamen Valken. nota ad Herodot. pag. 139, 51.

dotes templorum aedituos retuli, qui antiquorum in templis monumentorum rationem reddere vellent, egregie illuſtrari poteſt libello, qui inter Lucianea habetur, de Dea Syria; refertus ille eſt eiuſmodi fabuloſis narratiunculis ſacerdotum, qui veras ſuarum religionum origines ipſi ignorabant.

Quae pag. LVIII ad lib. III Diodori de rebus Africae in votis habueram, inter ea ſunt, quorum ab eo inde tempore (1784) iam aliqua ex parte compotes facti ſumus. Obtigerunt praemio e Regia liberalitate in Academia noſtra ornatae commentationes *Io. Frid. Hennicke* de Geographia Africae Herodotea 1788, & *Io. Melch. Hartmann* de Geographia Africae Edriſiana 1791. Vulgata praeterea eſt *Io. Brucii* narratio de Abyſſinia, & coiit *Societas* inter Britannos *profectionibus per Africae interiora parandis & tuendis;* [1] quorum veſtigiis inſiſtens, comparatione cum iis, quae ab Herodoto tradita ſunt, facta, veterum mercatorum idem & per eaſdem terras iter fuiſſe, quod nunc tentatur, acute & docte docuit A. H. L. *Heeren* noſter V. C. in libro nuper edito graviſſimi argumenti. [2]

Inter ſcriptores, qui Diodoro haud ignoti eſſe potuere, pag. LX, eſſe debuit Philo, ὁ συγγράψας τὸν εἰς Αἰθιοπίαν πλοῦν, quippe Eratoſthene antiquior. Eius Strabo mentionem facit lib. II, p. 130 A. Et Antigonus Caryſtius c. 160 excitat Philonis Αἰθιοπικά.

Ad pag. LX. Secundum ea, quae ab Heeren noſtro diſputata ſunt de commerciis antiquiſſimis per Aethiopiam, non improbabile fieri video, quod hic difficile ad aſſequendum mihi viſum erat: potuiſſe ipſos Aethiopes cultum aliquem & humanitatis & religionum in Aegyptum inducere habitatam iam a populis diverſarum tribuum ſeu gentium, ſed ferocibus & incultis; ſiquidem tribus in Meroë iam antiquioribus aetatibus fuiſſe videtur certarum religionum cultrix, adeoque ſuper ceteras tribus ac populos eminens auctoritate & dignitate. Dicas quidem, nec minus ex Thebaide in Meroën illam penetrare potuiſſe

1 Cuius etiam prodiit narratio conatuum hac in re: *Proceedings of the Aſſociation for diſcovering the interior Parts of Africa.* (*Gel. Anzeig* 1790, p. 1870) & nuper *Additional Obſervations* (*Gentlemans Magazine* May 1793, pag 405 ſqq.)

2 *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmſten Vœlker der alten Welt* 1793.

Sunt tamen plura, quae alterum potius factum arguere poſſint, ut ex Meroë ad inferiorem Nilum commerciis hominum & rerum ita ducentibus deferrentur homines; etſi vel ſic fieri potuit, ut ſequentibus aetatibus iterum per Aegyptios Aegyptiacae religiones in Aethiopiam inferrentur, ut factum conſtat per militum transfugarum agmen Pſammetichi regis aetate. Herodot. II, 30. Aegyptios a Nigritis originem duxiſſe, dubitari vix poteſt etiam poſt ea, quae Meiners, Collega coniunctiſſ. de veterum Aegyptiorum origine docte & acute diſputavit. Utinam antiqua monumenta coram intueri liceret! forte enim declarari ex iis poſſit, diverſas a vulgo facies ac vultus fuiſſe ſacerdotum; ita omni dubitatione ſuperſederemus, diverſaene originis iſta tribus fuerit, adeoque Aethiopicae, non Nigriticae.

Aethiopes *Macrobios* in ipſa *Meroë* ſedes habuiſſe coniectabam pag. LXI. Memineram quidem apud Herodotum dici eos habitaſſe ἐπὶ νοτίῃ θαλάσσῃ, & ἐς τὰ ἔσχατα τῆς γῆς expeditionem factam. Verum nec minus his vocibus notionem valde latam & laxam ſubeſſe bene memineram; νοτίη θάλασσα eſt ſane mare orientale Africae lib. II, 42, ubi Phoenices ἐκ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης ἔπλεον τὴν νοτίην θάλασσαν; adde III, 11: nec minus tamen νοτίη θάλασσα de ſinu Arabico accipienda eſt aliis locis, ut lib. II, 158, 159. Vix autem aſſequi licet, quomodo homini, veſano quoque, in animum venire potuiſſet, exercitum ducere itinere XX fere graduum, & quidem partim per deſerta, partim per terras frequentia magna hominum habitatas; nam adeunda fuiſſet Meroë, cum omnibus terris, quae nunc Abeſſiniam & Adel regnum conſtituunt. Quae niſi eſſent, nihil videri poſſet accommodatius coniectura V. C. Heeren, ad extremam oram Africae orientalis, circa Soffala, auri metalli divitem, expeditionem paratam fuiſſe. Non quidem me movet, quod apud Diodor. II, 33, & Strab. XVII, pag. 1139 A. Meroë a Cambyſe condita ab eius ſorore nomen accepiſſe dicitur. Fabuloſum hoc eſt; Aethiopes, quos ille in profectione ad Macrobios ſubegerat, ipſis Aegypti finibus inſidebant: lib. III, 97. Nec tamen Meroë Macrobiorum ſedes eſſe potuit; ut ipſe mea vineta caedam; nam de Meroë ipſe Herodotus diſerte agit II, 29; nec Macrobiorum in ea meminit. Cum propior Aegypti finibus terra ſit circumſpicienda, videtur illa

quaeri poſſe [1] in locis ad ſinum Arabicum ſitis; totus ille tractus iam inde ab Aegypti finibus, metallis inſignis fuit; finitimas inhabitabant terras Ichthyophagi, litus ſinus Arabici inhabitantes, quibus adeo communis cum Macrobiis ſermonis uſus eſſe potuit, etſi diverſae ab iis ſtirpis fuiſſe videntur. Incoluerunt enim, uti nunc, ita olim, diverſarum ſtirpium homines Africam, & ipſas terras orientales, in quibus Abeſſinia ſita eſt; alii Nigritarum, alii Macrobiorum ſimiles. Quod vix quinta profectionis parte confecta de reditu cogitandum fuiſſe Cambyſi ait Herodotus, non de ipſo reditu dictum eſt, ſed ſub ipſum deſerti ingreſſum, *iam tum commeatum defeciſſe*, perſtitiſſe tamen Cambyſen in agmine ulterius ducendo. Convenit cum his, quod apud Strabonem inter Pſelchen & Premnin exercitus interiiſſe diſerte memoratur.

Ad ea, quae pag. LXV ex Diodoro, conſentientibus Agatharchide & Strabone, memoravimus de populis ſecundum Aſtaboram fl. habitantibus, multa nunc memorabilia leguntur in Brucio lib. IV, quae cum antiquis conveniunt; neque Shangalla, qui nunc iiſdem locis nomadum more vivunt, alia vitae inſtituta ſequuntur, neque *Agazi* & *Agows*, ſpecus inhabitantes eodem more, quo *Troglodytae* dicti veteribus. Enotavit inde nonnulla Heeren (l. c. pag. 240 ſq.).

Quae pag. LXXVIII de Pythagora & Pythagoreis a Diodoro bene tradi dixeram, ex *Ariſtoxeno* & *Dicaearcho* ducta eſſe ſuſpicabatur *Meiners Geſchichte der Wiſſenſchaften in Griechenland* Tom. I, p. 237. Et de *Hieronymo Cardiano* (pag. LXXXIV) conferendus eſt *Mannerts Geſchichte der Nachfolger Alexanders* p. 352, ubi quoque Diodori cenſura pag. 363 adiecta eſt.

1 Et in hac ſententia iam alios viros doctos fuiſſe video, etiam Meiners. Ducit eo ipſe Herodot. III, 114, quod Macrobiorum terra obiecta eſſe narratur Arabiae. In Edriſio terra Boga montibus auri argentique fodinis clara cum urbe Adam in his locis memoratur. Vid. Hartmann. Commentat. p. 53.

IEREM. NIC. EYRING
QUAESTIO
DE
OPERIS HISTORICI
A DIODORO SICULO COMPOSITI
GENERE AC VIRTUTIBUS

i. Diodorus contra iniquas adverſariorum reprehenſiones defenſus.

Cum in univerſa vita humana, & vulgari adeo aliorum hominum uſu, prudentia opus eſt, tum in legendis uſurpandiſque rerum geſtarum ſcriptoribus ſingularis cura eſt adhibenda, ut ipſorum ingenia ac mores, fontes, unde ſua hauſerint, conſilia, quae ſecuti ſint, ſcribendi denique genus explorata habeamus, ſi fidem, ipſis habendam, certam atque tutam eſſe velimus. Tantoque magis ea cura opus eſt, quanto maior hiſtoricorum & numerus eſt & diverſitas. Quamobrem lectoribus haud ingratum futurum eſſe ſperamus, ſi eam curam nunc quidem ad Diodorum convertamus, qui & veterum Graecorum ſcriptoribus claſſicis accenſetur, eamque ob cauſam gentis vetuſtatiſque auctoritatem praefert, & multarum rerum apud antiquos populos geſtarum auctor fonſque eſt unicus.

In Diodoro Siculo cum alia multa ſub examen vocari poſſint, nos praecipui momenti res ad tria capita putamus redigi poſſe. Prima quaeſtio ſcriptoris fidem ſpectat, qua inquirendum, an ingenio ad inveſtigandam rerum geſtarum veritatem apto inſtructus, doctrinaque idonea excultus, ſincero ſtudio populorum hiſtorias, origines, fata

reſque geſtas indagaverit, bonaque fide & accurato iudicio comperta expoſuerit? Quod ut cognoſcamus, non ſolum res, ab eo relatae, cum aliorum ſcriptorum narrationibus diligenter comparandae, ſed fontes, unde eas primum hauſerit, auctoreſque, quos maxime ſecutus fuerit, quoad id fieri poteſt, explorandi ſunt. Alter diſquiſitionis locus eſt de operis forma, methodo atque ordine, ut conſtet, utrum rerum multarum non niſi congeriem ac confuſam molem exhibuerit, quod ipſum libri nomen prodere nonnullis videtur; an univerſi generis humani apto ordine diſpoſitam hiſtoriam, quam vulgo catholicam appellare ſolemus? Tandem tertius diſputandi locus ſupereſt, de boni hiſtorici ſingularibus virtutibus, quae vel ad orationis elegantiam, vel ad rerum ipſarum delectum faciendum, vel ad rerum geſtarum cauſas indagandas, vel ad explicandum hiſtoriae uſum, alioſque ſeu inſtruendi ſeu delectandi modos pertinent.

Agamus autem de his ita, ut primo quidem, quae in Diodoro a diverſis fuerint reprehenſa, recenſeamus univerſa, deinde vero ſingulatim ea tantummodo perſequamur, quae partim ad operis totius genus & oeconomiam, partim ad ſingulas boni hiſtorici virtutes pertineant, quaeſtione altera tertiaque comprehenſa; plane itaque praetermiſſa quaeſtione prima de fide & auctoritate hiſtoriarum Diodori, quippe quam interea expediendam ſuſcepit ſummae eruditionis vir Chr. G. Heynius, cuius commentationes tres ſuper hoc argumento ſcriptae, & primum in Commentatt. R. Soc. Scientt. Gottingenſis exhibitae, huius ipſius voluminis principium ornant. Proinde quae nobis explicanda relicta ſunt, ea duplici ſcriptione proponamus: quarum haec, quae prior eſt, de operis hiſtorici Diod. Sic. genere ſimulque de nonnullis virtutibus ſingularibus aget; poſterior, quae hanc ſequetur, operis ipſius accuratiorem deſcriptionem complectetur.

S E C T. I.

Recenſus eorum, qui de Diodori opere hiſtoriarum inique iudicarunt.

Si veterum ſcriptorum, ingenii, doctrinae, orationis elegantia & laudibus ita praeſtantium, ut exempli inſtar

nobis ſint, de Diodoro, qui in ipſorum numero habetur, iudicium exſtaret, haud dubie auctoritatem non levem haberemus, quam in aeſtimando huius ſcriptoris pretio ſequeremur. Sed eorum neminem novi, qui vel obiter vel de conſilio declaraſſet, quid de Diodoro eiuſque opere hiſtorico ſentiendum putaret. Plinii maioris locus (L. I, 3, 5 ed. Hard.), qui vulgo afferri ſolet, laudis quidem aliquid continet, ſed quod operis potius titulum [1], quam argumentum ſpectet. Id tamen Iuſtini Martyris & Euſebii [2] teſtimoniis patet, Diodori hiſtoriarum librum apud eruditiſſimum quemque Graecorum in maximo fuiſſe pretio, & ob rerum, quas contineret, copiam, diligentiſſime eſſe lectum. Commemorati eccleſiae Chriſtianae doctores, qui ipſi eruditionis laude erant inſignes, honorificentiſſime de Diodori opere iudicaverunt, eorumque iudicia ſummae auctoritatis viri recentioris aevi, Ioſ. Scaliger, Ger. Io. Voſſius, H. Stephanus, Deg. Whear, Petr. Weſſelingius & noviſſime Chr. G. Heynius ſuis ſuffragiis confirmarunt.

His quamquam egregia nec vana de Diodoro opinio excitari & ali poſſit, tamen conſultum eſt, nec inauditos ab altera parte praeterire eos, qui vel ſeverius vel iniquius de Diodori opere pronuntiarunt eique probra intulerunt; ut, expenſis his, quae notata & reprehenſa fuerint, eius auctoritas fiat exploratior ac tutior.

1) *Io. Lud. Vives.*

Primus, iſque acerrimus Diodori cenſor & caſtigator, erat *Io. Lud. Vives*, Valentia oriundus, Hiſpanus, qui, quamvis inter literarum inſtauratores clarus († 1540),

1 Id apparet e totius orationis nexu; quem ut cognoſcant lectores, locum ipſum apponamus integrum. *Inſcriptionis*, inquit, *apud Graecos mira felicitas* (feſtivitas); κηρίον *inſcripſere, quod volebant intelligi ſavum; alii* κέρας ἀμαλθείας, *quod copiae cornu: ut vel lactis gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtum. Iam Muſae*, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμὼν, πίναξ, σχέδιον, *inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſſit. At cum intraveris, Dii Deaeque, quam nihil in medio invenies! Noſtri craſſiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque; facetiſſimi, Lucubrationum, ut qui Bibaculus erat & vocabatur; paulo minus ſerio Varro in Satyris ſuis Seſculyſſem & Flextabula. Apud Graecos deſiit nugari Diodorus, &* βιβλιοθήκης *hiſtoriam ſuam inſcripſit* cet.

2 Iuſtin. Mart. *Protrept.* pag. 10: ὁ ἐνδοξότατος παρ' ὑμῖν τῶν ἱστοριογράφων Διόδωρος, ὁ τὰς βιβλιοθήκας συντεμὼν ἐν τριάκον-

Eraſmi familiaritate & aliis modis conſpicuus, veterumque adeo ſcriptorum lectione excultus eſſet, tamen eos ipſos, quorum diſciplinae alumnus erat, acerba reprehenſione inſectatus eſt, & Graecorum praeſertim hiſtoricos ſimul omnes, in his autem maxime Diodorum Siculum in viliſſimorum & vaniſſimorum hominum numerum retulit. Afferam ipſa eius verba. Primo, in opere *de cauſis corruptarum artium*, & libro quidem ſecundo [1], quo multa contra priſcos ſcriptores diſputata ſunt, Graecorum hiſtoricos his verbis perſtrinxit: »Graecos multae res ad mentiendum in hiſtoria pellexerunt. Primum idem ille patriae amor, quam putarunt ſe vehementer celebraturos, ſi magnitudine mendaciorum extollerent, & ſe de illa optime mereri. Praeter haec in Graecia ingens fuit excellentium ingeniorum copia, tum dicendi facultas promta & abundans, quae ſi ſe intra veritatis limites cohibuiſſet, non valuiſſet ſe ipſam ferre tantis viribus luctantem ſecum & erumpere nitentem; ita quam materiem ex rebus non poterant nanciſci, ipſi finxerunt ſibi inuſitatam, raram, immenſam, admirabilem, ſtupendam, in qua ſe vis illa ingenii ac orationis facile exerceret. Sic etiam iudicabant ſe magis lectori placituros, quam illos, qui nudam eſſent & ſimplicem veritatem perſecuti; praeſertim quod viderent, ſuperiores occupaſſe laudem verae narrationis, ſe, ſi eadem dicerent, fore contemtui, nec lectorem inventuros. Quid? quod videbant, illa grandia & tragica & fabuloſa magis otioſo lectori arridere, magnamque ſibi paraſſe gloriam, qui illa ſcripſiſſent, ut Homerum, Heſiodum, Muſaeum, Orpheum & alios priſcos poëtas. Iam, quo minus poſſent redargui, non auſi ſunt de rebus Graecorum mentiri, quandoquidem facile poſſent domi a multis confutari; longe petierunt hiſtoriam, in qua tutius mentirentur, res Perſicas, res Aegyptias, res Chaldaeas deſumſerunt ſibi, ut Herodotus, quem verius mendaciorum patrem dixeris, quam, quomodo illum vocant nonnulli, parentem hiſtoriae; & Diodorus Siculus, quem neſcio cur Plinius dicat deſiiſſe primum apud Graecos nugari, cum ni-

τα ὅλοις ἔτεσιν. Euſeb. *Praep. Ev.* L. I, 6: ὁ Σικελιώτης Διόδωρος, γνωριμώτατος τοῖς τῶν Ἑλλήνων λογιωτάτοις, κ. τ. λ. Horum aliorumque de Diod. Sic. teſtimonia excerpta reperies a Weſſelingio in eius editione Diodori poſt praefat.

1 *Opp. Baſ.* 1555, fol. pag. 369 ſq.

hil ſit eo nugacius. An defendit eum titulus, quod libros ſuos non illecebroſa aliqua nuncupatione invidioſos fecerit, ut priores, ſed bibliothecae hiſtoriam inſcripſerit?»

Deinde alio tempore alioque libro, quem *de tradendis diſciplinis* ſcripſit, impetum iteravit, iiſdem ferme verbis uſus. »Diodorus Siculus, inquit, [hiſtoriam deducit] ab inundatione, quae ſub Ogyge fuit, rege Boeotiae, ad ſua tempora, id eſt, ad C. Caeſarem Dictatorem, quem Plinius neſcio qua cauſa dicat primum apud Graecos deſiiſſe nugari, cum nihil eo ſit nugacius, niſi forſan quod nullum operi ſuo illecebroſum aut magnificum titulum indiderit, ſed inſcripſerit tantum *βιβλιοθήκας*. Graeca hiſtoria fabuloſiſſima eſt uſque ad Olympiadas, nec quiſquam vera a falſis diſcreverit; ſed nec quae deinceps ſequitur mendaciis caret, licet paulo verecundior.»

2) *Io. Bodinus.*

Cum Vives convicio magis, quem argumentis, Diodori opus damnaviſſet, at *Io. Bodinus*, cuius haud multo mitius de eo iudicium fuit, ſuae criminationi certe cauſas adiunxit. Diſputavit autem in *Methodo hiſtorica* 1 in hunc modum contra Diodorum: »Sunt, qui Diodorum ſuperioribus conferendum, plerique anteferendum putant: non tamen video, quid in eo tantopere admirentur; ſive dicendi genus, quo nihil magis vulgare dici poteſt, ſive rationem hiſtoriarum ſpectent. Recte quidem & ordine proponit ea, quae initio cuiuſque libri dicturus eſt, ſeque ipſum breviter colligit, ut videre eſt initio primi libri, ubi totum opus in libros XL partitur. Sex prioribus tempus omne complectitur ante bellum Troianum; undecim ſequentibus a bello Troiano ad Alexandri mortem; reliquis XXIII ab Alexandro uſque ad bellum Gallicum. Quod quidem tempus annos centum ac triginta ſupra mille comprehendit, praeter ea, quae fabuloſa veteres appellant ante bellum Troianum. Ex quo ad Heraclidarum reditum annos ſupputat XC, ſecutus Apollodorum; hinc uſque ad primam Olympiadem CCCXXVIII, a prima Olympiade ad bellum Gallicum DCCXXX. Haec diligenter. Illuſtrium quoque philoſophorum, hiſtoricorum ac poëtarum aetates ſolus e veteribus ad hiſtoriam adiunxit. — Sed quod

1 Ineſt in *Artis hiſtoricae Penu* Tom. I, p. 60 ſq.

Diodorus in Theopompo reprehendit, idem in Diodoro coargui poteſt. Ait enim, ex libris octo & quinquaginta, quinque eſſe, quorum dubia ſit fides: ita ex libris XL Diodori, quorum vix duodecim integros habemus, quinque priores paene ex fabulis conflati videntur, ut Vives nihil eo ſcriptore nugacius eſſe putet, tametſi primus eſt inter Graecos, qui Plinii iudicio nugari deſiit. Cum vero univerſitatis hiſtoriam ſcribere propoſuiſſet, totus eſt tamen in hiſtoria Graecorum. Quin etiam prolixior eſt in unius Gilippi Lacedaemonii concione, (Laconicae brevitatis & ſuae in Thucydidem reprehenſionis oblitus) quam in hiſtoria bellorum, quae per Italiam geſta ſunt annis fere trecentis; cum tamen longa digreſſione de peſte Athenienſium & eius cauſis diſputet. Omitto, quam abſurda ſit eius interpretatio de anno lunari, cum homines annos mille ducentos aliquando vixiſſe crederentur, quaſi non his quoque temporibus hanc aetatem multi ſuperarent. Sed cum annos XXX in hiſtoria ſcribenda & regionibus obeundis ſe conſumſiſſe fateatur, miror, cur Italiae finitimae hiſtorias adeo negligenter tractarit; praeſertim cum florente Romanorum imperio, id eſt, Caeſare dictatore, claruerit. Nam ſi quis Livium ac Dionyſium cum Diodoro comparet, ubique fere in Romanorum antiquitate diſcrepantes iudicabit; maxime in ratione Faſtorum & Olympiadum, in quibus ſaepiſſime labitur. Idque fortaſſis imperitia linguae Latinae contigiſſe puto, quo minus ſcripta Romanorum diligentius inquireret; argumento eſt, quod ubique *Φρούριον* pro Furio ſcribit, quaſi Graeca vox eſſet. Idem Ancum Horatium pro Marco, Sp. Manium pro Melio, Lactucam pro Luctatio, Trigeminum pro Tricoſto. Quod ut librariorum vitio tribuatur, (ſic enim opinor) non tamen poteſt in Conſulibus, Decemviris ac Tribunis militum Conſulari poteſtate eadem excuſatio habere locum, in quibus enumerandis modo tres modo quatuor omittit, totamque Faſtorum Conſularium rationem confundit. Sed haec Caroli Sigonii & Onuphrii Panvinii ſtudiis ac labore facile poſſunt emendari.» — Unde patet, Bodini quidem iudicio Diodorum inter hiſtoriae catholicae ſcriptores utique referri, rerumque ordinem, quem ſecutus ſit, & operis univerſi rationem plane approbari, tanquam ei conſilio ac tam late patenti argumento maximopere congruam; ſed diſplicere & reprehendi haec: 1) linguam

minus cultam, & genus ſcribendi vel nimis tenue vel vitiis adeo e vulgari uſu admixtis inquinatum; 2) fabulas ſ. mythologiam, hiſtoriarum veritati ſociatam; 3) narrationis inaequalitatem, profuſa in Graecorum rebus luxuria & parca rerum externarum, praeſertim Romanarum, expoſitione conſpicuam; 4) commiſſos contra chronologiam errores crebriores & graviores.

Franc. de la Mothe de Vayer & *Io. Terraſon* Diodori potius defenſores & laudatores, quam vituperatores.

Quos vero inter veterum ſcriptorum & praeſertim Diodori cenſores iniquiores poſitos deprehenderam, *Franc. de la Mothe de Vayer* & *Io. Terraſonum,* eos, lectis ipſorum ſcriptis, tantum abeſſe comperi, ut Diodorum contemnant, ut ipſum potius ab iniqua aliorum vituperatione defendant, & operis praeſtantiam graviſſimis argumentis declarent atque confirment. Inprimis vindicandus *Vayerius*, quem olim, errore deceptus, Diodori adverſariis ſocium [1] adiunxeram, cuius ipſe erat admirator ac patronus. Inter eius iudicia [2] de principibus veterum Graecorum & Romanorum hiſtoricis diſputatio quoque eſt de Diodoro Siculo, cuius ſummam hic quam breviſſime proponam. Ac primo ſtatim felicem praedicat eius patriam, Agyrium & univerſam adeo Siciliam, quod clara fuerit cive (tali), ſine cuius opera omnis paene antiquitatis multarumque rerum, quae eam memorabilem fecerunt, eſſemus ignari, quique triginta annorum labore ſuſcepto, peractiſque cum maximo periculo multis itineribus, accuratam terrarum, populorum, rerumque ab his geſtarum cognitionem comparaſſet, opuſque hiſtoricum compoſuiſſet, quod multorum ſcriptorum bibliothecae vicem vere ſuſtineret. Deinde totam fere diſputationem convertit ad refellendas criminationes a *Vive* & *Bodino* contra Diodorum allatas. Atque hanc ſcripti partem in noſtros de Diodoro commentarios totam transferamus. Probra, inquit, a

1 In *Allgem. Hiſt. Biblioth.* V. IV, p. 6.

2 *Jugement ſur les anciens & principaux Hiſtoriens Grecs & Latins, dont il nous reſtent quelques Ouvrages*, poſt eius *Diſcours de l'hiſtoire*, in *Oeuvres de Franc. de la Mothe de Vayer.* Paris. 1662, f. pag. 514 ſqq.

Lud. Vive, Hiſpano, Diodoro obiecta, non maioris momenti ſunt, quam ea, quorum Bodinus, Gallo-Francus, ipſum incuſavit. Talia probra non ſunt probro. Alter in ſtilo atque verbis reprehendendis ſubſtitit, alter ipſum hiſtoriae corpus reſque, quibus compoſitum eſt, oppugnavit. Quod ſi Vivi fidem habeamus, Bibliotheca Diodori hiſtorica nil vanius eſt, & Plinius in graviſſimo errore verſatur dictitans, Diodorum inter Graecos primum fuiſſe, qui ſeria tractaverit, & a ſcribendis nugis abſtinuerit. At negandum tamen non eſt, talis viri, qualis fuit Vives, tum quidem, cum viveret, doctiſſimi & patriae ſuae unici ornamenti, accuſationem eſſe graviſſimam. Neque ignoramus, praeter eum alios quoque viros, ut Pighium & Sigonium, queſtos eſſe de erroribus, quos Diodorus, corruptos faſtos ſecutus, in Chronologia commiſerit. Vivem haud dubie Auguſtini etiam auctoritas movit. Nam cum in eius libros de civitate Dei commentatus eſſet, non potuit non animadvertere, quanta indignatione ſummus ille eccleſiae doctor Aegyptios (L. XVIII, c. 40) perſecutus ſit, qui dicerent, ſe inter libros ſuos habere commentarios centies mille annorum, quod Diodorus non reprobavit. Quid? quod is ipſe hunc numerum ſupergreſſus eſt (L. II), commemorans ingentem rerum coeleſtium notitiam, a Chaldaeis comparatam, qui obſervationes iactarent, 472000 annis Alexandri M. expeditione Aſiatica antiquiores. Iam ante autem dixerat (L. I), Aegyptiorum alios decies, alios vicies mille annos inde ab Iſide & Oſiride uſque ad Alexandrum M. numerare, primoſque eorum reges, qui Dii fuerint, ſingulos 1200 annos regnaſſe. Talibus haud dubie offenſus Vives ultro controverſiam movit in Diodorum, quem a Plinio non niſi ob operis titulum vult laudari, quod hic certe ridiculam vanitatem vel inſolentiam, quam reliqui Graeci in operum inſcriptionibus ſectati fuerint, primus depoſuit.

Quamquam autem inde maxime ducta ſit egregia laus, quam Diodoro Plinius tribuit, *primus apud Graecos deſiit nugari Diodorus*, tamen interpretatione plerumque eadem ad univerſam bibliothecam accommodari ſolet. Quamobrem plane iniurium eſt, ſi qui, Vivem ſecuti, pronuntiant, eius hiſtoria nil eſſe vanius, nil incertius. Nam primo Aegyptiorum Ephemerides & aſtronomicae Chaldaeorum computationes nullo alio conſilio commemoratae ſunt,

quam ut inde intelligeretur, quae vulgaris populorum iſtorum opinio fuerit, nullo addito argumento, quo conſtet, his ulla ratione fidem eſſe habitam. Tantum abfuit, ut hoc faceret, ut potius libro ſecundo expreſſis verbis profiteretur, ingens illud temporis ſpatium, quod e Chaldaeorum philoſophorum placitis Alexandri victorias praeceſſiſſet, ſe nequaquam ſequi poſſe. Deinde autem, quod ad fabulas ſpectat totamque mythologiam, quinque prioribus Diodori libris comprehenſam, plane perſuaſum habemus, eam non ſolum non vituperandam vel contemnendam, ſed tanquam pretioſiſſimum antiquitatis monumentum habendum ac tuendum eſſe. Quoque minus dubites, memineris, cum multas alias fabulas graviſſimo conſilio compoſitas exſtare, niſi forte Timaeum Platonis multaque alia maximi pretii opera, tanquam res inanes, abiicienda putes; tum illas maxime, quas Diodorus literis mandavit, univerſam idololatrarum Theologiam tradere, adeo ut hos quinque Diodori libros *ſacrum Gentiliſmi Codicem* appellare liceat. Hi certiores nos reddunt, quid gentes profanae de aeternitate & de creatione mundi crediderint. Primorum hominum originem iiſdem deſcriptam deprehendimus, e commentis ingenii humani, divina inſtitutione & antiquorum monumentorum fide deſtituti; ac praeterea univerſam Aegyptiorum Theogoniam, unde Graeci ſuam derivaverunt, cuius nos, ſi Diodoro careremus, plane eſſemus ignari. Eſt adeo Diodorus poſt ſacros Hebraeorum ſcriptores primus, qui hiſtoriae ſuae initium ab ortu univerſi fecit, quemadmodum Moſes a creatione mundi. Quare ſi iniquo fato deſtinatum fuit, ut tot aliorum ſcriptorum opera interirent, cauſas haud leves habemus, cur Diodori libros, quos nobis ſors haud invidit, ſummo ſtudio amplectamur, eoſque contra iniquam Vivis eiuſque ſimilium criminationem defendamus. „ — Ita Vayerius, graviſſimis argumentis contra Vivem diſputans, ipſe Diodori vindex factus eſt.

Maior in *Io. Terraſonum* ſuſpicio, ne Diodori contemtoribus accenſendus eſſet, excitata eſt a *Dalemberto*. Hic in elogio [1], quod ei ſcripſit, refert vulgo credi, Terraſonum Diodori Siculi interpretationem Gallicam, ab ipſo diligenter factam, multiſque laudibus exceptam, nulla alia

1 V. D'Alembert *Melanges de Literature d'hiſtoire & de Philoſophie* (Berl. 1753) Tom. I, p. 317 ſq.

cauſa in lucem edidiſſe, quam ut ita pateret, quam caeci ſint veterum ſcriptorum admiratores. Nam cum conveniens fuiſſet, ſimilem cum ſimili, Homerum comparare cum Miltone, Demoſthenem cum Boſſueto, Tacitum cum Guichardino vel forſitan nullo omnino, Senecam cum Montagnio, Archimedem cum Newtono, Ariſtotelem cum Carteſio, Platonem & Lucretium cum Bacone; at vero mala fide Terraſonum egiſſe, & veterum cauſam prodidiſſe videri, qui recentioribus oppoſuerit Diodorum Siculum, hiſtoricum credulum, ſcriptorem inferioris ordinis, & ipſa interpretatione, quamvis haud mala, magis depravatum. Veriſimilitudinis ſpeciem accepit haec accuſatio eo, quod in celebri illo certamine de veterum ac recentiorum ſcriptorum principatu, Terraſonus, edita 1715 Diſſertatione contra Homeri Iliada, ad Lamottii partes inclinare & contra Dacieriam pugnare videbatur. Sed quamvis haec ita ſint, tamen falſo crimine accuſatus eſt. Namque praeterquam quod nemo facile tam longum & ingratum laborem eo conſilio ſubire ſolet, ut interpretando in contemtum adducat alterum, cuius librum in aliam linguam verterit, primo Terraſonus in praefatione multa in laudem operis dixit, utpote quod inter veterum monumenta praecipuae dignitatis & utilitatis eſſet; deinde, teſte ipſo Dalemberto, tanta huic viro probitas, ſinceritas, ſeveritas atque conſtantia inerat, ut a tali ſimulatione atque fraude longiſſime abfuiſſe putandus ſit.

3) *Burignius.*

Commemorandus praeterea eſt *Burignius*, hiſtoriae Siciliae ſcriptor haud ignobilis, qui in praemiſſa operi [1] commentatione de antiquis Siciliae hiſtoricis, in hunc modum contra Diodorum eiuſque bibliothecam diſputavit. » Quamquam, inquit, Diodorus fama inter antiquos nobiliſſimus ſit, tamen facile animadvertendum, ei iudicii ſubtilitatem, & elegantiam exactamque diligentiam defuiſſe, ſi ipſum cum reliquis antiquitatis ſcriptoribus, qui eaſdem res perſecuti ſunt, comparemus. Index Archontum, quem exhibet, admodum vitioſus deprehenditur. Nihil vero minus perfectum eſt, quam quod ſuper hiſtoria Romana commentatus eſt; Conſulum annos confundit, eorumque

1 *Hiſt. generale de Sicile*, Tom. I, p. 26 ſq.

nomina plerumque corrupta exhibet. Qui ultimis annis Olympiadis LXXIII Conſulatu functi ſunt, eos in annum primum Olympiadis LXXV tranſponit: qui quidem anachroniſmus quinque annorum per operis partem haud exiguam continuatur. Subinde accidit, ut ſingulorum Conſulum mentionem omnino omittat, alios contra nominet, qui hunc magiſtratum nunquam adierunt, alios in alterum annum Conſules faciat, quorum imperium non niſi unius anni fuit. Similiter magiſtratus commemorat, qui imperio Romano per quinque annos praefuerint, in nullo omnino alio hiſtorico obvios. (Conf. L. XVII, p. 576, 578; L. XIV, p. 329.) Verbo, ea tota operis pars, quae *hiſtoriam Romanam* continet, per ſummam negligentiam tot tantiſque erroribus eſt repleta, ut nuſquam tutum ſit ea uti; quo conſtat, quam vana ac temeraria fuerit audacia, qua comparatam linguae Latinae notitiam & diligentem Hiſt. Rom. commentariorum ac monumentorum uſum iactavit. Ergo recentiorum doctiſſimus quiſque parvi aeſtimarunt Diodorum. *Voſſius* tantam eſſe errorum in hiſtoria Rom. vim, aſſerit, ut appareat, eum vitiatos faſtos eſſe ſecutum; atque ita *Bodinus*, *Sigonius* & *Pighius* cenſuerunt. *Dodwellus* [1] cum ſummo contemtu de Diodoro loquitur.»

4) *Comes de Caylus.*

Propoſitae virorum doctorum admonitiones argumentum reſque ipſas ſpectabant, a Diodoro literis mandatas, ac praecipue chronologicam earum rationem. His itaque ultimo loco adiungenda eſt cenſura *Comitis de Caylus*, qua narrationis indoles, operis hiſtorici diſpoſitio, ſeu rerum deligendarum & apte collocandarum ratio, ſtudium ad eventorum cauſas effectuſque explorandos vel expendendos adhibitum, denique auctoris ipſius ingenium & iudicium, ſuſcepto opere & maxime rerum delectu & uſu declaratum, ſub examen vocatur. In *Caylo* cum & ingenium & doctrina emineat, quae utraque virtus diuturna lectione & accurato antiquae hiſtoriae atque antiquorum artis monumentorum ſtudio exculta, editiſque ſummae eruditionis operibus demonſtrata eſt, haud dubie viri tanta eruditione & ſollertia praediti iudicium memoratu digniſſimum &

1 Vid. *Annales Thucydideos* pag. 58 & 248.

graviſſimum videri debet. Is quidem Academiae Inſcriptionum & bonarum literarum Pariſienſi *Commentationem de antiquorum Hiſtoricorum & praecipue Diodori Siculi virtutibus vitiiſque* exhibuit, cuius epitomen Hiſtoriae eius Academiae Tomo XXVII inſertam, quatenus ad Diodorum Siculum pertinet, Latine verſam poſt reliquas huius hiſtorici caſtigationes in medium proferamus. » Diodori praefatio, inquit, velut in parva tabula hiſtoriae univerſae & totius generis humani fata complectentis ſpeciem pulcherrime depictam exhibet. Quidquid de ſcribenda hiſtoria praecipit, rationi & verae philoſophiae conſentaneum eſt, reique propoſitae accuratam peritiam & proinde doctum intelligentemque hiſtorici operis exiſtimatorem prodit, adeo ut propoſita hiſtoriae imago, cui vere ineſt decor & maieſtas, praeclaram de eius ingenio excitet opinionem, ac ſenſum iudiciumque veri & decori arguat, ſeculo Diodori i. e. Iulii Caeſaris & Auguſti excultum eoque dignum; ſeculo, inquam, quo quidquid Roma in omni genere literarum praeclari habuit, ad ſummum ſplendorem pervenerat. Sed id ipſum artis hiſtoricae ſpecimen, quod in operis fronte, velut eximium ornamentum, nitet, pro operis ipſius ratione, cuius eximiam magnitudinem & praeſtantiam annuntiat, incongruum eſt. Dicas, Diodori animum tum maxime, cum prooemium ſcriberet, a ſuperioris aevi Graecorum hiſtoricorum lectione recentem fuiſſe, ſpirituſque inde digniores cepiſſe. Vis, quam illorum ſcripta in animum habuerunt, & ſumma eorum admiratio, qua tanquam benigniore igne incaluerat, ad id temporis momentum maiorum rerum cogitationem progenuerunt. Mox vero ſuo exemplo demonſtravit, facilius eſſe, rerum gerendarum praecepta dare, quam exſequi. Nequidquam animus ad altiora tendit, adverſante & repugnante natura. Quoties bonus Diodorus in narrationibus ſuis a praeceptis ac placitis aberrat in prooemio propoſitis! In fabularum explicatione, ecce ſua commenta iis, quae nationes opinabantur, quarum mythologia erat tradenda, ſubſtituit. Iam quidem quae ipſe opinatur & diſputat, per ſe abſurda non ſunt; at non ſuae magis, quam Aegyptiorum aliorumque populorum, de quibus ageret, opiniones erant enarrandae. Praeterea ab hiſtorico iure poſtulari poteſt, ut philoſophi inſtar, rationis humanae, magis minuſve cultae, hiſtoriam, ac ſecundum eam felicita

tis humanae incrementa & decrementa diligenter obſervet, & operi ſuo intexat. Quamquam enim Graecorum hiſtoricis omnibus id vitium commune eſt, ut huius rei nullam aut levem habeant curam, tamen nemo eorum magis, quam Diodorus, hanc rem neglexit. Aegyptiorum peculiares opiniones, rerumque ideas ab iis primum ſuo modo & e ſuo ingenio conceptas, quas Graeci ſecuti nec minore ambitione, quam arte imitati ſunt, praeteriit omnino non animadverſas. Ne multa; etſi Diodorus doctam obiit peregrinationem, multorumque annorum laborem, quo ad perficiendam bibliothecam opus eſſe putabat, rebus inquirendis & colligendis impendit, tamen facile intelligi poteſt, eum, ſi cum ſummis Graecorum hiſtoricis comparetur, admodum mediocri praeditum fuiſſe ingenio. Sed cum univerſam paene ſeculorum ſeriem a prima origine uſque ad ſuam aetatem perſecutus ſit, eius hiſtoriae lectio nihilominus perutilis, quid? quod neceſſaria eſt. Nam quanta rerum copia, alias non obvia, vel in ea operis parte, quam ſolam habemus reliquam, continetur! » — Ita poſt reliquos Caylus de Diodoro iudicavit.

Iam autem auditis adverſariorum rationibus, iuvabit, quae a ſingulis ſingulatim in Diodorum prolata fuerint, in ſummam contrahere, ut planius intelligamus, quae amplius & accuratius diſquiri & explorari debeant. Omnia redeunt ad haec accuſationis capita:

I. *In fabuloſa populorum hiſtoria, quae ab hiſtorica veritate ſeiungenda erat, tanquam in re magni momenti Diodorum verſatum eſſe.* Sed hanc vanitatis & nugarum accuſationem, a Vive & Bodino contra Diodorum inſtitutam, ipſam vaniſſimam eſſe inde poteſt intelligi, quod omnium populorum prima aetas erat mythica, ab hiſtorico tanto minus praetereunda, quanto magis conſtat, primo ortu linguam quamvis fuiſſe mythicam, omnemque rudiorum populorum hiſtoriam, religionem & ſapientiam mythis ſ. fabulis comprehenſam. Haec una obſervatio totam Vivis accuſationem refellit. Itaque ab hac parte nihil vitio aut culpae Diodoro dari poteſt, nec ampliore defenſione opus eſſe videtur; qua *Henr. Stephanus* functus eſt in *brevi Tract. de Diodoro eiuſque ſcriptis*, & *Heynius* in Prooemio ad *Commentat. I de Diod. fide & auctoritate*, circa finem. Horum prior & graviſſime & veriſſime pronuntiavit: *Haec & alia, quorum conſideratio virum iudicio praeditum decebat, ſi*

conſideraviſſet Vives, non tam aperte, dum Diodorum nugacem appellat, nugatus ipſemet fuiſſet.

II. *Contra chronologiam, multis modis multiſque locis, praeſertim in hiſtoria Romana, peccatum eſſe.* Hoc probrum, fateamur, non plane diluendum. Quamquam enim Henr. Stephanus (in *brevi Tract. de Diod. Sic.*) praedicet, eum res geſtas tam diligenter & accurate atque adeo exacte temporibus diſtinxiſſe, ut hac in re palmam inter hiſtoricos obtinere videretur, nec ipſe tamen reticuit, in Archontum & Conſulum annis atque nominibus multos obvios eſſe errores, & alii viri doctiſſimi & chronologiae peritiſſimi, ut Car. Sigonius, Io. Bodinus, Laur. Rhodomanus, praeſertim H. Dodwellus in Annal. Thucydid. multis locis obſervarunt, confuſas eſſe annalium rationes, Conſules Romanorum vel omiſſos, vel male collocatos, vel corrupto nomine appellatos. Quae cum ita ſint, ne operam perdamus in purgando & defendendo Diodoro, ſed ut ad manum ſint accuratae tabulae & ſubſidia alia chronologica curemus, quibus tum, cum aberraverit Diodorus, admoneamur & regamur, ne eius aberrationes nos confundant. Quin ipſa editorum cura huic rei debet proſpicere.

III. *Orationem minus, quam deceat, ad elegantiam cultam & expolitam eſſe.* Haec quidem inprimis *Bodini* accuſatio eſt, ſupra ipſis eius verbis propoſita. Diodorum vel defenderunt vel excuſarunt cum *Rhodomanus*, tum *Weſſelingius*, uterque in ſuis ad Diodorum praefationibus. Primo oppoſuerunt *Photii* 1 auctoritatem, qui genus ſcribendi hiſtoriam vel maxime accommodatum praedicavit, mediocre quidem nec admodum ornatum, nec tamen vernaculum vel plebeium, ſed purum & perſpicuum; rati, Photio tali in re maiorem, quam Bodino, fidem habendam eſſe, utpote Graecas literas mediocriter intelligenti. Tum, ſi quae forte obvia ſint, quae Herodoti, Thucydidis, Xenophontis elegantiae adverſari videantur, excuſationis cauſa admonuerunt, Diodoro, Sicilia oriundo, & ob patriam dia-

1 Κέχρηται δὲ φράσει σαφεῖ τε καὶ ἀκόμψῳ καὶ ἱστορίᾳ μάλιστα πρεπούσῃ· καὶ μήτε τὰς ὥς ἂν εἴποι τις λίαν ὑπεραττικισμένας ἢ ἀρχαιοτρόπους διώκων συντάξεις μήτε πρὸς τὴν καθωμαλισμένην νεύων παντελῶς, ἀλλὰ τῷ μέσῳ τῶν λόγων χαρακτῆρι χαίρων, φεύγων τε τροπὰς καὶ τ' ἄλλα· πλὴν τῶν παρ' Ἕλλησι μυθολογουμένων θεῶν τε καὶ ἡρώων, ὅσα τὸ ποιητικὸν ἔθνος νέμεται.

lectum & ob ſeculum, quo linguae Graecae indoles iam corruptior erat, nonnulla eſſe ignoſcenda. Nos vero putamus, in ſcribendi genere, quo Diodorus uſus eſt, permulta utique ineſſe, & ſingula verba & univerſam ſermonis ſtructuram ſpectantia, quae ipſi ſint propria & a melioris aetatis ſcriptorum dicendi more abhorreant, tum demum accuratius obſervanda & explicanda, ſi forte, ex Heynii auctoritate, Extero placuerit, huic Diodori editioni Indicem Graecum pleniorem vel Gloſſarium adeo adiungere, a quo conficiendo nec ego ſum alienus.

IV. *Aliarum gentium res, notiones, religiones, transformatas eſſe in Graecas.* Pluribus id improbatur, & in his Caylo; nec id quidem immerito, cum res ipſa in dubium vocari non poſſit: & tamen in promtu eſt, quod pro Diodoro dici poſſit. Primo temporis & gentis commune, non Diodori proprium, erat id vitium: deinde veroſimile eſt, monumenta Aegyptiacis literis vel hieroglyphicis exarata, mature in Graecam linguam eſſe translata, itaque per Graecam interpretationem modo a Graecis interpretibus, modo ab Aegyptiis Graece doctis, admodum corrupta; Graecis proinde in Aegypto peregrinantibus omnia e fontibus Graecis fuiſſe haurienda. Denique Diodorus ſequitur alios Graecos ſcriptores, qui *ad Graecas religiones, Aegyptiacas deflexerant.* Sed id ipſum argumentum, quod pro Diodoro adhiberi iure debet, planiſſime & doctiſſime explicuit Heynius in *Comment. I,* pag. XXXI, XXXIV ſqq. pag. XLII, XLVIII ſq. Quare amplius in eo non commorabor.

V. *Hiſtoriam neque pragmaticam neque philoſophicam eſſe.* Hoc quoque Diodoro a Caylo obiectum eſſe vidimus, qui propterea hiſtorici ingenio ut hebetiori inſultavit. Iam quidem cauſas rerum, ſaepe abditas & abſtruſas indagare vel coniectura aſſequi, & ſuper hominum ingeniis moribuſque, rerumpublicarum conſtitutione, quidve vel vitioſi vel boni habeant, ſubtiliter & copioſe diſputare, quin locus ſit, ubi id utique optabile videatur, quis dubitabit? Sed quam parum id in Diodoro fuerit laudabile, quantopere potius ab eius opere ſcribendique conſiliis alienum, facile iudicabis, ſi memineris, Diodoro omnium populorum & aetatum hiſtorias uno opere complecti propoſitum fuiſſe; ſatius itaque fuiſſe, rerum geſtarum ſummam narrare, quam ſuper ſingularum rerum argumentis diſputare. Id adeo gratum ſit lectoribus, materiam hiſtoricam ita

congeſtam exhiberi, ut proclive fiat *aliis*, iudicandi & diſputandi libidini indulgere. Quamobrem quod vitio nonnulli Diodoro vertere conati ſunt, in laudem facit; tantoque eam certionem putamus, quanto eam magis Heynii iudicio (in *prooemio* ad *Commentat. I de Fontib. & Auctorib. hiſtoriar. Diod.* ſupra pag. XXII ſq.) aſſertam & confirmatam intelleximus.

VI. *Univerſam operis deſcriptionem vitioſam eſſe, nec auctoris conſilio nec artis hiſtoricae regulis congruentem.* Scilicet internis multum perſtrictis, reſtabat, ut externam libri formam impugnarent. Haec recentiſſima diſceptatio erat, a I. A. Erneſti mota, quam integram proxime ſequenti ſectioni reſervandam duxi, ubi & controverſiae cauſas, & quid iis expenſis atque opere ipſo ad regulas artis explorato, exiſtimandum ſit, pluribus ſum expoſiturus.

SECT. II.

De genere operis hiſtorici, a Diod. Sic. compoſiti.

Cum ambitu formaque externa hiſtoriarum deſcriptiones diverſae ſint, opera hiſtorica in ſpecies plures dividi ſolent. Id intelligendum, ſi de genere operis, a Diodoro Sic. compoſiti, quaeritur. Quamquam vero multi multa de Diodoro eiuſque bibliotheca diſputaverint, tamen nemini in mentem venit quaerere, in quam librorum hiſtoricorum claſſem id opus referri debeat? Credo, quia omnes pro certo accipiebant, id *hiſtoriam catholicam* continere. Sed aliter viſum b. *I. Aug. Erneſti*, qui primus eam rem in controverſiam vocavit. Is in praefatione ad primum volumen hiſtoriae univerſalis per Anglos *Guthrie* & *Gray* exaratae, & in linguam Germanicam cum Heynii aliorumque virorum doctorum annotatione translatae, expoſita ante hiſtoriae univerſalis notione, expreſſis verbis aſſeruit, veteres hiſtoricos eius omnino ignaros fuiſſe, nec Diodoro propoſitum fuiſſe, eius generis opus ſuſcipere. Utar eius ipſius verbis. »Apparet, inquit, totam antiquitatem, alioquin praeſtantiſſimis omnis generis exemplis abundantem, nullam exhibuiſſe hiſtoriam catholicam, tametſi haec iſto tempore *minus* late pateret, & e fontibus multo, quam nunc, facilius hauriri poſſet. Concedamus, multis id videri Diodoro propoſitum fuiſſe, ut hiſtoriam, quam di-

cunt, univerſalem ſcriberet; ſed id verum eius conſilium eſſe vix potuit. Cum operis inſcriptio, tum res ipſa argumento ſunt. Voluit *bibliothecam hiſtoricam* condere, i. e. *collectam hiſtoriae catholicae materiam* exhibere, ex optimis cuiuſcunque generis hiſtoriarum ſcriptoribus excerptam, unde olim aliquis, ingenio & ſtilo praeſtans, hiſtoriam catholicam contexere poſſet. Certe opus, quale e reliquiis cognoſcitur, aliud nihil erat. » — Itaque hac ſententia hiſtoriae catholicae ratio ab hoc opere plane abiudicata eſt.

Iam cum iudicium, a viro ſummae eruditionis & auctoritatis profectum, omnino vanum eſſe non poſſit, ſed certiſſime aliquo fundamento nitatur, at vero alii omnes, & in his quoque ingenio doctrinaque praeſtantes viri, diverſam ſequantur opinionem, diſpiciendum eſt, quae res Erneſtium induxerit, ut, quod cunctis ſententiis erat tributum, ſuo id arbitrio tolleret. Nos quidem putamus, in verbis potius, quam re, omnem controverſiam verſari. Primo quod ex operis titulo ductum eſt argumentum, nihili eſt. Quidni enim liceat hiſtoriae catholicae, quae e tot ſingularum nationum hiſtoriis congeſta ſit, *bibliothecae* nomen imponere? Deinde in ipſa hiſtoriae catholicae notione multum ineſt ambigui, quandoquidem ſub eodem nomine plures ſpecies, ambitu & methodo diverſae, comprehenduntur, quas multi, rem obiter contemplantes, confundunt, nec ſatis accurate diſcernere ſolent. Quamobrem ante omnia, ſpecierum diſcrimina, quae communi hiſtoriae catholicae nomine deſignantur, explicanda ſunt; tum demum autem decerni poteſt, ad quam ſpeciem ſinguli hiſtoricae catholicae ſcriptores referendi, & ad quam normam iidem ſint diiudicandi.

In hoc omnes conveniunt, *hiſtoriae catholicae* eſſe *conditores, quicunque omnis aetatis hiſtorias uno opere complectantur;* differunt autem ambitu, delectu, methodo. Ad haec reſpiciens, quadruplex librorum, ſub communi nomine hiſtoriae catholicae comprehenſorum, diſcrimen, ſeu quatuor eorum claſſes obſervavi, quae hic recenſendae ſunt, ſi unius claſſis exempla, & in illis obſervatum delectum & adhibitam methodum, cum Diodori opere comparare velimus.

Unum genus ad hoc inventum atque factum eſt, ut aetatum vices, ſive temporum, populorum, regnorum ſucceſſiones, in rudiorum uſum primis & craſſioribus lineis

diſtinguerentur. Id *rudimentum novitiorum* appellare licet. Vulgo religionis hiſtoriam fecerunt principium, ſecundum quod eorum regnorum ſeries eſt ſecuta, quorum imperio credebant terrarum orbem a numine inprimis ſubiectum fuiſſe. Sponte intelligent omnes, hanc quatuor Monarchiarum methodum eſſe, potius ex Danielis vaticinio [1], in eam partem accepto, & ex opinata eorum regnorum ad religionem divinitus traditam ratione, quam e rei natura ſumtam. Tametſi rudiori inſtitutione ad accuratiorem hiſtoriae catholicae cognitionem praeparandi erant animi, tamen non conveniebat adoptare eiuſmodi rationem, quae falſam animis opinionem inferret, regnorum & populorum aliorum, maxime memorabilium, memoriam tolleret, & hiſtoriarum ſtudium univerſum corrumperet. Alii ſubinde in hac methodo nonnulla emendarunt, eamque ipſam multis modis aptiorem reddiderunt: alii in eius locum ſubſtituerunt aliam rationem, ut vel ſolam patriarcharum, Iſraëlitarum & Caeſarum hiſtoriam omnis hiſtoriae vel chronologiae fundum atque normam facerent, cui deinceps aliorum populorum hiſtoria, ſecundum temporum periodos, adiiceretur & interpolaretur; vel e tribus reliquis methodis, mox deſcribendis, unam ad rudiorum uſum accommodarent.

Alter modus eſt plenior populorum regnorumque praecipuorum delectus per ſynchroniſmum propoſitus ſeu epochis communibus accommodatus ita, ut diverſarum gentium res coaevas facilius fiat comparare. Eſt itaque mixtum hiſtoriae catholicae genus, compoſitum e duplici methodo, cum chronologica per maiores minoreſque periodos ducta, tum ethnographica, ſecundum ſingulos eoſque nobiliores populos in ſingulis periodis obvios. Huius methodi inter recentiores principem habeo Chriſtoph. Cellarium; quem ſecuti ſunt viri doctiſſimi, qui eam magis expolirent, hiſtoriamque ita traditam uberiore rerum geſtarum expoſitione pleniorem & ornatiorem redderent. Sed ſucceſſerunt etiam, qui hanc viam corrumperent, modo temporum intervallis praeter rationem factis, modo propoſita rerum temere coacervatarum turba, in qua & delectum & idoneorum auctorum uſum requiras; cuius generis opera nec uſu tuta nec lectu iucunda ſunt. Ceterum

1 Vid. *Ioan. Sleidani* de quatuor ſummis imperiis Lib. I, pag. 18, & Lib. II, pag. 368 ſqq.

haec ratio, dummodo hiſtoria, ad eam compoſita, ſit diligenter elaborata, ſimul tradendis populorum rebus geſtis, ſimul diverſis lectorum ingeniis, ordine regendis & adiuvandis, narratione autem inſtruendis & delectandis, percommoda eſt. Quod autem in tanta librorum multitudine, ad hanc rationem factorum, & hiſtoriae catholicae titulum praeferentium, pauci praeſtant, plurimi vero nullius ſunt pretii, id argumento eſſe poteſt, ad id operis ſuſcipiendum & cum laude perficiendum ingenio iudicioque haud mediocri, accurata & multiplici veterum ſcriptorum lectione, eximia denique doctrinae copia opus eſſe.

Tertium genus hiſtoriae univerſalis pleniſſimum quidem eſt, at nulla paene vel exigua compoſitionis arte inſigne. Singularum rerumpublicarum, regnorum, populorum hiſtoriae ſingulatim exhibentur, diſpoſitae quidem ad quandam ſucceſſionis legem, ceterum nullo alio nexu, niſi quem tituli communio praebet, iunctae. Singulae autem partes pleniſſimam omnis generis rerum memorabilium deſcriptionem continent, ſive illae ad rempublicam adminiſtrandam defendendamque pertineant, ſive ad ſacra, ſive ad artes & diſciplinas, ſive ad coeli aëriſque naturam ac terrae proventus ſpectent. Quae veriſſime *Corpora hiſtorica* vel *Bibliothecam hiſtoriarum* appellare licet. Maximum huius generis opus virorum doctiſſimorum in Anglia ſocietas paravit, auctum deinceps, emendatum & expolitum Germanorum doctrina & induſtria. Sed in eiuſmodi opus, quantum quantum eſt, illud Senecae dictum cadit: multum adhuc reſtat operis multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula praecludetur occaſio, aliquid adhuc adiiciendi.

Reſtat quarto loco exquiſitior ratio, quae non tam *univerſa* amplectitur, quam potius ea ſeligit, *quae ad univerſum ſpectant*, alias vero res admittit nullas, niſi quae ad univerſum genus hum. praecipuam vim habuerunt. Omnia hic eo tendunt, ut communem populorum rationem & orbis terrarum grandiores viciſſitudines cognoſcas, adiuncta cauſarum & effectuum accurata explicatione. Cernitur itaque haec H. U. notio: 1) ſelectu talium populorum, talium imperiorum, talium rerum geſtarum, talium denique hominum, quorum ad generis humani univerſi, certe plurium populorum felicitatem vel augendam confirmandamque, vel imminuendam turbandamque bellis, imperiis, legibus, inſtitutis, inventis, praecipuum fuit momentum.

2) Ordine, ac diſtributione, quae tali ſelectui talique conſilio ſit apta, quaque & rerum populorumque ſynchroniſmus fiat evidentior, & mutuus gentium rerumque nexus clarius cognoſcatur. Res itaque & viri grandiores, converſiones inſigniores, eventus maximi adhibendi ad diſtinguendas temporis epochas. 3) Cauſarum & effectuum perſpicua explicatione, qua pateat, quibus rebus factum ſit, ut in quovis aevo, orbis terrarum conditio & plurium populorum fortuna vel peior vel melior facta ſit. Poſſis hanc H. U. rationem *philoſophicam* vel *politicam* appellare, ſi a reliquis tribus ſingulari nomine diſtinguere velis. Quemadmodum vero is, qui talem generis humani hiſtoriam animo propoſitam habet, accurata ſingulorum populorum notitia, philoſophiae & diſciplinae politicae ſtudio inſtructus eſſe debet, ſi ſingula comparare, & quantum ſingula ad genus humanum excolendum valuerint cognoſcere velit; ita haec ipſa ratio ad inſtitutionem tironum parum idonea eſſe videtur, niſi hi elementari diſciplina & praecipuorum populorum particulari hiſtoria ante fuerint praeparati. Nam nulla ante rerum, ſuper quibus philoſopheris, copia comparata, omnis philoſophandi conatus vanus eſt. Talem hiſtoriae catholicae ideam ſi b. Erneſti animo conceptam habuit, eamque ſolam hoc nomine dignam aeſtimavit, non iniquum ſane eſt eius iudicium, quo Diodorum e numero eorum, qui hiſtoriam catholicam ſcripſerunt, exemit. Nimirum in enarrandis rebus & tradenda hiſtoria hic potius, quam in philoſophia ſuper rebus geſtis verſatus eſt. Tum autem erratum in eo, quod pauciora, quam quae loquendi uſus poſtulabat, ſub eo nomine complexus eſt.

Iam itaque expeditiora ſunt, ſecundum quae iudicium de genere operis, a Diodoro compoſiti, faciundum erat. Principio quandoquidem veri nominis hiſtoricus quatuor rebus cernitur, perſpicua rerum geſtarum narratione, delectu, ordine ac fide, cuncta autem haec in Diodori opere reperiuntur, ſuo iure ac merito ipſe in hiſtoricorum numero habendus, contra Erneſtii ſententia reprobanda, qui operis titulo deceptus putaverat, eo non niſi indigeſtam rerum molem, undique temere conquiſitam, contineri, eiuſque auctorem praeter exſcribendi & compilandi ſedulitatem nihil, quod hiſtorici laude eſſet dignum, praeſtitiſſe. Deinde cum ab hiſtoriae catholicae conditore praeter ea,

quae cum reliquis hiſtoricis communia habet, officia, praecipue hoc poſtuletur, ut *omnium aetatum hiſtorias uno opere* complectatur, vel e rebus humanis *ea, quae ad univerſum genus ſpectaverunt*, collecta & ordine propoſita exhibeat, quis dubitabit Diodori opus primis hiſtoriae catholicae periculis & exemplis accenſere? praeſertim ſi reputaverit, 1) eam ipſam hiſtoriae catholicae ideam, eiuſque adeo ſcribendae conſilium, in operis praefatione [1] & alibi propoſitum eſſe; 2) id apparere ex comparatione operis ſimul cum hiſtoricis particularibus, ſimul cum populis tum maxime cognitis & claris, quorum omnium hiſtoriam id opus complexum eſt; 3) ipſamque operis totius eiuſque partium deſcriptionem ſ. oeconomiam, infra a nobis exhibendam, id prodere; 4) tantum abeſſe, ut operis titulus adverſetur, ut potius hic eidem conſilio & argumento declarando aptiſſimus ſit, *hiſtoriam collectam* cum *plurium populorum*, tum *e pluribus ſcriptoribus* hiſtoriae particularis variis congeſtam & in unum comportatam, indicans Quam verbi vim Diodorus ipſe declarat & confirmat, pronuntians ſe *κοινὰς πράξεις*, h. e. plurium populorum vel ad plures populos pertinentes res eſſe perſcripturum. 5) Viros denique doctiſſimos & graviſſimos una mente ac voce conſentire in hoc, ut Diodori opere hiſtoriam catholicam contineri aſſerant. E pluribus ſufficiat *Henricum Stephanum* [2], *Weſſelingium* [3] & *Heynium* [4] nominare, quorum virorum auctoritatem haud vanam eſſe exiſtimandum eſt. Iam vero, quatuor propoſitis hiſtoriae catholicae formis, ſi quaeras, quacum maxime conveniat ratio, quam Diodorus ſecutus eſt, non dubito, quin omnes facile intelligant, eius opus referendum eſſe ad id hiſtoriae catholicae genus, quod altero loco a nobis deſcriptum eſt, in quo per epochas communes praecipuorum populorum res enarrantur. Communes epochae vel maiores periodi ſunt tres: I. Res ante bellum Troianum. II. Res geſtae a bello Tro-

1 Pag. 6 & 7.

2 In *brevi Tract. de Diodoro & eius ſcriptis.*

3 In *Praef.* ad Diod. ed. *Cum alii*, inquit, *ſingularum nationum res tradiderunt, at hic* omnium orbis nationum hiſtorias *ab ultima origine repetitas complexus eſt. Tot res tam varias animo capere arduum* eſt; *quid, inter ſe componere, & ordine, ut apte cohaereant, digerere?*

4 *De fontibus & auctoribus hiſtoriarum Diodori Commentat. I,* pag. XX.

iano ad Alexandrum M. III. Principum populorum hiſtoriae uſque ad C. Caeſaris bellum Gallicum. Periodis maioribus ſubiunctae diviſiones & collocandi rationes non eaedem. In prima periodo, ethnographica eſt deſcriptio, ut ſingulatim recenſeantur ſingulae nationes. In reliquis ſecundum Olympiades, ſingulos annos numerat, & rerum geſtarum abruptas partes velut per annos diſtribuit; quae quidem dividendi ratio, alioquin incongrua, tali praeſertim opere talique hiſtorico erat indigna. Sedulitatis ac ſubtilitatis aliquam, at iudicii nullam omnino laudem continet; antiquae chronologiae ſubſidium praebet, ſed ab altera parte continuam rerum narrationem ubique turbat, omnemque hiſtoriae catholicae rationem corrumpit. Simile methodi vitium in Theatro Europaeo & Ioan. Lud. Gothofredi hiſtorica Chronica, quae ipſa hiſtoriae catholicae exempla recentioris aevi ſunt, deprehendimus. Quod autem neque in his recentioribus neque in antiquis laudandum erat, id in Diodoro certe excuſare decet, partim quod in primo hiſtoriae catholicae ſpecimine non facile abeſſe poterant, quae rudiora initia proderent, partim etiam Thucydidis & Livii exemplo, qui eam methodum ornaverant & cohoneſtaverant.

Ceterum ordinis & oeconomiae vitia Diodorus compenſavit virtutibus alius generis, quae eius inter hiſtoricos locum atque dignitatem tueantur. Primo rerum copia & varietate antecellit omnes. Deinde rerum delectu, ubique conſpicuo, & ob eam cauſam ſuſcepta infinitorum paene ſcriptorum lectione & comparatione, non ſolum diligentiam, ſed iudicii etiam dexteritatem & ſollertiam comprobavit. Exempla e pluribus, ubique obviis, pauca commemorabo, unde pateat, eum non temere, quae oblata fuerint, arripuiſſe, ſed ſuo iudicio a diverſis ſcriptoribus relata expendiſſe. Cum annuae inundationis Nili cauſae explicandae eſſent [1], ita diſſeruit: alios eam quaeſtionem plane praeteriiſſe, alios inveſtigando eius rei cauſas a vero aberraſſe; Hellanicum, Cadmum & Hecataeum fabulas eſſe ſectatos; Herodotum, alias in omni hiſtoria curioſum, in opinionibus ambiguis & contrariis verſatum eſſe; Thucydidem & Xenophontem, veritatis ſtudio claros, rerum Aegyptiacarum nihil retuliſſe; Ephorum & Theopompum maximam quidem curam ac diligentiam ad

1 Lib. I, cap. 37 ſqq.

eius rei cauſas inveſtigandas contuliſſe, nec tamen eas aſſecutos eſſe ob ſolam locorum ignorantiam, ſiquidem ante Ptolemaeum Philadelphum nemini Graecorum Aegypti vel Aethiopiae fines adire licuiſſe, cet. — Adde, quae cap. 39, 40 & 41, in eandem rem diſputat. Similiter finita Aethiopum deſcriptione, L. III, cap. 11, (104 C. D.) ſcriptorum addit recenſum. Multos obſervat vel nimis fuiſſe credulos, vel voluptatis cauſa multa ex ingenio ſuo ficta tradidiſſe; Agatharchidem autem Cnidium, Artemidorum Epheſium & nonnullos alios pleraque diligenter ſciſcitatos eſſe: itaque collatis horum narrationibus cum iis, quae ipſe in Aegypto vel per Aethiopum legatos cognoviſſet, omnia a ſe novo & accurato ſtudio eſſe perveſtigata & explorata. — Herodotum & Cteſiam perſaepe ſub examen vocavit, ut patet praeſertim e lib. I, c. 69; lib. II, c. 5, 15, 32. Sed totum hunc locum de fontibus Diodori, huiuſque, in eorum uſu, demonſtrato iudicio, iam ſupra Ill. Heynii eximio ingenio & exquiſita doctrina illuſtratum vidimus; cuius itaque doctiſſimas commentationes adeas, ſi, quid auctorum, quos ſecutus ſit, recenſu, uſu, aeſtimatione, Diodori diligentia & iudicium praeſtiterit, pernoſcere velis. Tametſi enim iiſdem nonnulla, quae Diodorus vel in praebenda fontium notitia omiſerit, vel in auctorum diiudicatione peccaverit, ſint prodita, nihilominus cuncta tamen argumento ſunt, Diodorum & in legendis, & in percenſendis & in diiudicandis ſcriptoribus, ſtudium haud vulgare collocaſſe. Tam conſiderate autem pleraque expendentem, tanta diligentia omnia inveſtigantem, tantoque iudicio ſua compilantem, diſcernentem & digerentem, cur inter hiſtoricos, tam praeclaro nomine dignos, referre dubitemus? Tandem haud exiguum operi ornamentum afferunt rerum hominumque deſcriptiones, cum propter veritatem & exactam perſpicuamque rerum enumerationem inprimis ad lectorum animos inſtruendos idoneae, tum etiam nonnunquam coloribus diſtinctae, &, picturarum inſtar, gratae. Saepe ab his in univerſam virorum principum, populorum rerumque geſtarum hiſtoriam lux diffunditur. Singulorum quidem hominum characteres inſigniores ſunt Ninyae II, 76, 77; Sardanapali, II, 78 A. B. Regum Philippi, Alexandri, Ptolemaei, XVIII, 643 B. 645 B. 647 A. Agathoclis XX, 766 B. C. Demetrii Poliorcetae, XX, 780 C. D. &c.

Alius vero generis deſcriptionum, quae magis res natura vel arte factas ſpectant, exempla commemorabo haec pauca: cataractarum Nili, I, 20 A. Crocodilorum, I, 21 D. 22 A. Exundationis Nili, I, 22 D. ſq. Sepulcri Oſymanduae, I, 30 D. ſqq. Indiae, II, 85 D. ſqq. Aurifodinarum in confiniis Aegypti, Arabiae & Aethiopiae, III, 105 A. ſqq. Diverſorum Aethiopiae & Arabiae populorum, III, 106 C. — 110 D. Ad confirmandam Diodori laudem, inde collectam, eiuſque ſollertiam, praeſertim rerum hominumque deſcriptionibus proditam, graviſſimum *Folardi* iudicium, veluti coronidis loco, apponere iuvabit. Is pro ſua parte, ut erat rei militaris peritiſſimus, praeſertim rerum bellicarum deſcriptiones ſub examen vocavit. In commentario ad Polybium, (*Hiſtoire de* Polybe, *avec un Commentaire par M. de* Folard, Tom. II, p. 535) cum machinae bellicae, Helepolis appellatae, ratio eſſet explicanda, quam eandem Diodorus (L. XX, 779 D. ſq.) deſcripſerat, Diodori ſollertiam & accuratam diligentiam his verbis praedicavit: »Plutarchus in eius machinae deſcriptione grandi errore deceptus eſt, aſſeverans, Demetrium moenibus admoviſſe machinarum maximam, cuius baſis quadrata fuiſſet, unumquodque autem latus quadraginta cubitos in longitudinem, ſexaginta ſex cubitos in altitudinem habuiſſet. Admirationi eſſe debet, reliquos ſcriptores omnes, quotquot de hac machina agant, de eius ratione parum inter ſe convenire. Diodorus Siculus, ut mihi quidem videtur, ſolus eius rei, cuius ideam propoſuit, gnarus atque intelligens fuit.» Idem alio loco, (T. III, p. 109) ita iudicavit: »Diodorus, mea quidem ſententia, inter veteres hiſtoricos is eſſe videtur, qui in deſcribenda urbium oppugnatione cum exactiſſima diligentia verſatus eſt.»

BIBLIOTHECAE HISTORICAE
DIODORI SICULI
DESCRIPTIO ACCURATIOR
QUA EIUS OPERIS OECONOMIA DECLARATUR
PROPOSITA
A
IEREM. NIC. EYRING.

Inſerta eſt Diodori Vita e Fabricii Bibl. Gr.

Praemissis commentationibus, quae vel in explorandis Diodori fontibus verſarentur eiuſque fidem confirmarent, vel libri genus & dignitatem contra iniquas reprehenſiones defenderent, viſum eſt, totius operis deſcriptionem auctoriſque vitam ſubiungere, ut parata haberent lectores, quae ad ipſum libri uſum fructuoſa eſſe poſſent. Cum in vitae rationibus ineſſe ſoleant, unde multa melius intelligi & rectius diiudicari poſſint, earum expoſitione lectores vix carere poterunt. Itaque eam e Fabricii Bibliotheca Graeca tranſcripſimus. Libri autem totius oeconomia, in breviori epitome propoſita, duplicem praeſtabit utilitatem. Primo ad artem hiſtoricam & diſciplinae hiſtoricae origines illuſtrandas pertinet, nec iniucundum eſt, ſi operis, quod hiſtoriae catholicae primum ſpecimen exhibuit, ſtructuram & compoſitionis rationem penitius perſpicias. Deinde libri ipſius, cuius praeſertim argumentum tam varium tamque diffuſum eſt, lectionem maximopere adiuvat adiunctus rerum expoſitarum elenchus, qui harum ſeriem, tenorem atque ordinem diſtincte demonſtret, & indicis inſtar lectorem regat.

Diodori Siculi Vita
e Fabricii Biblioth. Gr. excerpta
L. III, cap. 31, Vol. II, pag. 769 ſqq.

Diodorus ex Argyrio, ſive Agyrio [1], Siciliae oppido, genus ſe duxiſſe ipſe teſtatur; licet Plinio in indice libri V vocetur Diodorus Syracuſanus. Vixit ſub Iulio Caeſare (ut Euſebius in Chron. ad ann. MDCCCCLXVII) & ſub Auguſto, ut Suidas auctor eſt; certe ſupervixiſſe videtur annum U. C. 746, quo Auguſtus [2] triceſimo ſexto poſt interfectum Iulium anno, Calendarium, culpa Pontificum iterato depravatum, emendavit, & biſſexti, non ut ante, poſt triennium, ſed poſt quadriennium [3], intercalandi rationem reſtituit, quae Ioſephi Scaligeri obſervatio eſt pag. 156 ad Euſebium, probata itidem Voſſio lib. II de Hiſt. Gr. c. 2. Poſt Caeſaris mortem ſcripſiſſe ſe innuit Diodorus lib. V, p. 208: Καθ' ἡμᾶς δὲ Γάιος Καῖσαρ, ὁ διὰ τὰς πράξεις ἐπονομασθεὶς Θεὸς, & pag. 211, ὃν ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις Καῖσαρ ὁ κληθεὶς Θεὸς ἐζεύξε· & in prooemio, ubi ait ſe hiſtoriam ſuam deduxiſſe uſque ad bellum a Romanis geſtum contra Gallos, καθ' ὃν ἡγούμενος Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ, ὁ διὰ τὰς πράξεις προσαγορευθεὶς Θεὸς &c. Similiter loquitur lib. IV, pag. 158.

In eodem prooemio libri primi teſtatur, ſe, quo magis accurate de ſingulis ſcribere poſſet, nec locorum ignoratione peccaret, magnam Aſiae & Europae partem, Aegyptum quoque (Lib. I, pag. 29) non abſque periculis atque aerumnis perluſtraſſe, Latinae etiam linguae gnarum ex priſcis Romanorum commentariis, ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων, res & geſta illorum deſcribenda petiiſſe; quemadmodum res

1 Diodorus lib. I, c. 4: ἡμεῖς ἐξ Ἀργυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας ὄντες. Philippus Cluverius II, 6, Siciliae antiquae, contra Fazellum diſputat ſcribendum Ἀγυρίου, & ſane dictum fuit Ἀγύριον, Ἀγύρινα, Ἀγούριον· ſed Tzetzae quoque ad Lycophronem vocatur Ἀργύριον, & hodieque nomen illi eſt S. Filippo d'Argirone.

2 Vide Solinum cap. 1, 8 Petav. IV, 3, de doctrina temporum.

3 Cum Olympiade, h. e. quadriennio, biſſextum confert Diodorus: ἡ δὲ Ὀλυμπιὰς πληροῦται κατὰ τέτταρας χρόνους, ἔστι δὲ ὅπερ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Βίσεξτον.

Aegyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Graecorum, Carthaginienſium, Siculorum, Rhodiorum, petiit ex Herodoto, Cteſia, Beroſo, Thucydide, Xenophonte, Philiſto, Calliſthene, Theopompo Chio, Apollodori Chronicis, Hieronymo Cardiano, & Marſya, rerum Macedonicarum ſcriptore, tum Ephoro, Timaeo, Zenone Rhodio, Antiocho Syracuſano, aliiſque; res Cretenſium ex Epimenide, Doſiada, Soſicrate & Laoſthenide. Nimis frequentem uſum orationum & rhetoricationum reprehendit in limine libri XX, ridens eos, qui *προσθήκην ἐποιήσαντο τὴν ὅλην ἱστορίαν τῆς δημηγορίας*, *totam hiſtoriam velut appendicem concionum fecere:* contra praeclarum ducit hiſtoriae, encomia digna virorum praeſtantium & malorum vituperationes intexere, (lib. XI, p. 266,) quibus iuſta de rebus fama conſtet, & *εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα*, *in omne aevum* (p. 262) poſteris tradatur. Quae vero ſola lectorem offendere poteſt in eiuſmodi opere, univerſalem plurium gentium hiſtoriam per annorum ordinem tradente, interruptio narrationum, eam excuſat lib. XX. (Tom. II, pag. 780.) Providentiae divinae aſſiduus eſt praedicator, bonis praemia, ſceleratis iuſtas, licet quandoque feras, tribuentis poenas: ſed quas praeterea memorat hinc inde divinationes, prodigia, & innumeras variis populis traditas creditaſque fabellas, non ita ſe illis habuiſſe oſtendit fidem, ut propterea ſuperſtitioſus ſcriptor a Vayero 1 dici iure meruerit, ſed eas fideliter referendo boni hiſtorici officium implevit.

Scripſit Diodorus Hiſtoriam catholicam, ſive res ab ultimis inde aetatibus uſque ad Olymp. CLXXX, 1, per cognita loca orbis (*ἐν τοῖς γνωριζομένοις μέρεσι τῆς οἰκουμένης* lib. XIX, Tom. II, p. 651) geſtas libris XL. Tempus annorum triginta in hoc opere componendo inſumpſiſſe ſe teſtatur in prooemio, titulumque illi fecit *Bibliothecam*, quod hanc ex quorumcunque ſuperiorum hiſtoricorum ſcriptis contexuiſſet, ut recte obſervat Io. Reinoldus *praelect. 100 de libris Apocryphis, Tom. I, pag. 1233.* Pli-

1 Mottanus Vayerus Tom. I opp. edit. in fol. pag. 302 loquens de Diodoro Siculo: *Si j'avois à le blamer, ce ſeroit bien plutot de la grande ſuperſtition qu'il fait paroitre dans tous ſes écrits, auſſi bien que Tite-Live parmi les Latins.* Atqui Livium ipſe alibi Vayerus tuetur, & ſuperſtitionis notam ab eo removet, ut in Latinis ſcriptoribus notavi.

nius *Praefat. Hiſt. natural.* inquit: *apud Graecos deſiit nugari Diodorus, & βιβλιοθήκην hiſtoriam ſuam inſcripſit.* Iuſtinus Martyr *Cohortat. ad Graecos pag. 10:* καὶ ὁ ἐνδοξότατος δὲ παρ' ὑμῖν τῶν ἱστοριογράφων Διόδωρος, ὁ τὰς Βιβλιοθήκας ἐπιτεμὼν ἐν τριάκοντα ὅλοις [1] ἔτεσιν, Ἀσίαν τε καὶ Εὐρώπην ὡς αὐτὸς γέγραφε διὰ πολλὴν ἀκρίβειαν περιελθὼν καὶ αὐτόπτης τῶν πλείστων γεγονὼς, τεσσαράκοντα ὅλα τῆς ἑαυτοῦ ἱστορίας βιβλία γέγραφεν. Euſebius *lib. I praeparat. c. 6:* ὁ Σικελιώτης Διόδωρος γνωριμώτατος ἀνὴρ τοῖς Ἑλλήνων λογιωτάτοις ὡς ἂν ὑπὸ μίαν συναγηοχὼς πραγματείαν ἅπασαν τὴν ἱστορικὴν βιβλιοθήκην. Praecipue diligentem rationem habet notationis temporum, complexus univerſis quadraginta libris hiſtoriam annorum a Troia [2] capta 1138, ut ipſe in prooemio libri I & XIII annotavit. Et quamquam dolendum eſt, in Romanis praecipue rebus, non ſemper accuratiſſime temporum calculum ponere, & nomina, ut queritur Dempſterus, corrumpere, pauci tamen ſcriptores veteres exſtant e quibus tanta lux definiendis temporibus & ſeriei rerum a Graecis & aliis gentibus geſtarum affulgeat, quam Diodoro, licet ne dimidia quidem pars illius operis a nos pervenit. Exſtant enim libri dumtaxat quindecim; *pr mores quinque* nimirum, & *undecimus*, quique hunc exci piunt *uſque ad viceſimum.*

Argumentum operis ſecundum ſingulas eius part explicatum.

Multi titulo inducti ſunt, ut crederent, Diodori ope non niſi variam variorum populorum hiſtoriam contin ri, nulla certa ratione nec ad commune aliquod con lium digeſtam. Sed eam opinionem iam ſupra confutata vidimus. Propoſitum ei erat, *omnium aetatum populorum*

1 Male interpres: *triginta totis annis Aſiam & Europam peragravit.* Nam verba ἐν τριάκοντα ὅλοις ἔτεσιν referri debent ad praecedentia, ut ex Diodori praefat. conſtat.

2 Troiam captam ſupponit 408 annis ante Olympiades, ſecutus Apollodorum in Chron. Euſeb. pag. 156; licet alior alia fuit ſententia, ut nota *Io. Chriſtoph. Artopaeus*, P Argentoratenſ. clariſſ. in *Diſſ de incertitudine notationis t porum per Olympiades*, an. edita.

res perluſtrare, quod tum ſcriptoris profeſſione, tum libri ipſius argumento conſtat. In eiuſmodi opere recte aeſtimando cum ſpectandum ſit, & *quid commodi*, *temporis rationes auctori praeſtiterint*, & *quid vitii*, *argumenti expoſitio ab iiſdem & a Graecorum ingenio moribuſque traxerit*, de utroque lectores paucis praemonuiſſe ſufficiat. Conſilii & concipiendi & exſequendi opportunitatem haud dubie obtulerat aevum, in quo vivere Diodoro obtigerat. Tum enim plurimos orbis terrarum populos unius imperio ſubiectos, multoſque vel bello ſubiugatos vel ſocietate ac foedere iunctos cum obſervaſſet, facile animus in eam cogitationem deduci potuit, ut totius generis humani, tanquam unius reipublicae, geſta atque fata reſpiceret, eiuſque communem vel univerſam hiſtoriam contexere deſtinaret. Deinde vero, quod notitias in eam rem comparandas ſpectabat, nullo alio tempore vel literarum commercio, vel librorum apparatu, vel permiſſo commentariorum publicorum uſu, plura & maiora commoda, quam tunc, oblata erant. Quamobrem tanti operis cum fauſto ſucceſſu ſuſcipiendi aliquam partem ſeculo tribuere haud dubitamus. Similiter autem ab altera parte, in tot populorum temporumque diverſitate deſcribenda, aliquid vitii & tempori & patriae & hominis praeſertim Graeci ingenio & moribus concedamus. Nam commune hoc habet cum reliquis Graecis ſcriptoribus, quod ubique exterorum mores & inſtituta non tam cum Graecorum conſuetudinibus comparantur, quam his potius conformantur & accommodantur. Sed de his ſatis! Iam itaque videamus, quam rationem Diodorus ſecutus ſit, ut tam diverſarum aetatum populorumque hiſtorias uno opere iunctas exhiberet.

Methodus operis duplex eſt, altera *univerſi operis*, altera *ſingularum partium;* poſterior, ſeu particularis, in diverſis partibus diverſa deprehenditur. Totius operis partitio facta eſt *per epochas* ſeu memorabiliores eventus, qui in univerſum fuerint notabiles. Cum ſcilicet deſtinatum haberet Diodorus, omnium temporum res deſcribere, quorum *qualiſcunque notitia* ad poſteros translata fuerit, neque eam aetatem praetermittere voluit, cuius res mythis, id eſt rudioris aetatis ſermone, erant propoſitae. Itaque omnem ſeculorum ſeriem in tres periodos deſcripſit:

I. *Periodus mythica*, *uſque ad Troiam a Graecis captam.*

II. *Periodus hiſtorica prima*, *uſque ad Alexandrum M.*

III. *Periodus hiſtorica altera, uſque ad divum Caium Iulium Caeſarem.*

Quam hiſtoriae univerſae partitionem non ſolum toto libro proditam, ſed prooemio etiam his verbis declaratam deprehendimus: »Propoſito ad finem perducto, de operis univerſi forma praecipere libet. I. *Primi ſex libri* res & fabulas bello Troiano ſuperiores complectantur, ita quidem, ut tribus prioribus barbarorum, poſterioribus tribus Graecorum antiquiſſima hiſtoria proponatur. Hac altera parte ſi praeter Graecos, quorum mythologia ſola tradenda erat, plures & alius generis populos deſcriptos deprehendas, ſcilicet tenendum eſt, eandem deſtinatam fuiſſe, ut, ſupplementi inſtar, eorum populorum antiquiſſimam hiſtoriam complecteretur, qui priori parte fuerint omiſſi. II. *Undecim libris*, qui hos ſequuntur (VII — XVII), res per univerſum terrarum orbem geſtas uſque ad obitum Alexandri M. deſcripſimus. III. *Libris viginti tribus*, (XVIII — XL) qui ultimo loco ſequuntur, reliquas res cunctas ordine perſecui ſumus uſque ad initium belli Romanorum adverſus Gallos geſti. — Quod autem ad tempora attinet, hoc opere comprehenſa, ea quidem, quae bellum Troianum antecedunt, certis ſpatiis diſcernere non auſi ſumus, nulla exſtante norma, cui fidem habere potuiſſemus. A bello autem Troiano, ſecundum Apollodorum Athenienſem, LXXX annos uſque ad reditum Heraclidarum ſtatuimus; ab hoc uſque ad Olympiadem primam, CCCXXVIII annos, a regibus Lacedaemoniorum tempora computantes; a prima autem Olympiade uſque ad initium Gallici belli, quo finita eſt hiſtoria noſtra, DCCXXX annos. Quam ob rem opus univerſum, XL libris conſtans, annos MCXXXVIII comprehendit, exceptis tamen iis, qui uſque ad bellum Troianum ſunt elapſi.»

Prooemium operis univerſi.

Libri primi capita quinque priora *praefationis vicem* explent, qua Diodorus ea complexus eſt, quae lectores ad intelligendum ſcriptoris conſilium librique uſum ſcire oportebat. Singulatim explicantur haec: 1) hiſtoriae, & quidem catholicae, multiplex utilitas. Cap. 1. 2. 2) Cauſae inquiruntur, ob quas ante a nemine ſcribendae hiſtoriae catholicae periculum factum ſit; adiuncta eius ipſius notione.

Cap. 3. 3) Operis adiumenta recenſentur: animus hiſtoriae cognoſcendae cupidus, ſubſidia omnis generis literaria Romae oblata, itinera. Cap. 4 init. 4) Operis chronologia & partitio. Cap. 4 med. & cap. 5. — Hinc rem ipſam aggreditur, hac uſus formula: *Expoſitis iis, de quibus ante diſſerere conſtitueram, promiſſi operis fidem explere conabor.*

I. *Periodus mythica* Libris I — VI comprehenſa.

Haec prima operis pars antiquiſſimi aevi monumenta collecta continet, elocutione ſive poëtica orationis forma iis ſimillima, quae Moſis diligentia atque cura in corpore hiſtorico Hebraeorum ſervata accepimus. Fuere quidem, qui iſta omnia ficta atque vana, nec bibliothecae hiſtoricae nomine digna, iudicarent; ſed horum ipſorum potius iudicium, quam res, ſuper qua iudicabant, vanitatis erat accuſanda. Nam cum orationis genus, quo prima populorum aetas uſa eſt, conſtet fuiſſe mythicum, facile intelligendum eſt, id ipſum ad aetatis indolem pertinere, ac proinde primae hominum aetatis aut nulla omnino, aut mythis concepta exſtare monumenta. Quorum interpretatio tametſi tam difficilis & impedita ſit, ut ad hiſtoricam veritatem ac perſpicuitatem penetrare haud liceat; tamen hiſtorici erat, mythos ipſos, tanquam ſummae antiquitatis monumenta, in commentarios ſuos referre & conſervare.

Huius periodi terminum Diodorus *Troiam captam* conſtituit; ſed quemadmodum reliqua omnia ſunt incerta, ita hanc *temporis amplioris notam craſſiorem*, non *anni metam certam ac definitam* accipiamus. Pluribus exemplis patet, in hac ipſa periodo aliquanto ulterius hiſtoricum progreſſum eſſe. Ceterum *ordinem ethnographicum* ſecutus eſt, ita ut populi eminentiores velut hiſtoriae ſeriem efficiant. Reliqui his vel inſeruntur vel adiunguntur. Eminent autem *Aegyptii*, *Aſſyrii*, *Aethiopes*, *Graeci*. Praemiſſo prooemio, primo *exterorum*, tribus libris prioribus, deinde *Graecorum hiſtoriam mythicam* reliquis tribus libris deſcripſit.

Prooemium. Lib. I, cap. 6 — 9.

Sunt quaeſtiones nonnullae, ad univerſum genus humanum pertinentes, quae ſimul philoſophum, ſimul hiſto-

riae catholicae ſtudioſum tenere poſſunt. Has itaque Diodorus ſub initium primae periodi paucis commemorandas & illuſtrandas duxit; ſcilicet: 1) De rerum omnium ortu binae philoſophorum opiniones diverſae. Cap. 6. 7. 2) Prima hominum vita, rudis & inculta, deſcribitur. Neceſſitas & uſus omnium rerum magiſter erat, qui linguas, artes, vitae commoda doceret. Cap. 8. 3) Quae gens prima fuerit, incertum. Cap. 9.

Prior pars.

Hiſtoria mythica Barbarorum.

Lib. I a cap. 10. II. III.

I. *Aegyptiorum hiſtoria.*

Ob magnitudinem Diodorus libri primi duas ſectiones fecit, quod cap. 41 extr. expreſſis verbis indicatum legimus.

Sectio I.

Deorum hiſtoria; cum chorographia.

Primos homines in Aegypto ortos eſſe Aegyptii perſuaſum habent, cum ob regionis temperiem, tum ob Nili indolem prorſus ſingularem. Cap. 10.

A) *Antiquiſſimi Dii* coeleſtes Sol & Luna, ſ. Oſiris & Iſis. Hi univerſum mundum regunt atque tuentur, cuius ſunt partes quinque: *πνεύμα, πῦρ, τὸ ξηρὸν, τὸ ὑγρὸν, τὸ ἀερῶδες·* unamquamque vero pro Deo habuerunt, & his nominibus appellarunt: Iuppiter, Vulcanus, Terra mater, Oceanus, Minerva. Cap. 11. 12.

Terreſtres Dii, genere mortales, ob merita in genus humanum immortalitatem ſunt conſecuti. Alii communia cum coeleſtibus nomina obtinuerunt; alii propria: Sol, Saturnus, Rhea, Iuppiter, Iuno, Vulcanus, Veſta, Mercurius. Sunt qui Solem, ſunt qui Vulcanum primum Aegypti regem dicant. Deinde Saturnus imperavit, ducta ſorore Rhea, qui Iovem & Iunonem genuit. Ex his nati Oſiris, Iſis, Typhon, Apollo, Venus. Cap. 13.

Oſiridis & *Iſidis* merita de communi hominum vita; multarum rerum ipſi inventores & auctores celebrantur, aliarum inventores ſtudio & favore ſunt amplexi. Hermes praeſertim carus ob inventas linguas & literas, palaeſtram,

lyram, oleam. Cap. 14 — 16. Oſiridis peregrinationes ad excolendam hominum vitam inſtitutae, cum ſociis Anubide, Macedone, Triptolemo aliiſque, per Aethiopiam — Arabiam — Indiam — Thraciam — Macedoniam — Atticam. Reverſus in Aegyptum honorem Diis coeleſtibus parem conſequitur. Cap. 17 — 20. Interfectus a Typhone; ſed caedem ulta Iſis, quae ſola regnat. Collecta corporis fruſta; pudenda, phalli nomine conſecrata. Graeci in Bacchi orgiis imitati. Cap. 21. 22. — Inde excurſio hiſtorici in Graecorum Theogoniam de confuſis Graecorum & Aegyptiorum Diis, Deorum nominibus, ſacris. Cap. 23. 24. — Iam Iſidis facta & inventa commemorantur. Horus, Oſiridis filius, ultimus Deorum. Cap. 25.

Huic Deorum hiſtoriae adduntur obſervata ſingularia: a) ſuper eius periodi chronologia. Anni quatuor menſium fuiſſe videntur; Hori. b) in Iſidis aevum Gigantum aetatem incidere. Cap. 26. c) in Iſidis honorem recepti mores, & erectae columnae. Cap. 27. d) Coloniae ex Aegypto in diverſas orbis partes deductae commemorantur. Cap. 28. 29.

B) Hiſtoriae Deorum adiunxit *terrae ipſius deſcriptionem*, hac adhibita formula: » De rebus quidem ad Deos pertinentibus tantum habui referre. De regione autem & Nilo, aliiſque memoratu dignis, ſingula per capita perſequi conabor. » Capita vero ſunt haec:

1. *Aegypti ſitus* cum a parte continenti, tum a mari; magnitudo, urbium, vicorum, incolarum numerus. Cap. 30. 31.

2. *Nili* natura, catarractae, inſulae, praeſertim Meroë, oſtia & foſſae.

3. *Delta*. Cap. 34.

4. *Animalia*, quae *Nilus* alit. Cap. 35.

5. *Nili exundatio*, & ſuper ea diverſae philoſophorum ſententiae, cum diſputatione de Nili fontibus. Cap. 36-41.

Sectio II.

Aegypti hiſtoria ſub regibus.

Hiſtoriae lux paulo clarior ab hac nova ſectione exoriri videtur, mythorum nube minus obſcurata. Eam ob cauſam, dividendi rationem percommodam eſſe putamus. Brevi enumeratione eorum, quae priore ſectione perſecu-

tus erat, facta, Diodorus tranſitum parat ad reliqua. » E duabus partibus, inquit, in quas hunc librum magnitudinis cauſa deſcripſi, prior quidem praefationem ad totum opus complectitur, deinde ea, quae ab Aegyptiis de origine mundi — de Diis, qui per Aegyptum civitates condiderunt, ipſorum nomine inſignes, de primis hominibus & antiquiſſima vita, de immortalium cultu & templorum exſtructione traduntur: tum ea, quae Aegypti ſitum ſpectant, incredibilem Nili naturam, incrementi cauſas & diverſas hiſtoricorum ac philoſophorum opiniones. In hac poſteriore autem libri parte rerum proxime ſuccedentium ſeriem percurramus. Initium faciamus a primis Aegyptiorum regibus, & ſingulorum geſta uſque ad Amaſin exponamus, ſummatim tamen praemiſſa antiquiſſima Aegyptiorum vivendi ratione.»

A) Primo victus & reliquus Aegyptiorum vitae cultus antiquiſſimi temporis deſcribitur. Cap. 43.

B) Regum ſeries. Cap. 44 — 68. A primo uſque ad Diodori aetatem, i. e. CLXXX Olymp. XV millia annorum numerantur. Poſt indigenas CCCCLXX & V feminas, Perſae regnum obtinuerunt a Cambyſe occupatum CXXXV annos, poſtremo Macedones CCLXXVI annos. Cap. 44.

Menas primus rex. Tnephachthus & LII ſucceſſores. Cap. 45. Buſiris & VIII ex poſteris eius. Thebae tum exſtructae deſcribuntur: urbis divitiae, ſepulcra; praeſertim Oſymandyae monumentum. Cap. 45 — 49. Thebani aſtronomia nobiles. Cap. 50 init. Uchoreus, octavus a Buſiride, Memphin condidit. Cap. 50 med. & 51 init. Moeris, poſt XII generationes ſecutus, lacum exſtruxit. Cap. 51 med & 52. Seſooſis (Seſoſtris) poſt VII aetates ſucceſſor, unaque educati ſodales. Expeditiones ſuſceptae, regno ante in XXXVI nomos diviſo; Aethiopas domat, primus naves longas exſtruit, totam Aſiam ſubigit, inde in Europam tranſit. Poſitis in Thracia columnis in patriam redit. Cap 53 — 55. Opera in Aegypto exſtructa peregrinorum labore: aggeres ad Nilum, murus contra Syros & Arabes navis aurea, obeliſci, ſtatuae. Cap. 56. 57. Eius in ſubiectos reges ſuperbia. Mors voluntaria. Darius eum aemulatus. Cap. 58. Seſooſis (Seſoſtris) filius. Cap. 59. Multis poſt ſeculis Amaſis. Tum Aegyptus Actiſani, Aethiopum regi, ſubiecta, qui narium amputatarum ſuppliciu

invenit, & Rhinocoluram condidit. Cap. 60. Mendes ſ. Marus, Labyrinthi aedificator. Cap. 61. Poſt quinque generationum anarchiam Cetes regnat, ſ. Proteus, *belli Troiani tempore*. Remphis (Rhampſinitus). Cap. 62. Reges ignavi per VII generationes, in quibus ſolus Nileus clarus. Inde octavus, Chemmis, trium pyramidum maximam conſtruxit, quae deſcribitur. Cap. 63. Cephren pyramidum alteram poſuit; Mycerinus, eius ſucceſſor, tertiam. Cap. 64. Bocchoris. — Sabaco, genere Aethiops, pro poenis capitalibus vincula & labores reis imponit. Cap. 66. Anarchia per biennium; tum Dodecarchia. Regium mauſoleum XII principum. Ex his Pſammetichus ſolus regnum occupat, aſſumto ex Arabia, Caria, Ionia milite. Ob militis externi honorem CCM Aegyptii deficiunt, & novas quaerunt ſedes. Peregrinis favet, praeſertim Graecis, ut filios adeo Graecis diſciplinis erudiret, Aegyptumque antea inacceſſam, peregrinis aperiret. Cap. 67. Poſt quatuor generationes Apryes, Cyprios, Phoeniceſque bello adortus, tumultu civium periit. Hunc ſecutus Amaſis. Qui, cum LV annos regnaſſet, eo ipſo tempore vita functus, quo Cambyſes, rex Perſarum, Aegyptum bello ſubegit, Ol. LX an. 3. Cap. 68.

C) Inſtituta & mores Aegyptiorum. »Poſtquam regum Aegyptiorum res geſtas inde ab antiquiſſimis temporibus uſque ad Amaſis mortem ſatis expoſui, reliqua ſuis temporibus ſervabo; nunc autem de inſtitutis Aegyptiorum ea, quae ſingularia ſunt, lectuque utilia, breviſſime perſequar.» Memoratu digna haec eſſe arguunt ſapientiſſimorum Graecorum in eam regionem facta itinera. Cap. 69 — 98.

1. Regum vita & officia. Cap. 70. 71. 72. E ſacerdotibus lecti. Legibus erant adſtricti, ex arbitrio nihil agebant. Singulorum officiorum horae conſtitutae; victus etiam legibus definitus. Cap. 70. Neque ira neque amore quidquam agere vel iudicare licebat. Cap. 71. Hinc ſummus regum amor *ibid.* luctus ob mortuum regem communis deſcribitur; iudiciumque publicum de regum vita. Cap. 72.

2. Nomi & Nomarchae. Incolarum claſſes. Cap. 73. 74.

3. Iudiciorum ratio. Summum XXX virorum iudicium, VIII Codices legum, praeſidis inſigne. Scriptis omnia agenda erant, oratores nulli admiſſi. Cap. 75. 76.

4. Leges Aegyptiorum recenſentur inſigniores. Cap. 77 — 80.

5. Literarum ſtudia, vel ſacra vel communia erant. Geometria, Arithmetica, Aſtrologia. Chaldaei Aegyptiorum alumni Palaeſtram & Muſicam abominantur. Cap. 81. Ars medica. Cap. 82.

6. Divinus beſtiarum honor deſcribitur. Iis alendis aſſignati agri & conſtituti curatores; vim iiſdem illatam graviſſime puniunt, mortuas luctu proſequuntur. Praecipue feles, accipitres, Apim, Mnevim, crocodilum, leonem cet. venerantur. Cap. 83. 84. De Apide ſingularis diſputatio. Cap. 85. Religioſi beſtiarum cultus cauſae redduntur. Cap. 86. 87. Hirci ſacri, tanquam generationis ſymbolum, tauri, ob agriculturam; ſed rufos immolare licet, quia Typhonis colorem referunt. Ob alias cauſas alia animalia ſacra, lupi, crocodili. Cap. 88 — 90.

7. Funerum ritus. Sumtuum tres claſſes. Cadavera condiendi ratio. Cap. 91. Iudicium publicum de mortuis. Cap. 92. adiuncta obſervatione de eius inſtituti vi ad morum ſanctitatem. Cap. 93.

8. Recenſus legislatorum, quibus Aegyptii inſtituta tam ſalubria accepta referunt. Cap. 94. 95.

9. Docti peregrinatores Graecorum, qui Aegyptiorum leges, inſtituta & diſciplinas in Aegypto perceptas in patriam tranſtulerunt. Similiter legislatores, artifices. Cap. 96 — 98.

II. *Populorum Aſiae hiſtoria.*

E methodi formula, hiſtoriae Aegypti ſingulae partes brevi repetitione enumerantur. Quo facto, hiſtoricus ita pergit: »Hoc autem libro *res in Aſia antiquiſſimis temporibus geſtas* deſcribemus, initium ab Aſſyriorum imperio facturi.„

1. *Aſſyrii.*

Ninus primus rex Aſſyriorum inter eos, quorum memoria ſervata. Is comparata iuvenum manu, & inita cum Ariaeo, rege Arabiae, ſocietate, plurium populorum imperium appetit. Ac primo Babyloniae agrum, Armeniam ac Mediam ſubigit. Cap. 1. Tum vero Aſiam totam intra Tanain & Nilum expugnare parat. Catalogus terrarum ſubactarum e Cteſia. Cap. 2. Iam ingentem urbem ſuo no-

mine appellatam ad Euphratem condit, cuius magnitudo deſcribitur. Cap. 3. Qua re perfecta, Bactrianis bellum infert. In hoc itinere Semiramidis notitiam & coniugium nactus. Hinc narratio de mirabili Semiramidis ortu, eius educatione apud Simmam, regium paſtorem, & primis nuptiis cum Menone, conſilii regii principe. Copiarum incredibilis numerus commemoratur ita, ut, facta populorum & regionum comparatione, propior ad fidem accedat. Cap. 4. 5. Bactra cum diu obſideretur, Menones interea Semiramidem iubet in caſtra venire; eiuſque audacia & conſilio arx capta eſt. Rex ipſe mulieris pulchritudinem & virtutem admiratus, coniugio ſibi eam iungit. Cap. 6.

Semiramis, marito mortuo, regnum ſuſcepit, & primo monumentum ei poſuit. Deinde maximis operibus perficiendis animum applicuit. Babylon exſtructa, eiuſque urbis magnitudo, muri, pons Euphrati impoſitus, regiae duae, caſtella duo, turres deſcribuntur. Cap. 7. 8. Foſſa ampliſſima prope urbem; portae aeneae. Beli templum, ſimul ſpectandis ſideribus inſerviens. Cap. 9. Horti penſiles. Cap. 10. Urbes aliae & emporia ad Euphratem & Tigrin ab ea condita. Cap. 11. Singularia naturae: Bituminis copia & exſpiratio pernicioſa. Cap. 12. Iter in Mediam, horti ad Bagiſtanum montem facti, & ad urbem Chauonem, via per montem Zarcaeum ſtructa, opera Ecbatanis facta. Cap. 13. Iter continuatum per Perſiam & reliquam Aſiam, Aegyptum, Aethiopiam. Obiter de funerum ritu apud Aethiopes. Cap. 14. 15. Belli Indis illati hiſtoria. Cap. 16 — 19. Domum reverſa filio regnum tradidit, oraculo Iovis Ammonis (conf. cap. 14) admonita. Ipſa evanuit, mox ſub columbae imagine Dea facta, Scriptores de ea comparantur. Cap. 20.

Ninyas, & ſucceſſores reliqui ad *Sardanapalum* uſque, vitam otioſam & libidinoſam agunt. Ex his *Teutamus* tempore belli Troiani vixit. Cap. 21. 22. Sardanapali ignavia & luxuria. Cives in eum bellum movent, quo victus rex ſe & regiam incendio abſumit. Cap. 23 — 27. Arbaces, Medus, rex factus. Cap. 28. Narratio de Chaldaeis, Babyloniorum philoſophis, eorumque diſciplinis adiicitur. Cap. 29 — 31. » De Aſſyriorum imperio, quemadmodum ad Medos tranſierit, cum iam ante dictum ſit, nunc eo, quo digreſſi ſumus, redeamus. »

2. *Medi.*

Herodoti & Cteſiae diſſenſus obſervatur. Cap. 32. Simul regum ſucceſſio uſque ad Artaeum, qui bellum cum Caduſiis geſſit. Cap. 33. Artynes. — Aſtibaras, ſub quo bellum cum Sacis ortum eſt. Sacarum gens obiter deſcripta, mulierum fortitudine clara. Zarina tunc regina. — Aſpadas, quem Graeci Aſtyagen nominant. Hunc Cyrus vicit; unde imperium ad Perſas translatum.

3. *India.*

1) Regionis ſitus, magnitudo, proventus. Cap. 35 — 37. 2) Populi. Omnes ſunt indigenae. Ad humanitatem & artes exculti per Bacchum & Herculem. Lex praecipua aequalitatis eſt. In ſeptem ordines ſunt diviſi. Cap. 38 — 41. 3) Nonnulla de elephantis & advenarum tutela. C. 42.

4. *Scythae.*

1) Antiquiſſimae hiſtoriae particula. Prima & exigua ſedes ad Araxen. Scytha, Palus, Napus gentem praecipue auxerunt & ad fortitudinem inſtituerunt. Cap. 41. 2) Anarchia, & ex ea Gynaecocratia. Amazonum gens, earum mores, diſciplina, bella. Hercules eas domuit. Ultima Amazonum Pentheſilea, tempore belli Troiani. C. 42 — 46.

5. *Hyperborei.*

Eorum ſitus ex Hecataeo. Celtis obiecti erant. Latona ibi nata, eamque ob cauſam Apollinem praecipue venerantur. Graecis, praeſertim Athenienſibus ac Deliis, favent. Imperium penes Boreadas, Boreae progeniem. Cap. 47.

6. *Arabes.*

Pauca de ſitu praemittuntur. 1) Nabataei ſterilem terram incolunt & latrociniis vivunt. Petra inſignis deſcribitur, item lacus bitumen proferens, balſamum. Cap. 48. 2) Arabiae felicis memorabilia: ſtirpes frugiferae & odoriferae. Cap. 49. Aurum apyrum. Animalium genera nobiliora. Cap. 50. 51. Lapides pretioſi cum diſputatione de eorum generatione & proprietate aliarum rerum orienti ſubiectarum. Cap. 52. 53. 3) Arabes Scenitae. 4) Agricolae & mercatores, & quibus animalibus eorum regio praeſtat. Cap. 54.

7. Inſula incognita in mari meridionali.

Supererant alii Aſiae populi, ut Perſae cet. quorum hiſtoriam alteri operis parti Diodorus ſervandam duxit. Sed ad mythicam partem pertinere videbatur Iambuli fabula de inſulis beatis in Oceano meridionali ſitis, ultimo loco adiicienda. Is cum mercaturae & navigationi operam dediſſet, primo ab Arabibus, deinde ab Aethiopibus captus, ſecundum ritus eorum inter devotos verſo in meridiem curſu navi in fortunatam inſulam delatus eſt. Peractis ibi ſeptem annis dimiſſus difficili itinere rediit in Graeciam, & de hac inſula rebuſque Indicis multa ante incognita literis mandavit. Cap. 55 — 60.

III. *Aethiopum*, *Afrorum*, *Amazonum*, *Atlanteorum*, *hiſtoria, libro III comprehenſa.*

Superiorum librorum argumenta nova repetitione, quamvis turbato ordine, proponuntur. Tunc ad Aethiopes & reliquos Libyae populos progreditur hiſtoricus. Cap. 1.

Aethiopum hiſtoria.

1) Aethiopes Aegypto proximi, urbemque & inſulam Meroën incolentes. Summae eorum antiquitatis argumenta: a) primi homines eſſe videntur, cum ſint aborigines ſolique proximi. b) Primi Deos coluerunt, eamque ob cauſam a quovis hoſte externo tuti. Cap. 2. 3 init. c) Aegyptii fuerunt eorum colonia ab Oſiride deducta. Eaedem leges, iidem ritus, idem ſcripturae genus. Cap. 3. 4. Legum ſingularium exempla. Cap. 5. 6. 7. 2) Gentes Aethiopum, ad utramque Nili partem accolentes, agreſtiores ſunt. Earum mores, arma, veſtes, cibi, religio. Regio eſt amoenitate & fertilitate praeſtantior, de qua cum Afris pugnant. Cap. 8 — 10. Adiicitur partim iudicium de ſcriptoribus rerum Aegyptiacarum & Aethiopicarum, cap. 11; partim notitia de auri fodinis, quae ſunt in confiniis Aegypti & Aethiopiae, & deſcripta ratio ſecernendi & praeparandi auri. Cap. 12 — 14. 3) Gentes in Troglodytica & auſtrales: a) Ichthyophagi. Cap. 15 — 20. b) Chelonophagi & Cetophagi. Cap. 21. 22. c) Rhizophagi. Cap. 23. d) Hylophagi & Spermatophagi. Cap. 24. e) Aethiopes venatores. Cap. 25 — 27. f) Aethiopes Simi & Struthophagi. Cap. 28. g) Acridophagi. Cap. 29. 30. h) Cy-

namyni ſeu Cynamolgi. Cap. 31. i) Troglodytae Nomades & Megabarei. Cap. 32. 33. Diſputatio adiuncta de diverſitate morum e diverſitate aëris. Cap. 34. Hiſtoria animalium regionibus illis peculiarium. Cap. 35 — 37. 4) Sinus Arabici accolae cum deſcriptione regionis. C. 38 — 48.

Afri.

Quatuor Afrorum genera, quae Cyrenen, Syrtes & interiores terrae partes incolunt, recenſentur haec: Naſamones, Auchitae, Marmaridae, Macae. Alii ſunt agricolae, alii nomades, alii latrones, moribus diverſi. Cap. 49. Agri proventus non ubivis iidem. Auſtrales regiones deſertae ſerpentibus abundant, maxime iis, qui Ceraſtae vocantur; ſpecies eorum per aërem volantium mirabiles. Cap. 50. 51.

Amazones Afrae.

Multi opinati ſunt nullas Amazones praeter eas, quae in Ponto ad Thermodontem fl. fuerunt, exſtitiſſe; ſed Afrae multo & clariores & antiquiores erant. Plura mulierum fortitudine & bellis illuſtrium genera, in quibus Gorgones memorabiles. Cap. 52. Amazonum regni vitaeque ratio, virorum ſervilis conditio. Cap. 53. Bella earum. Cap. 54. 55.

Atlantei.

Oceani accolae; de Diis eorumque ortu tradunt, quae cum Graecorum mythologumenis admodum conveniunt. Itaque haec ipſa exponuntur. *Uranus* primus rex fuit. Cap. 56. — Eius liberi XLV e pluribus uxoribus; e Titaea quidem XVIII, Titanes appellati. Filiarum nobiliſſimae Baſilea & Rhea ſ. Pandora. Ex Baſilea & fratre Hyperione nati Helius & Selene. Phrygum de eadem Dea mythologumena, cui a monte Cybelo, Cybeles nomen impoſitum. Cymbala, tympana cet. invenit, & Marſya comite ad Apollinem venit. Utriuſque certamina. Cap. 57 — 59. Urani filii, *Atlas* & *Saturnus*, regnum inter ſe dividunt. Atlanti regiones Oceano proximae obvenere, qui populos ſuos a nomine ſuo *Atlanteos* appellavit. Filius Heſperus, filiae Atlantides. Cap. 60. Saturni & ab eo oriundi Iovis brevis hiſtoria. Cap. 61. — Haec itaque ſunt, quae apud Atlanteos de Diis traduntur.

Appendicis loco, quia hic locus aptus videbatur, Bacchi hiſtoria mythica, ſupra iam L. I, c. 23, commemorata, ſecundum Graecorum & Afrorum diverſa commenta, & nunc ad horum potiſſimum fidem, adiicitur. Cap. 62 — 73.

Poſterior pars.
Hiſtoria mythica Graecorum.
L. IV & V. [VI.]

A) *Lib. IV de Heroibus & Semideis.*

Exordio proponuntur 1) difficultates, quibus antiqua hiſtoria implicita ſit a) ob antiquitatem per ſe obſcuram, b) ob chronologiae & c) ob genealogiae confuſionem, d) ob ſcriptorum diſcordiam. Eam ideo praeterierunt Ephorus, Calliſthenes, Theopompus. Sed digna nihilominus, ob argumenti gravitatem, quae peculiari ſtudio cognoſcatur. 2) Libri IVti ſumma: aliarum gentium antiquitate explicata, Graecorum antiquiſſima hiſtoria adiungenda eſt. Haec autem a Bacchi fabula incipit, quia is ipſe pervetuſtus eſt, & genus humanum maximis beneficiis affecit. Cap. 1.

Bacchi hiſtoria ex Graecorum fide.

Cadmus in Boeotia ſedem fixerat & Thebas condiderat, ſumta in matrimonium Harmonia. Inde cum aliis prognata Semele. Cum Semele concubuit Iuppiter divina ſpecie ſe ei offerens; quo facto per abortum Bacchum peperit; ipſa igni abſumta eſt. Bacchus a Mercurio Nymphis in antro Nyſae traditur, inde Dionyſus dictus. Vini & zythi inventor itinera uſque in Indiam ſuſcepit, ad excolendum genus humanum. Cap. 2. Redeunti ſacra inſtituuntur, quorum ritus deſcribuntur. Cap. 3. Bacchus antiquior commemoratur, Sabazius, Proſerpinae filius. — Sed mox ad Semeles natum redit hiſtoricus. Forma, ingenium; comites Muſae, Silenus paedagogus & ſocius; habitus, mores. Cap. 4. Cognomina, eorumque ratio; ſimul cauſae redditae, biformis cur ſit, cur Satyri & Muſae in eius comitatu. Cap. 5.

Priapus.

Bacchi & Veneris filius; mythica adumbratio generationis. — Origines cultus divini vel a propagatione generis humani, vel ab Oſiridis hiſtoria (vid. L. I, cap. 22) derivandae. Ithyphallus & Tychon ſunt cognomina. — Hermaphroditi ortus ex Herme ſ. Mercurio & Venere. Cap. 6.

Muſae.

Earum parentes & numerus; nomina nominumque ratio. Cap. 7.

Hercules.

Fabula de eo multa continet impedita, & quae fidem excedant. Sed res mythicae non ſubtiliter explicandae. Cap. 8. Per ipſam portentoſam procreationem immenſae vires ei infuſae, ſimul per Iunonem, quae inſcia puero mammas praebuerat. Cap. 9. Ab Hercule recens nato in ipſis cunis ſuſcepta pericula, & perpetrata facinora, quibus Herculis nomen meruit, ante Alcaeus appellatus. Thebis educatus & in gymnaſiis exercitatus, ab Ergin tributo & tyrannide urbem liberat, & Orchomeniorum Minyarumque oppidum evertit. Euryſtheus autem per invidiam Herculi XII certamina imponit, Iovis & oracul Delphici iuſſu ſuſcipienda. Cap. 10. Primo ob id in anim aegritudinem & furorem incidit, tandem morbo liberatus adit labores, qui recenſentur ſinguli: I) Leo in Nemea occiſus. II) Hydra Lernaea. Cap. 11. III) Aper Erymanthius. Circa idem tempus Centauri devicti; caeſorum nomina. Cap. 12. — IV) Capta cerva aureis cornibus velocitate praeſtans. V) Aves e Stymphalide palude abactae. VI) Augiae ſtabulum expurgatum, Peneo fluvio eo deducto. VII) Taurus e Creta in Peloponneſum traductus. Cap. 13. — In cuius certaminis memoriam Hercules ludos Olympicos inſtituit. Ipſum in omni certaminum genere victorem Dii Deaeque muneribus honorant. Obiter obſervat hiſtoricus, Nioben primam, Alcmenam vero poſtremam mortalem fuiſſe, a Iove compreſſam. Cap. 14. Poſt haec Hercules, bello a gigantibus in Deos moto, praeſtito Diis auxilio, cum aliis belli ſociis coeleſtium Deorum honores conſecutus eſt. — Prometheum, igne allato bene de humano genere meritum, poena liberat. Cap. 15 pr. VIII) Hinc Diomed

equas carnivoras abduxit; quo facto cum Iaſone in Colchos navigavit. Cap. 15 med. IX) Expeditio in Amazones ad rapiendam Hippolytae zonam. Amazonum, quae devictae ſunt, nomina. Cap. 16. X) Iter parat in Iberiam ad abducendos Geryonis boves. Milites congregat in inſula Creta, quam tunc beſtiis purgavit. Prima inde navigatio in Libyam, ubi Antaeum in certamine occidit, terraſque & civitates a feris & tyrannis liberavit. Divertit in Aegyptum & Buſiridem cecidit; in Libya Hecatompylon condidit, poſtea a Carthaginienſibus ſubactam, & ad fretum Gaditanum columnas ſtatuit. Chryſaoris filiis in certamine caeſis, boves partim abegit, partim in Iberia dono reliquit. Adiecta columnarum Herculis fretique ipſius per eum mutati deſcriptio. Cap. 17. 18. Ex Iberia tranſit in Celticam, (Galliam) ubi urbem Aleſiam condit; inde per Alpes in Italiam. Cap. 19. Ligurum ager ingratus, duri labores deſcribuntur. Cap. 20. Hercules ad Tiberim pervenit, in Palatio benigne receptus a Cacio (Potitio) & Pinario. Decimae Herculi votae, templumque exſtructum. Ora maritima peragrata campum Cumaeum ſ. Phlegraeum ingreſſus proelio facto Gigantes internecione delet. Cap. 21. Opera ad lacum Avernum. Via Heraclea. Venatori, in Dianam impio, mors illata. Cicadae ob Herculis pietatem expulſae. Iter Herculis per fretum in Siciliam, apprehenſo tauri cornu. Cap. 22. Thermae Himeraeae & Egeſtanae itinere feſſum recreant. Eryx Herculem ad certamen provocat, propoſito praemio. Hercules victor Siciliam praemium reportat, quam poſt unus e poſteris, Dorieus, occupat, & Heracleam ibi exſtruit, deinde a Carthaginienſibus dirutam. Sicanos ſibi infeſtos Hercules domat; ducum nomina memorantur. Cap. 23. — Leontini, praeſertim Agyrinaei, Herculi, ut Deo coeleſti, honores tribuunt, pro quibus ipſe monumenta reliquit: lacum ſui nominis, lucum Geryoni conſecratum, fanum Iolao ſocio ſacrum, gymnicis & equeſtribus ludis celebre. Tunc Hercules boves retro in Italiam agit, ubi Lacinium ob furtum caedit, Crotoni autem, per imprudentiam caeſo, monumenta vovet. Tandem per Epirum redit in Peloponneſum. Cap. 24. XI) Cerberus ex inferis protractus. Ante vero Hercules myſteriis Eleuſiniis initiandus erat. Eorum cauſa digreſſio de Orpheo. Cap. 25 & 26 princ. XII) Rapta Heſperidum aurea mala. Alii

poma, alii oves interpretantur. Cap. 26 med. Per hanc occaſionem Atlantis regio, Atlas, Heſperus, Atlantides, Heſperides deſcribuntur. Has, furto in Aegyptum abductas, Hercules tum, cum Buſiridem occidiſſet, interemtis raptoribus, Atlanti reſtituit. Muneris loco aſtrologiam ab Atlante accepit, ab ipſo Graecis traditam. Cap. 27. — (Dum his occupatus erat Hercules, Amazones, ob illata per Herculem damna, praeſertim ob raptam Antiopen vel Hippolyten, Graecis bellum intulerant, proelio victae per Theſeum. Cap. 28.) — Oraculi iuſſu nunc natis ex Theſpiadibus Sardinia in ditionem tradenda erat. Iolaus, fratris filius, expeditionis & coloniae dux erat. Per hanc occaſionem Theſpiadum hiſtoria & prognatorum ortus per Herculem narratur. Sardinia ab Iolao expugnata, ordinata, ornata. Colonia per eum in Sardinia condita, bello deinde ab aliis nunquam victa. Cap. 29. 30.

Iam de ſobole ſollicitus, uxorem Megaram Iolao concedit, & Iolen petit, Euryti filiam. Ob acceptam repulſam, Euryti patris equas furto abigit. Iphitus, Euryti fil. raptorem perſequitur, de turri ab eo praecipitatur. Expiationis cauſa Hercules in ſervitutem traditur Omphalae, Maeonum reginae, cuius regnum a Cercopibus aliiſque latronibus liberat. Ita ipſe libertatem & reginae coniugium conſequitur. Cap. 31. Poſt in Peloponneſum redit, iniurias olim a Laomedonte, rege Ilii, illatas ulturus. Navibus Troiam petit, in proelio Laomedontem occidit, & regno potitur, quod Priamo tradit. Cap. 32. Reverſus in Peloponneſum bellum contra Augeam movet ob recuſatam mercedem. Re infecta Olenum ad Dexamenum abit, & in Hippolytae nuptiis Eurytionem, Centaurum, obtruncat; hinc Tirynthem ad Euryſtheum ſe recipit, ſed inſidiarum metu una cum matre in exſilium pulſus Pheneum in Arcadia fugit. Hic, uſus opportunitate, impetum facit in Eurytum, Augeae filium, hunc & Augeam ipſum occidit Elidem urbem & regnum Phyleo tradit. Tyndareum, Sparta expulſum, commiſſa pugna, in regnum reſtituit. In Arcadia eius furto compreſſa Auge, regis filia, ipſe Stymphalum confugit; Auge abducitur mari ſubmergenda, in via parit filium, in Parthenio monte relictum; ſervata ipſa Caribus dono permittitur. Infans a paſtoribus educatus Telephi nomine, cum adoleviſſet, matrem apud Teuthrantem, Myſiae regem, reperit. Cap. 33.

Relicta Peloponneſo, Hercules Calydonem, Aetoliae urbem, ſedem facit, & Deianiram, Oenei filiam, matrimonio ſibi iungit. Meleager, eius frater, tum exſtinctus erat. Itaque per digreſſionem apri Calydonii ab eo confixi hiſtoriam & Meleagri interitum narrat. Ceterum Hercules de Calydoniorum agro bene meret, facto novo Acheloi alveo; unde orta fabula de Amaltheae cornu. Cap. 34. 35. In bello cum Theſprotis Hercules Calydoniorum ſocius; Ephyra capta, & rege Phyleo occiſo, e regis filia captiva Tlepolemum ſuſcipit. Mox ob Eurynomum non conſulto interemtum cum Deianira aufugit. Neſſus Centaurus hanc per flumen Evenum portans, dum vitiare cupit, ſagitta transfigitur. Philtrum ab eo Deianirae relictum. Apud Ceycem, Trachiniae regem, commorantur. Cap. 36. Poſt oraculi Delphici vindex, Phylantem, Dryopum regem, occidit, Dryopes ſedibus expellit. Obiter Herculis liberi recenſentur. Dryopum novae ſedes & res geſtae. Suborto dein bello inter Dorienſes & Lapithas, Hercules illis auxilio eſt, & hos ſedibus eiicit. Cygnum certamine victum occidit. Ormenii regem, ob recuſatam Aſtydamiam fil. bello ſubigit, & ex hac Cteſippum ſuſcipit; Iolen etiam rapit, occiſis fratribus. Cap. 37. De hoc amore certior facta Deianira, Herculis veſtes philtro Centauri tingit. Secutus Herculis exitialis morbus. Eius rogus in Oeta. Cap. 38. Herculis conſecratio. Cap. 39.

Argonautae.

Eorum ſocius erat Hercules; itaque proximus locus de his dicendi. (Conf. cap. 15 & 32.) — Iaſonis conſilium, exſtructa navis, itineris ſocii. Cap. 40. 41. Memorabilia in itinere: ad oram Troadis Heſionen devotam Hercules liberat, & balaena interfecta eandem & regios equos praemii loco accipit, interea apud regem relictos. Cap. 42. Ob tempeſtatem Orpheus Diis in Samothrace ſacra & vota facit. Samothraces Dii, Dioſcuri. Inde progreſſi ulterius in Thraciam, duo regis Phinei filios, propter novercae criminationes crudeliter a patre habitos, ulciſcuntur. Occiſo Phineo, filiis regnum traditur. Alii rem aliter narrant; ſed tenendum, in veterum mythis non omnia congruere. Cap. 43. 44. Ex Thracia in Pontum tranſvecti appellunt ad Cherſoneſum Tauricam, ignari, barbaris morem eſſe, hoſpites immolandi Dianae Tauricae. Cap. 44

extr. Eius moris cauſa & origo explicatur. Simul res Colchicae deſcribuntur. *Aeetes* & *Perſes* fratres erant, ille Colchidis, hic Tauricae rex. Hecate, Perſae filia, fero & immani ingenio praedita, venena invenit, & inhumanum Dianae ſacrum inſtituit. Nupta Aeetae *Circen*, *Medeam* & *Aegialum* peperit. Circe matris artem colit; Sarmatarum regi in matrimonium data, marito ſublato, regnum occupat. Ob crudelitatis facinora regno eiecta Italiam petit. Cap. 45. Medea, mitioris ingenii, peregrinorum ſervatrix. Hanc profugam in litore offendunt Argonautae in Colchidem appulſi. Iaſon, data coniugii fide, Medeam conſiliorum & expeditionis ſociam habet. Tum vellus aureum noctu invadunt. Cap. 46. Inſeritur fabula de Phrixo, aureo vellere apud Colchos in templo Martis conſecrato, eiuſque cuſtodibus, dracone cet. Cap. 47. Duce Medea Argonautae, caeſis cuſtodibus, vellere aureo rapto, ad naves confugiunt. Aeetes, collecta manu eos perſecutus, in pugna perit. Tunc navibus conſcenſis reditum parant. Glaucus itineris comes & adiutor. Cap. 48. Superato Helleſponto attingunt Troadem. Ob Heſionen & equos recuſatos commiſſa pugna. Laomedon pugna cadit; regnum Priamo traditur. In Samothrace Diis Samothracibus vota reddita. (Conf. ſupra cap. 43. 48.) Cap. 49. — Interea Pelias, peremta Iaſonis ſtirpe, regnum occupaverat. Itaque Iaſon reverſus in Theſſaliam funera ſuorum ulciſci parat. Cum omnia ſint impedita, Medea regem dolo interimere & regiam prodere promittit. Cap. 50. Scilicet aſſumta ſagae perſona, Medea urbem & regiam ingreditur, magica miniſteria ſenectae transformandae in iuvenilem vigorem offert & approbat. Caede Peliae per fraudem peracta, datoque ſigno, Iaſon cum ſociis regiam recuperant. Cap. 51. 52. — In ſuperſtitem regis familiam benignus; Acaſto filio regnum tradit, filias matrimonio iungit viris principibus. His peractis, Hercule auctore, Argonautae foedus & ſocietatem in futuros caſus iungunt, ludoſque celebrant Iovi ſacros Olympio. Cap. 53. (Sed conf. cap. 14 de antiquiore ludorum Olympicorum origine.)

Sequitur Iaſonis reliqua vita. Is, repudiata Medea, poſtea cum Glauce coniugium iniit. Medea, furore incenſa, igne & caede graſſatur, Herculem contra Iaſonem advocat vindicem. Iaſon mortem ſibi conſcivit. Theſſalus,

ſuperſtes Iaſonis filius, in regno Peliae ſuccedit, & ditionis ſuae populum Theſſalos vocat. De Medeae ultimis factis, fatis atque erroribus. Eius filius primus Medorum rex. Cap. 54. 55. 56 princ. — Argonautarum reditus per aliam viam, a Timaeo commemoratus, adverſo Tanai & per aliud flumen in Oceanum, inde vero iuxta Gades in mare mediterranenm, eiuſque rei opinata veſtigia, ultimo loco deſcribuntur. Cap. 56.

Heraclidae.

Herculis liberi Trachine apud Ceycem regem educati. Euryſtheus, de regno metuens, eos bello perſequitur, victus tandem Athenienſium ope. Cap. 57. Iam Heraclidae, duce Hyllo, in Peloponneſum & Mycenarum regnum agmen movent; ſed caeſo Hyllo in certamine, quo res eſt diremta, Heraclidae ad L annos regno & Peloponneſo ſunt excluſi. Cap. 58.

Theſeus.

Herculis imitator erat. Eius genus & prima certamina deſcribuntur. His praeclare peractis, Athenas venit, & ab Aegeo certis ſignis agnoſcitur. Cap. 59. Fabula de Minotauro, quem Theſeus interemit. Regum Cretenſium recenſus; utque ex his Minos, ob Androgeum filium in Attica interfectum, Athenienſes bello & fame preſſerit. Iuſſu oraculi Athenienſes Minoi obtemperant, poenam VII puerorum puellarumque exigenti. Theſeus, Ariadnae ope adiutus, Minotauro confecto, patriam iniquo tributo liberat. In reditu Ariadnen Bacchus in inſula Naxo rapit. Quo dolore perturbatus Theſeus, velis nigris candida ſubſtituere oblíviſcitur; quibus conſpectis Aegeus, Theſei pater, ex alto ſe praecipitat. Theſeus in regno ſucceſſit, ſub quo res Attica melius ordinata incrementa cepit. Cap. 60. 61. Eius uxor Phaedra Hippolytum, privignum, amat. Utriuſque interitus. Theſeus per ſeditionem exſul. Cap. 62.

Adiecta narratio de Helenae & Proſerpinae raptu per Theſeum & Pirithoum. Cap. 63.

Septem ad Thebas.

» De his cum ſatis dictum ſit, res geſtas Septem ad Thebas perſequamur, exorſi a prima belli cauſa. » Laius, Thebarum rex, & Iocaſta de ſobole oraculum adeunt,

quod funeſta nuntiat. Oedipus inde prognatus idcirco exponitur; poſtea inſcius patrem occidit. — Sphinx. — Iocaſta coniugium & regnum promittit, ſi quis eius aenigma ſolverit. Oedipus ſolvit, & matrem inſcius accipit uxorem, ex eaque procreat Eteoclem & Polynicem, Antigonam & Iſmenen. Cap. 64. Re deinde comperta, Eteocles & Polynices patrem clauſum tenent, & regnum occupant. Mox Polynices, a fratre pulſus, Argos ad Adraſtum fugit, & auxilium petit. Adraſtus & Polynices cum Tydeo & quatuor aliis ſociis Thebis bellum inferunt. Eteocles & Polynices mutuis vulneribus pereunt; ſimiliter reliqui occubuere praeter unum Adraſtum. Cap. 65.

Epigoni, i. e. occiſorum ducum filii, duce Alcmaeone bellum in Thebanos renovant. Thebani, victi urbeque expulſi, ſuaſu Tireſiae Thebani, Tilphoſſaeum in Boeotia migrant; Epigoni Thebas, & in hac Tireſiae filiam Daphnen, Sibyllam cognominatam, capiunt. Thebani Dorienſes invadunt, & varias populorum migrationes movent. Cap. 66. 67.

Dorienſium, Aeolum, Boeotiorum origines & migrationes explicantur. Cap. 67.

Aeoli progenies Salmoneus & Tyro; quorum genealogia uſque ad Neſtora & bellum Troianum producta adiicitur. Cap. 68.

Lapithae & Centauri.

Lapitharum genus. Alter filiorum Lapithae erat Periphas, qui octo liberos habuit. Ex his primus Antion procreavit Ixionem, Iunonis amore captum. Pro Iunone Iuppiter nubem ei ſubiecit, unde nati Centauri. Cap. 69. Centaurorum bellum adverſus Lapithas, horumque reliquiae. Cap. 70.

Aeſculapius.

Eius parentes Apollo & Coronis; merita de vita hominum, & Plutonis de eius arte querelae. Filii Machaon & Podalirius vulneratos ex Graecis ad Troiam curabant. Cap. 71.

Penei & Aſopi genus.

Filii filiaeque recenſentur, quibus multae atque celebres civitates atque populi origines debent; horumque poſteri uſque ad aevum Troianum. Cap. 72.

Pelops, Tantalus, Oenomaus.

Oenomaus, oraculo admonitus, ad avertendas Hippodamiae filiae nuptias, procis certamina propoſuit cum vitae periculo. Pelops, Myrtili auxilio adiutus, victoriam eiuſque praemium Hippodamiam reportavit. Ab eo Peloponneſus nomen habet. Cap. 73. Pelopis pater Tantalus, Paphlagoniae rex, ob opes in ipſos Deos ſuperbus, regno pulſus, & apud inferos cruciatibus affectus. Niobe, eius filia, liberorum numero ſuperbiens, orbitate punita. Cap. 74. Tantalum regno expulerat Ilus, Trois filius. Quocirca eius ſtirps a Teucro inde repetita & uſque ad Priamum, Anchiſem, & Aeneam deducta inſeritur. C. 75.

Daedalus.

Athenienſis erat. Ingenium eius & ſollertia, quo omnes vicit artifices. Talum, ex ſorore nepotem, artis & miniſtrum & aemulum habuit, novis inventis clarum. Hunc Daedalus, invidia commotus, dolo interemit. Capitis damnatus in fugam ſe dat. Cap. 76. Cretam deinde inſulam petit, & Minois regis amicitiam ſibi conciliat. Hic conſtruxit bovis machinam ad explendam Paſiphaae libidinem; unde ortus Minotaurus: deinde Labyrinthum. Poſt ob Minois iram in ſe motam cum Icaro in Siciliam aufugit. Ab hoc & mare Icarium & inſula Icaria nomen habet. Mox conficta fabula de alis e cera factis. Cap. 77. Daedali reliqua opera in Sicilia facta. Cap. 78. Minos, ob receptum Daedalum iratus, Siculis bellum infert. Daedali mors & monumentum ſepulcrale. Cretenſes in Sicilia relicti, poſt Minois mortem ſedem ibi conſtituunt, urbemque Minoam & Engyum condunt; mox templum Deabus Matribus exſtruunt, magnitudine & ſanctitate clarum. Lapides maximis ſumtibus advecti. Cap. 79. 80.

Ariſtaeus.

Ex Apolline & Cyrene in Libya natus Nymphis traditur, a quibus apium, olivarum, lactis cet. culturam didicit; quibus inventis aeque ac Bacchus optime de genere humano meruit. Eius ex Autonoë, Cadmi filia, filius Actaeon a canibus laceratus. Cap. 81. Migrat deinde Ariſtaeus in Ceam inſulam; Graeciam univerſam peſtilentia liberat. Hic relicta ſobole, ipſe Sardiniam & Siciliam

petit; ob quas inſulas ſuis inventis excultas divinos honores conſequitur. Cap. 82.

Daphnis & Eryx.

Eryx, Veneris & Butae filius, Siciliae regulus, urbem ſui nominis, & in eius arce templum Veneris Erycinae exſtruxit, ſanctitate clariſſimum, ab Aenea, Siculis, Carthaginienſibus, Romanis, maximis auctibus ampliatum. Cap. 83.

Daphnis, Mercurio & Nympha genitus, rei paſtoritiae, ad quam regionis amoenitas invitabat, ſtudioſus, fiſtulae paſtoritiae & carminis paſtoritii inventor exſtitit. Montium Heraeorum & circumiacentium camporum, in quibus natus eſt & vixit, deſcriptio inſeritur. Cap. 84.

Orion.

Corporis magnitudine & robore eminuit, & venationem ſectatus eſt. Cum alia opera perfecit, quae magni roboris eſſent, tum praeſertim regis Siculorum, Zancli, a quo Zancle ſive Meſſana nomen habet, iuſſu portum Acte appellatum. Meſſanae mentione facta hiſtoricus digreditur in diſputationem, an Sicilia olim cherſoneſus fuerit? Heſiodus negat, qui promontorium Pelorium, & in eo templum Neptuni, Orionis operibus adnumerat. Orion inter aſtra relatus. Cap. 85.

B) *Lib. V, qui* inſularis *appellatur ſive de inſulis.*

Huius libri prooemium in argumento communi, non proprio verſatur; ordinis & oeconomiae, ut in aliis rebus, ita praeſertim in tradenda hiſtoria, rationem habendam eſſe. Qua laude cum inprimis Ephorus praeſtitiſſet, Diodorus ait, eius ſe exemplum ſecutum, res hiſtoricas *ſecundum ſpecies* proponere inſtituiſſe. Hunc librum itaque antiquiſſimam hiſtoriam *inſularum* continere, ſingulatim recenſendarum. Incipiendum autem eſſe merito a Sicilia, quae magnitudine & antiquitate prima eſſe videretur. Cap. 1. Ceterum hoc libro, praeter Graeca, multa alia contineri non mirandum eſt. Nam ex cap. 24 princ. patet, eodem ſimul ſuppleri, quae prioribus libris ſint praetermiſſa. Unde Graecorum antiquiſſimae hiſtoriae, quam ſolam Diodorus promiſerat, gentium aliarum Europae deſcriptio adiungenda erat.

Sicilia.

De inſulae nominibus, magnitudine, pauca praefatur. A figura Trinacriam, a Sicanis, primis cultoribus Sicaniam, a colonis Siculis, Siciliam eſſe appellatam. Cereri & Proſerpinae merito inſulam caram & ſacram fuiſſe, in qua primae fruges proveniſſent. Cap. 2. Hac oblata occaſione in mythum de Cerere & Proſerpina excurrit, obiter deſcriptis regionibus amoeniſſimis, Enna, Himera, quae Deabus iucundiſſimam praebuiſſent ſedem. Cap. 3. 4. 5. Tum de incolarum ortu pauca diſputat, & hiſtoricorum diverſas ſententias comparat. Ipſe Sicanos indigenas eſſe pronuntiat; poſt multa ſecula ex Italia Siculos immigraſſe; denique Graecos miſiſſe novas colonias, quae vitam cultiorem & linguam Graecam vulgarunt. Cap. 6.

Aeolides.

Earum nomina & ſitus. Sunt ſeptem: Strongyle, Euonymos, Didyme, Phoenicuſa, Ericuſa, Vulcania (Hiera, ἱερὰ Ἡφαίστου), Lipara. Omnes flammas exſpirant. Primo a Liparo, deinde ab Aeolo cultae; unde ab utroque nomen habent. Aeoli humanitas celebratur, Ulyſſis teſtimonio confirmata, porro rei nauticae ſtudium. Cap. 7. — Aeoli ſex filiorum nomina & regna in Italia & Sicilia. Cap. 8. Novi inſularum coloni inſequentium temporum, Cnidii, Rhodii. Cap. 9. — Liparaeorum civitas reliquis florentior ob portus opportuniores, thermarum ſalubritatem, aluminis copiam cet. Cap. 10.

Oſteodes.

Iuculta inſula, *oſſium inſula* appellata a ſingulari eventu, cuius narrationem cap. 11 continet.

Inſulae auſtrales.

Tres inſulae a parte meridionali Siciliae ſitae, Melite, Gaulus, Cercina ſ. Corcyra, quam breviſſime commemorantur. Cap. 12.

In mari Tyrrheno ſitae inſulae.

Primo mentio fit Aethaliae. Ferri illa ferax & mercatura celebris. Sequitur Cyrnos, Romanis Corſica appellata, cuius urbes, proventus, incolarum ingenia & numerus declarantur. Cap. 13. 14. Proxima eſt Sardinia. In

eam colonia ab Iolao deducta; inde incolae Iolaei appellati. Populum eiuſque libertatem ab externo hoſte natura ipſa defendit. Cap. 15. — Pityuſa a pinuum ibi naſcentium copia appellata. Cap. 16.

Iberiae obiacentes inſulae ſunt Gymneſiae ſ. Balleares; ſitus, ſoli natura, incolarum mores. Cap. 17. 18.

Inſulae in Oceano ſ. extra columnas Herculis.

Inſignis magnitudinis *inſula*, e regione Africae in Oceano ſita, plurium dierum ſpatio a Libya diſſita, in hac deſcriptione primum occupat locum. Eius inſulae ſumma fertilitas & amoenitas celebratur, nomen deſideratur; unde colligendum, eam fama potius & ſermonibus, quam ſcriptis idoneiſque monumentis, cognitam eſſe. (Americae vel Indiae occidentalis obſcurior notitia, e Carthaginienſium navigationibus dilapſa, in huius inſulae anonymae & incognitae deſcriptione latere videtur.) Inde *Carthaginienſium* in Africae ora & occidentalis Europae partibus conſtitutae *coloniae*, urbs in Europae peninſula *Gades* condita, & hinc in Oceanum ſuſceptae navigationes expreſſis verbis commemorantur. Cap. 19. 20.

Iam in alteram Oceani partem, quae Europam cingit, progreſſus inſulas & adiacentium terrarum oras perſequitur. Una eſt *Britannia*, cuius inſulae formam, promontoria, populorum mores, ſtanni mercaturam paucis deſcribit. Cap. 21. 22. — Scythiam verſus ſita eſt inſula *Baſilea*, in quam mare ſuccinum proiicit, mythis etiam celebratum. Cap. 23. Inde in proximas Europae oras exſpatiatur, gentes vicinas luſtraturus. Primo *Celticam* adit. Cap. 24 — 32. Mythica narratio de Galate, Herculis filia, a qua Galatia i. e. Gallia & Galli nomen habere dicantur. Cap. 24. Populi plures, omnes numeroſi; praecipui fluvii. Cap. 25. Venti vehementiores, frigus ingens. Zytho itaque pro vino utuntur, vinoque, quod tamen aliunde advehitur. Cap. 26. Argenti nihil, auri magnam copiam terra profert. Inde compoſitus ornatus. Cap. 27. Incolarum corporis cultus, mores. Cap. 28. E curribus pugnandi mos, bellandi ratio, ſpoliorum praecipuae ſpecies. Cap. 29. Veſtitus, arma. Cap. 30. Adſpectus voxque horrida, ingenia. Bardi & Druidae. Vates. Divinatio ex occiſis. Poëtarum in pugnis etiam uſus. Cap. 31. Celtae & Galatae diverſi, a Romanis confuſi. Mulieres feroces,

pueri cani. *Cimmerii*, poſtea dicti Cimbri, Romanis multiſque Europae & Aſiae populis infeſti; *Gallograeci.* Eorum feritatis ſpecimina. Cap. 32. — Sequuntur *Celtiberi.* Sunt Iberes & Celtae mutuis connubiis iuncti. Eorum arma & tela, pugnandique ratio. Corpus ac dentes urina abſtergunt. Cap. 33. Sunt mites in peregrinos. Victus. *Vaccaeorum* natio & *Luſitani* ſingulatim, utpote praeſtantiores, deſcribuntur. Proelia ineunt paeanas canentes & ad rhythmum. Latrocinia ad exercitationum genus referunt. Cap. 34. De harum regionum metallis argenti. Fabula de ſilvarum incendio, quo argentum liquefactum ſit; unde montes Pyrenaeos nomen habere ſomniant. Argento Phoenices allecti. Cap. 35. Rei metallicae ratio apud Iberos uſitata deſcribitur. Cap. 36. Eiuſdem comparatio cum Attica. Machina ad hauriendas aquas comparata & ab Archimede inventa commemoratur. (Κοχλίαι. Vid. Lib. I, cap. 34.) Cap. 37. — Summa miſeria ſervorum ad metalla damnatorum. Poenorum inde opes reportatae. In Iberia etiam ſtannum effoditur, quo praeſertim inſulae *Caſſiterides* abundant. Alias Britannia eius copiam in Galliam tranſmiſit. Cap. 38. Ligures. Terrae eorum indoles aſpera, gentis mores. Cap. 39. — Ultimo loco de *Tyrrhenis* narratio adiungitur, a quibus mare Italiae ſubiectum nomen habet. Militiae pedeſtris, tubae, togae praetextae, lictorum, ſellae curulis, multarum denique artium & vitae elegantioris erant magiſtri. Cap. 40.

Inſulae meridionales in Oceano Arabiae. (Cap. 41 — 46.)

Ora maritima Arabiae & ulterior uſque ad Gedroſiam deſcribitur; praeſertim Arabiae felicis. Adiacent plures inſulae, ſed *tres* prae aliis memoratu dignae. *Una* eſt *Sacra*, *alia* autem proxima, *ſepeliendis mortuis* deſtinata. Thuris & myrrhae brevis hiſtoria. Cap. 41. Eius inſulae magnitudo; incolae ſunt Panchaei. — Tertia inſula *Panchaia*, Iovis Triphylii templo clara. Cap. 42. Agri amoenitas, arborum varietas depingitur. Cap. 43. Templum & alia loca ſacra, cap. 44; animalia, urbes, incolae. Horum tres claſſes, ſacerdotum, agricolarum, militum. Cap. 45. Militum uſus; ſacerdotum habitus, eorundem ortus e Creta. Alia inſulae memorabilia, metalla, anathemata. Cap. 46.

Inſulae in mari Aegaeo. Cap. 47 — 84.

Samothrace. Olim Samos appellata, e Thracia accepit

novos colonos. Ingens diluvium. Cap. 47. Saon, reipublicae conditor. Simul heroës alii, Dardanus, Iaſion, Harmonia. Cap. 48. Harmonia Cadmo, Iaſioni Cybele matrimonio iunctae. De his mythicae narrationes. Cap. 49.

Naxus. Olim Strongyle appellata. Primi coloni Thraces erant, quos Butes, Boreae fil. patria pulſus, eo abduxerat. Mulieres aliunde raptae. Cap. 50. Mox Otus & Ephialtes, ob raptam matrem & ſororem, inſulam occupant & Diam vocant. Poſt Cares immigrarunt, quorum rex Naxus a ſe nomen impoſuit. Secutus eſt filius Leucippus, deinde Smerdius, quo regnante Theſeus cum Ariadne advenit. Cap. 51. De Baccho in hac inſula nutrito & educato, unde tanta vini Naxii praeſtantia. Cap. 52.

Syme. Primi incolae duce Chthonio advenere. Deinde Cares eam occuparunt. Tandem Nauſus & Xuthus novas eo colonias deduxerunt. Cap. 53.

Calydna & *Niſyrus.* Eas primo Cares incoluerunt, deinde Coi, poſt Rhodii cet. Cap. 54.

Rhodus & obiecta Cherſoneſus. Cap. 55 — 63. Rhodum olim Telchines incoluerant, artium multarum, praeſertim ſtatuarum inventores, & magicis artibus celebres. Neptunus apud eos educatus ex Halia genuit filiam Rhodum, unde inſulae nomen impoſitum. Cap. 55. Telchines, inundationem praeſagientes, relicta inſula, in diverſas partes abierunt. Sol, Rhodi amore captus, inſulam ſervavit. Hinc nati Heliadae; Rhodii igitur Solem generis ſui auctorem venerantur. Cap. 56. Heliadae aſtronomiae, artis nauticae, chronologiae inventores. De literarum & artium per eoſdem divulgatione mythologumena Graecorum. Cap. 57. Danai Aegyptii & Cadmi Phoenicis peregrinationes in hanc inſulam. Serpentes, Rhodum devaſtantes, a Phorbante deleti. Cap. 58. Althaemenes, Catrei, regis Cretenſium filius, patria profugus, in hac inſula ſedem fixit. Inſcius occidit patrem. Paulo ante bellum Troianum Tlepolemus advenit, & inſulae rex creatus eſt. Cap. 59.

Commodum viſum, ſimul *Cherſoneſum Cariae*, e regione ſitam, deſcribere. Primi incolae Cares. Poſt V Curetes e Creta advenere, qui inſulam in quinque partes diviſerunt. Mox Cyrnus, Inachi iuſſu, filiam Io perſecutus, in hac inſula regnum obtinuit, & urbem Cyrnum exſtruxit. Cap. 60. Triopas huc profugit. Cap. 61. Hemitheae,

ſive Molpadiae, in Caſtabo fanum inclitum. Cap. 62. Omnium populorum communis pietas, ob remedia aegris in ſomno revelata. Cap. 63.

Creta. Cap. 64 — 80. Eteo-Cretes ſ. Aborigenes, eorumque rex Cres. Dii plerique apud eos nati. Primi incolae Idaei Dactyli, a quibus Orpheus myſteria didicit. Cap. 64. Secuti ſunt Curetes. Eorum inventa. Cap. 65. Iam de ſingulis Diis antiquos mythos refert. Titanes erant, Urani & Terrae filii. Saturnus. Cap. 66. Hyperion. Latona. Prometheus. Mnemoſyne. Themis. Cap. 67. Veſta, Ceres, cum Proſerpina & Triptolemo. Cap. 68. Quae diverſae gentes de Cerere eiuſque frugum inventione diverſa tradant. Neptunus. Pluto. Cap. 69. Iuppiter; eius natales & pueritiae anni. Cap. 70. Eius virtutes reſque in imperio egregie geſtae, quibus divinos conſecutus eſt honores. C. 71. Iovis cognomina & liberi. Cap. 72. — Filiae Iovis recenſentur, &, quibus ſingulae inſtructae fuerint, dotes. C. 73. — Muſae. — Filii: Vulcanus, Mars, Apollo, eiuſque filius Aeſculapius. Cap. 74. Mercurius. Bacchus. Cap. 75. Hercules. Cap. 76. Plutus. Hactenus de Diis apud ſe ortis. Sacra & initia in Creta primum inſtituta eſſe, unde conſtet? Cap. 77. — Iam, poſt Deos, heroës celebrantur: Minos. Cap. 78. Rhadamanthus & Sarpedon. Cap. 79. — De coloniis in Cretam immigrantibus: Pelaſgis, Doribus, barbaris promiſcuis, Argivis & Spartanis. Cap. 80.

Lesbus. Primi incolae Pelaſgi, qui duce Xantho, Triopae fil. inſulam deſertam occuparunt. Ante Iſſa appellata, nunc Pelaſgiae nomen accepit. Poſt Macareus & Lesbus, Lapithae F. Aeoli N. novas colonias eo deduxerunt, inſulamque Lesbum cognominarunt. Iiſdem Chius, Samus, Cos ſubiectae. Cap. 81. — Hae inſulae deinde *beatae* nominatae. Cap. 82.

Tenedus. Tennes, Cygni fil. inſulae conditor. Cap. 83.

Inſulae minores *Cyclades* magis obiter commemorantur, quam aut ſingulatim recenſentur aut deſcribuntur. C. 84.

C) *Liber VI, qui hiſtoriae mythicae ultimus erat, interiit.*

Operis Diodori Siculi deſcriptio reliqua, libros XI — XX complexa, his ipſis, ut alteri Bibliothecae parti, praefigenda ſervatur.

NOTITIA LITERARIA

EDITIONUM DIODORI SICULI

ET SUPERIORUM ET NOVISSIMAE.

Diodori Siculi cum novam editionem, a literarum Graecarum ſtudioſis diu expetitam, noſtro labore procurandam duximus, brevem de ſingulis editionibus narrationem praemittere convenit, qua, tum quid ab aliis ſit praeſtitum, tum quae noſtrae editionis ratio ſit, cognoſcatur. Ita haec ipſa narratio ſimul praefationis vicem ſuſtinebit. Ceterum quo pauciores ſunt editiones, eo paucioribus earum recenſu licet defungi.

Quod in nonnullis aliis Graecis ſcriptoribus factum eſt, id Diodoro etiam accidit, ut in Latinam linguam verſus prius, quam Graece typis exſcriberetur. Quamobrem cum Diodori, artis typographicae & mercaturae librariae ope divulgati, hiſtoriam perſequi velimus, *primo de verſionibus Latinis* dicendum eſſe videtur. I) Prima in lucem prodiit *V librorum priorum verſio*, ſed in VI libros divulſa, *Franc. Poggio* Florentino interprete, qui Nicolao V P. M. eam dedicavit. Eius verſionis *princeps* editio eſſe videtur Bonon. 1472; hanc ſecutae ſunt plures: Venet. 1476, 1481, emendata a Barthol. Merula, ib. 1493 c. Iuſtin. Hiſt. 1496. Pariſ. 1531. Franc. Poggium Bracciolinum huius interpretationis auctorem eſſe in dubium vocarunt, quid? quod negaverunt Brian. Twynus, Burtonus, Vinc. Opſopoeus aliique, confutati a Petro Weſſelingio (in Praef. ad Diod. Sic. pag. IV), qui argumentis idoneis & graviſſimorum virorum teſtimoniis Poggio, ut vero auctori, eam verſionem vindicavit. Verumtamen cum verſio iſta Nicolao V P. M. ſit conſecrata, hunc pontificem autem maximum conſtet ſummum eccleſiae Romanae regimen an. 1447 ſuſ-

cepiſſe, annoque 1455 vita defunctum eſſe, Poggium vero ipſum an. 1459 diem ſupremum obiiſſe; facile ex hac temporum, hominum, editionumque diſcrepantia colligendum eſt, primam Diodori Siculi verſionem, a Poggio factam, non niſi manuſcriptam Nicolao V tradi potuiſſe, eandemque neque Poggii cura, neque vivo Poggio, typis eſſe exſcriptam & divulgatam. II) Librorum XI, XII, XIII, XIV, verſionem, licentiorem & uberiorem, Baſileae editam, Weſſelingius Praef. p. IV Aeneae Sylvio adoleſcenti tribuit. III) Librum XV in linguam Latinam vertit Marc. *Hopperus*, Baſileenſis. IV) De illuſtrium Regum Philippi & Alexandri & aliquot aliorum ducum Macedoniae factis, Latine, *Barth. Coſpo*, Bononienſi, interprete, Libri II, (i. e. Diodori Siculi Lib. XVI, XVII) cum parte a Poggio verſa, Baſ. 1531, fol. repetita 1535 & 1545. V) Tres ultimos libros, XVIII, XIX, XX, Latine interpretatus eſt *Seb. Caſtellio;* eoſdem vero ab Andr. Dudithio, cui eorum interpretationem Ant. Teiſſerius in elogiis adſcripſerat, Latine verſos eſſe negat Weſſelingius, prolato teſtimonio efficiens, horum librorum verſionem a Dudithio inchoatam quidem, ſed non ad finem perductam eſſe. VI) Denique diverſas diverſorum Diodori Siculi interpretationes Latinas coniunctas ac de novo ad Graecum exemplar diligenter exploratas edidit *Io. Iac. Grynaeus*, Theologus Baſileenſis, an. 1578. VII) Sed univerſorum Diodori librorum, quot ſuperſunt, *Laur. Rhodomanus*, Henr. Stephani, Ioſ. Scaligeri, D. Chytraei & Io. Caſelii admonitione & exhortatione excitatus, novam verſionem, ſuo ſtudio, abiectis reliquis, concinnavit, viris doctiſſimis approbatam, quam Weſſelingius in noviſſimam editionem recepit. Edita primum Hanov. 1604 cum Diodoro Graeco; eadem ſeparatim exhibita Hanov. 1611, 8, male omiſſa temporis notatione, quae in margine erat appoſita, ſed opere primum diviſo in capita.

Iam vero ad *Graeca* revertamur, hucdum *quatuor editionibus* propoſita. Omnes ſolitariae manſerunt, nulla repetita eſt, a nulla, tanquam matre, novae editiones derivatae ſunt, excepta Stephaniana, quam Rhodomanum ſecutum eſſe ſcimus. Sed ſingula ſingulatim deſcribamus.

I. ΔΙΟΔΩΡΟΥ ΣΙΚΕΛΙΩΤΟΥ *ἱστοριῶν βιβλία τινὰ τὰ εὑρισκόμενα. Diodori Siculi hiſtoriarum libri aliquot, qui extant, opera & ſtudio* Vincentii Opſopoei *in lucem editi.*

Baſileae. In fine: Ἐτυπωθη ἐν Βασιλειᾳ της Γερμανιας, ἐπιμελειᾳ μεν Ἰωαννου Ὀπωρινου, ἀναλωμασι δε Ῥοβερτου Χειμερινου ἐτει ἀπο της ἐν σαρκου θεογονιας α φ λ θ (1539) βοηδρομεωνος μηνος. Inſunt in hoc primo Diodori exemplo, Graece exſcripto, libri quinque XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, ex his, quos ſuperſtites habemus, poſtremi, quos quidem Opſopoeus ſolos ſupereſſe opinatus erat. Exemplar ex uno Codice deſcriptum, nulla addita vel interpretatione vel annotatione; haud ubique quidem emendatiſſimum, variis tamen locis meliore inſtructum lectione, quam qualem in cultiſſimis editionibus exhibitam deprehendit Weſſelingius. Reliqua ad *principis editionis* hiſtoriam pertinentia cum e praemiſſa Opſopoei epiſtola ad Chriſtophorum, Epiſcopum Auguſtanum, cui hanc Diodori particulam dedicavit, data Onolczbaci, optime poſſint cognoſci, locum, qui praecipuam rei notitiam continet, inde tranſcriptum hic exhibere iuvabit. *Diodori Siculi*, inquit, *modicas has, quas tua Celſitudo videt, reliquias, ab Iano Pannonio quondam Quinqueccleſienſi epiſcopo ab interitu vindicatas, ac deinceps ab eruditiſſimo viro, Ioanne Alexandro Braſſicano (ne quem merita laude defraudemus) nobis pe Ioan. Petreium communicatas & nunc tandem a me tranſcripta edimus. Quo in autore ut iacturae magnitudo intelligatur, omniun ille ferme gentium & populorum hiſtoriam quadraginta volumi nibus condidit: de quibus hos quinque tantum habemus ſuperſti tes, cum illis quinque Latinis prioribus, quorum verſio meo qui dem iudicio Poggio non recte adſcribitur. Neque enim veriſimil eſt, adeo ſpurciloquum & virulentum ſycophantam & vitiligato rem quidquam graecitatis calluiſſe, qui ne Latinam quidem linguam, cuius ſibi videbatur eſſe peritiſſimus, recte calluit. — D bent vero haec fragmenta vel hac de cauſa Celſitudini tuae eſ gratiora, quod* nunc primum *in lucem exeant, nuſquam ant hac edita, ut plane pro novis & primum natis probari quean*

Hac antiquiorem, certiſſime perſuaſum habeo, exſtai nullam Diodori Graece exſcripti editionem. Quod ne ve bo quidem admonuiſſem, niſi forte in Ed. Harwoodi Co ſpectum editionum veterum ſcriptorum Gr. & Rom. *Franc. Car. Altero* Viennae 1778 editum, incidiſſem, ubi recenſu editionum Diodori Alterus Venetam anni 147 primo loco numeravit, eamque ut *Graecarum principem* i ctavit, ſummaeque raritatis elogio ornavit. Quandoqu dem autem neque in Opſopoei notitiam eius rei quidqua

venit tum, cum Diodori aliquam partem primus edidiſſe putaretur, neque Geſnerus in Bibliotheca aliam, quam Opſopoei, commemoravit, neque in Maittairii, Fabricii aliorumque virorum commentariis, diligentiſſime factis, eius editionis mentio facta eſt; quis dubitabit, Alterum fallaci aliqua rei non exſtantis ſpecie arrepta, in hunc errorem incurriſſe, & mendacem exhibuiſſe notitiam? Erroris autem cauſam aliam fuiſſe non puto, quam quod Poggianae interpretationis Latinae exemplum eius anni pro Graeco exemplari habuit; quamquam ne huius quidem verſionis editionem eius anni alibi annotatam reperi. Quod ſi tamen errorem, cuius Alterum redarguimus, ipſi commiſerimus, quod vix metuendum; at ille eius editionis, quam unquam prodiiſſe negavimus, accuratiorem notitiam & teſtimonia fide digna adferre haud dedignabitur.

II. ΔΙΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΣΙΚΕΛΙΩΤΟΥ Βιβλιοθηκης βιβλοι πεντεκαιδεκα ἐκ των τεσσαρακοντα. — *Decem ex his quindecim nunquam prius fuerunt editi. Anno MDLIX excudebat* Henricus Stephanus, *illuſtris viri Huldrici Fuggeri typographus.* Henr. Stephanus, cuius haec editio eſt, de Diodori Siculi opere bene meruit pluribus modis: 1) praemiſſo brevi tractatu de Diodoro, in quo de eius vita, libri argumento, hiſtorici virtutibus, docte diſſeruit, huncque contra iniquas nonnullorum reprehenſiones defendit; 2) libris decem I — V & XI — XV primum in lucem prolatis; 3) opere non ſolum luculentis & nitidis formis expreſſo, ſed eodem, maiore, quam antea, diligentia, adhibitiſque pluribus Codicibus manuſcriptis, emendato. Codices, quibus uſus fuerit, ipſe nullo indicio prodidit. E Claromontanis MSS. omnia ſumta eſſe, non neglectis tamen aliis, inque his fortaſſis Fuggeri Codicibus, Weſſelingius Praef. p. III auctor eſt; Fabricius quindecim libros e MS. Cod. Huldrici Fuggeri deſcriptos eſſe, neſcio qua auctoritate nixus, affeverat. 4) Varia lectio margini adiecta, nullius tamen Codicis nota appoſita. 5) Libro viceſimo ſuccedunt, a pag. 792 ad 810, Excerptae e poſterioribus Diodori libris hiſtoriae, quas quatuor ante annis Romae agens in quodam volumine cum aliis collectaneis invenerat; pars Graece exhibita, pars tantum Latine, cuius quippe Graecum exemplar adferre omiſerat. Excerptas hiſtorias plures, in quas inciderat, praetermiſit, cum non in promtu haberet; nec editionem, iampridem ſtudioſorum

votis expetitam, tantiſper, dum eas nanciſceretur, differendam eſſe putaret. 6) Supplementa Diodori e Floro, Arriano, Curtio, praefixis e Diodoro ſummariis p. 810 — 827. 7) Annotationes ſequuntur Henr. Stephani in ſuam Diodori Siculi editionem p. 827 — 847. De his praemonet lectores p. 798, primo ut eas tanquam extemporales, non tanquam per otium ſcriptas legant, deinde ut ne locorum nonnullorum lectionem, ab ipſo praetermiſſam, prius, quam ſcribendi genus penitius cognoverint, eiuſque idioma ſibi familiare reddiderint, depravatam iudicent.

III. ΔΙΟΔΩΡΟΥ cet. *Diodori Siculi Bibliothecae hiſtoricae libri XV de XL — ſtudio & labore* Laurentii Rhodomani, *Cheruſci. Hanoviae, typis Wechel. MDCIII*, fol. Eſt haec *Graeco-Latina* editio *prima*, cuius ſuſcipiendae & exſequendae idem Henr. Stephanus, qui iam ipſe Diodorum pleniorem vulgaverat, auctor erat. Namque eius potiſſimum admonitione & iteratis precibus Laurentius Rhodomanus permotus eſt, ut novam Diodori interpretationem & aggrederetur & abſolveret; quod quidem e Stephani epiſtolis, Rhodomani praefationi inſertis, plane cognoſci poteſt. Bis adeo quinque priores libros vertere coactus eſt, cum exempli ad Stephanum tranſmiſſi, poſtquam hic lue correptus vita deceſſerat, iacturam feciſſet. Editionis dotes ſunt hae: 1) Exemplum Graecum omnino Stephani eſt, qui eius ipſius Rhodomano copiam fecerat, cum librum aliunde mutuo ſumtum, iniquo tempore reddere debuiſſet. Novum a Codd. manuſcriptis praeſidium acceſſit nullum. Margini adeo eadem lectionis varietas, quam Stephaniana editio praeferebat, appoſita. Ceterum omnia accurate expreſſa & emendata, quamvis adhibitis typis minus venuſtis. 2) Graecis adiuncta verſio Latina nova, docte & cum fide facta. 3) Verſionis Latinae margini cum paginarum numeri ex ed. Stephaniana, literaeque alphabeti grandiores verſuum decades eiuſdem editionis indicantes, tum rerum praecipuarum argumenta, tum Olympiadum annorumque ab O. C. computatorum notatio adiecta. Quae poſtrema ratio, in qua Abr. Bucholtzerum ducem habuit hiſtorici lectionem maximopere adiuvat. 4) Quinque libri prioribus, quos ipſe mythologicos appellavit, ſeparato volumine editis, adiecta ſunt primo Diodori fragmenta libri VIti, ab Euſebio excerpta; aliudque Georgii Monachi, quo Iac. Bongarſius e Codice Reginae Catharinae 1578 excer

pſit. Haec deinde ſequuntur L. Rhodomani Coniecturae in Lib. I — V, quibus corrupta quaedam reſtituuntur. Tertio ſuccedit Phraſeologia ſ. Index tum verborum tum formularum in V libris mythologicis notabilium, L. Rhodomano analecte. Denique Index perſonarum rerumque volumini finem imponit. 5) Alteri volumini, libros X poſteriores ſeu hiſtoricos complexo, ſubiunctas deprehendimus primo eclogas e libris deperditis, cum ab Henr. Stephano primo exhibitas, tum aliunde collectas, appoſita Rhodomani verſione Latina, p. 837 — 861, & p. 862 — 923. Pars e decade quarta in eius manus venit, cum Photii bibliothecam Abr. Drentwedius, Auguſtanus, ei donaret; alteram partem e decade tertia cum eo communicavit Dav. Hoeſchelius. Deinde ſequuntur continuatae Laur. Rhodomani animadverſiones in X libros poſteriores p. 927 — 934; hiſque annexae Annotationes H. Stephani in ſuam Diodori editionem, p. 936 — 945. Porro chronologia duplex, ſ. Tabulae chronologicae adiectae, p. 946 — 970. Altera annos mundi, Olympiadum, urbis Romae, altera conſules Romanos recenſet; utraque autem perutilis eſt. His ſubiectus perſonarum rerumque Index p. 971. Acceſſit denique ſerius Corollarium ad Diodorum Siculum, quo eclogarum quarundam interpretatio Latina & animadverſiones in Graecum & Latinum contextum, per temporis anguſtiam omiſſae, continentur.

IV. ΔΙΟΔΩΡΟΥ — τα σωζομενα. *Diodori Siculi Bibliothecae hiſtoricae Libri qui ſuperſunt, interprete Laur. Rhodomano, ad fidem MSS. recenſuit* Petr. Weſſelingius cet. *Amſtelod. 1746*, 2 Voll. fol. In hanc editionem, velut in oceanum, cum priorum editorum cuncta paene, tum Weſſelingii doctrina & ſtudio, multa nova confluxerunt. Eadem externo habitu admodum decora. Praemiſſa Weſſelingii dedicationis epiſtola iudicium de Diodoro eiuſque operis, narrationis, ſtilique indole recte aeſtimanda evidentiſſimum, praefatio autem editionis apparatum deſcriptum exhibet. Hanc deſcriptionem ſecuti, ſimul tamen opere ipſo perluſtrato, ſingulas opes, quibus inſtructa ſit, quibuſque aliis modis ea editio praeſtet, paucis tradamus. 1) Exempli Graeci nova recenſio facta, Codicibus multo pluribus, quam ante, adhibitis, iiſque ſumma diligentia comparatis, ſingulatimque indicatis & deſcriptis, quod H. Stephanus facere omiſerat. Quare ex hac ipſa Codicum

enumeratione exiſtimari poteſt, quid ad conſtituendum Diodori contextum vel ſit factum, vel faciendum ſuperſit. In uſum venerunt hi Codices. Primo Iac. Ph. Dorvilii humanitate ac liberalitate accepit, quae a Franc. Dion. Camuſato, qui & ipſe novam Bibliothecae Diodori Siculi editionem inſtruere in animo habuerat, congeſta erant, e Codd. MSS. vel ab ipſo vel ab aliis diligenti comparatione excerpta. Hic enim exemplo ſuo diſcrepantes ſcripturas accurate adſcripſerat. Codices collati erant hi: a) Cod. Coislinianus ſeculi XV, continens priores quinque Diodori libros & XI, XII, XIII, XIV, XV, omnium, quos ille vidit, optimus. b) Cod. Claromontanus prior, eoſdem libros I — V & XI — XV complexus, bonitate & antiquitate praeſtans, ſeculo XII ſcriptus; idem, quo Henr. Stephanus uſus erat. c) Claromontanus poſterior, ſec. XV, priori in pleriſque conſentaneus. d) Cod. Claromontanus alius. libros XI, XII, XIII, XIV, XV, continens. e) Regio-Pariſienſis 2538, poſtremos quinque libros XVI — XX exhibens; uterque (d & e) incertae aetatis. Deinde L. Ant. Muratorii munere acceſſerunt: f) Excerpta e Codice Mutinenſi, quem Michaël Apoſtolius in Creta e Codice antiquo & optimae notae deſcripſerat. Porro P. Burmanni benevolentiae debebantur: g) Ioſ. Scaligeri & Iſ. Voſſii coniecturae, e bibliotheca Lugdunenſi conceſſae, ſimulque Iſ. Caſauboni manu Baſileenſis editionis libro XVIII & XIX adſcriptae lectiones, Codicis Leidenſis nomine deſignatae. Haec omnia, Camuſati diligentia collecta, una cum paucis nec magni momenti annotationibus, libri ſui margini adſperſis, emtione ad Iac. Ph. Dorvillium tranſierant. Nova ſubſidia praeter ſupra memoratum Codicem 2538, praeterea e bibliotheca Regio-Pariſienſi venerunt, non admodum quidem antiqua, ſed ex parte ex antiquis deſcripta: h) Cod. 2062, lib. I — V. i) Cod 2539, olim Card. Trivultii, ſec. XV, lib. XI — XV. k) Cod 2060, lib. XI — XVII, ſec. XVI. l) Cod. 2061, lib. XV — XX, eadem manu qua primus ille 2062 exaratus; omnes collati opera De la Barre. Ex Italia deinde conquiſita: m) Cod. Vaticanus 130, ſec. XII in charta pergamena ſcriptus unde excerptas varias lectiones ad quinque priores libro Weſſelingius accepit. n) Excerpta e Codice ſec. XII bombycino, libros V priores continente, Ioſephi Sim. Aſſemani ſtudio procurata. o) Alia e Codice ſec. XV, ad li

bros quinque medios XI, XII, XIII, XIV, XV, & ex aliis eiuſdem vetuſtatis ſchedis ad poſtremos quinque libros illuſtrandos ſpectantia. q) Venetiis Blaſii Caryophili cura impetratae collationes e bibliotheca D. Marci ad decadis tertiae priores quinque libros: (lib. XI — XV) r) Variae lectiones librorum I — V, e Codice monaſterii Dominicanorum S. Ioannis & Pauli ſec. XV a Caeſare Stratego exarati. — Florentinorum Codicum, quorum deſcriptionem & ſpecimina A. Cocchius praebuerat, unde quidem patebat, eos cum Claromontanis conſentire, nec non Codicis S. Ioannis de Carbonaria Neapoli Vindobonam translati, qui omnium optimus & antiquiſſimus, ſcilicet ſeculi octavi vel noni eſſe videtur, copiam haud nactus eſt Weſſelingius. Atque haec de Codicibus MSS. a Weſſelingio uſurpatis ac de textu Graeco eorum ope conſtituto ſufficiant. Iam reliqua perſequamur. 2) Operi praemiſſa ſunt primo Henr. Stephani Tract. brevis de Diodoro Siculo eiuſque ſcriptis, deinde priorum editorum praefationes & dedicationes cunctae; denique virorum doctorum veterum & recentium iudicia atque elogia, praeſertim autem Voſſii, Whearii, & Fabricii notitia de Diodori Siculi vita & ſcriptis horumque editionibus. 3) Textui Graeco-Latino ſubiectae ſunt primo loco variae lectiones, altero & inferiore annotationes vel criticae vel exegeticae H. Stephani, L. Rhodomani, Fulvii Urſini, H. Valeſii, Iac. Palmerii, praeſertim vero Weſſelingii uberrimae & doctiſſimae. 4) In hac editione Graeco-Latina primum libri in capita ſunt diviſa; quam tamen rationem, lectoribus percommodam, ante adhibuerat verſio Rhodomani Latina, Baſileae an. 1611 forma minore ſeparatim edita. Interiori margini appoſiti paginarum numeri editionis Rhodomanianae, exteriori editionis Stephanianae, una cum Olympiadum notatione. Similiter eclogis adiecti paginarum numeri ex iis exemplaribus, unde ipſae tranſcriptae ſunt. 5) Priori volumini poſt librum XIV ſubiecta ſunt cum Addenda & Emendanda, tum Excerpta ex Io. Chriſtoph. de Iordan Apparatu chronologico in opus de originibus Slavicis, Sectione V de Chronologia Diodori Siculi. — Poſteriori volumini annexa: 6) Eclogae ſeu Excerpta e Chronicorum Diodori Siculi libris VI, qui vigeſimum inſequuntur, pag. 489 — 514. 7) Eclogae ſeu Excerpta ex Diodori Sic. Bibliothecae libris, qui

deſiderantur, ut in Biblioth. Photii exſtant, p. 515 — 544. 8) Ex hiſtoria Diodori Sic. Excerpta de virtutibus & vitiis, p. 545 — 617. 9) Ex Diodoro Siculo excerptae legationes, p. 618 — 632. 10) Diodori Siculi Fragmenta, p. 633 — 646. Eclogae ſive excerpta, num. 6 — 10 indicata, Photii, H. Stephani, Fulvii Urſini, Henr. Valeſii induſtria primum ſunt collecta. Horum virorum libros, in quibus primum edita exſtant, loçaque unde ſumta ſint, accuràte indicavit Fabricius in Bibl. Gr. L. III, 31. Scilicet notum eſt, Conſtantini IX Porphyrogeneti (qui a. 959 obiit) iuſſu ex priſcis ſcriptoribus facta eſſe Excerpta ſub certos titulos digeſta (*κεφαλαιωδῶν ὑποθέσεων* titulis LIII,) e quibus fortuna ſervavit tit. XXVII *περὶ πρεσβειῶν*, *de legationibus*, & tit. L *περὶ ἀρετῆς καὶ κακώσεως*, *de virtute & vitiis*. Priora illa de Legationibus, antiquiora quidem, in lucem prodiere e bibliotheca *Fulvii Urſini* Antwerpiae ex officina Chph. Plantini 1582, (in quibus *Diodori* ſunt Eclogae p. 313 — 333) reliqua e Cod. Schottii a *Dav. Hoeſchelio* Aug. Vind. 1603, 4, & iterum a Labbeo in vol. Corporis Scriptt. Byzant. Alterum volumen de *virtutibus & vitiis* edidit Henr. Valeſius e Cod. Peireſc. Par. 1634, 4, (in quibus e Diodoro ſunt p. 221 — 413.) Photius autem Cod. CCXLIV, loca varia exſcripſerat e libro XXXI, XXXII, XXXIV, XXXVI. XXXVII, XXXVIII & XL. Eclogae & aliorum & Weſſelingii annotationes, nec paucas neque leves, ſubiectas, verſionem vero Latinam adiunctam habent. 11) Epiſtolae Diodori Siculi ex Italica Octavii Archangeli verſione Latine redditae, interprete Abr. Preigero, p. 647 — 666. Inſunt eaedem in Fabricii B. Gr. Vol. XIV, p. 229 — 270, inter ſcripta ſuppoſititia. Annotationes, in Theſ. antiq. Sicil. Tom. X, p. 394, obvias, quibus has epiſtolas P. Carrera inſtruxerat, Weſſelingius optimo conſilio praetermiſit. 12) Libri praeſtantiſſimi uſum adiuvant & augent ſex Indices: a) Scriptorum in Diodori Bibliotheca commemoratorum; b) Geographicus regionum, urbium, populorum, fluviorum cet. c) Rerum in Diodori libris obviarum; d) Archontum Atticorum & Olympionicarum; e) Phraſium & vocum praecipuarum. Hic multo plenior eſt, quam is, quem Laur. Rhodomanus compoſuerat, nulla tamen interpretatione Latina appoſita. f) Scriptorum, quorum aut corriguntur aut explicantur verba. Denique annexa ſunt 13)

Addenda & Corrigenda ad libros, qui altero volumine tenentur.

V) Iam ſupereſt, ut ſuſceptae *noviſſimae editionis*, noſtris cum maxime ſtudiis paratae, quae ſingulis deinceps voluminibus in lucem prodibit, rationem reddamus, quidve ea praeſtare deſtinaverimus, paucis exponamus. Quemadmodum in reliquis, quae literarum cauſa inſtituimus, ea ſola, quae quamplurimis literarum ſtudioſis commoda eſſent, ſectati ſumus, ita coepta de Diodoro, eodem tendentia, ſperamus optimo & doctiſſimo cuique nos facile approbaturos eſſe. Adiumenta critica nova penes nos non erant; ſed alia ratione literarum ſtudioſis utilem operam navare conati ſumus. Scilicet non tam illud agebatur, nec ad literarum utilitatem requirebatur, vel plurimorum votis expetebatur, ut Diodoro nova quaererentur vel adiumenta vel ornamenta, quam ut ea, quibus iam eſſet inſtructus, in uſus communes converterentur. Praecipua itaque cura fuit efficiendi ac praeſtandi id, quod Harwoodum, virum doctum & probum, in Conſpectu editionum auctorum Graecorum & Latinorum optare cognovimus, ut Diodori editio exhiberetur, in plura parva volumina diviſa, ad ſtudiorum uſus commodior; tum eo ſimul ſpectavimus, ut doctrinarum copiae, plurium virorum doctorum opera, praeſertim Weſſelingii diligentia & doctrina cumulatae, minore impenſa fierent parabiles, earumque proinde uſus divulgaretur. Id conſilii amplexi & exemplorum penuriam intuiti, qua res literaria Graecorum ab hac parte laborabat, Diodorum exhibere inſtituimus, qualem maxime virorum doctorum votis & iuvenum uſibus congruum eſſe putaremus. Ac 1) primo quidem propoſuimus, Diodorum e Weſſelingii recenſione integrum edere, adiuncta L. Rhodomani verſione Latina, atque praeterea quaecunque Weſſelingii exemplum comprehendat, ad lectionem diverſorum Codicum comparandam opuſque univerſum illuſtrandum, ea noſtra editione complecti & in uſus communes divulgare cuncta atque integra. Si quae alia hiſtoriae adminicula vel ad Diodori notitiam pertinentia ſcripta in ſuperioribus editionibus fuerint propoſita, quorum uſus ſit evidens, iis in extremo volumine, una cum Indicibus locupletiſſimis locum haud invidebimus. Deinde 2) proſpectum eſt, ut omnia emendatiora meliuſque ordinata exhiberentur, quam in editio-

ne Weſſelingiana. Exemplum Weſſelingianum, quamvis doctrinae opibus ornatiſſimum & externo habitu ſplendidiſſimum, tamen librariorum mendis admodum erat inquinatum, noſtra opera nunc diligenter ſublatis. Similiter nonnulla ante diſſipata & ſparſa ſingulisque voluminibus ſeorſim ſubiecta, in quibus variae lectiones Codicis Veneti, ſerius allatae, & Addenda Corrigendaque alia erant, ſuo loco inſeruimus, ut omnia apta & connexa eſſent. 3) In his cum ſubſiſtere potuiſſemus, ecce contigit, ut nonnulla alia adiungere liceret adiumenta, partim critica partim hodegetica, quibus ſi non de Diodori opere ipſo ſeu contextu, at certe de eius lectoribus bene mereremus, quae his proinde grata futura eſſe confidimus. Pleraque *Heynii*, viri eruditiſſimi & humaniſſimi, conſilio, facilitati & benignitati debemus, qua coepta noſtra literaria omnia, tum hanc etiam Diodori ornandi provinciam proſecutus eſt. Namque cum literis noſtris eum adiremus rogantes, ut copiam faceret, ea, quae ipſe in Diodorum Siculum doctiſſime commentatus eſſet, in huius editionis ornamenta tranſferendi, is ſuarum commentationum uſum libenter conceſſit, & ulterius, quae commoda viderentur, ſuggeſſit. Inprimis ſuaſor fuit, ut in margine ponerentur argumenta capitum, quantum fieri poſſet, exacta & explicata, quae lectorem, ſi vel opus continua lectione perſequi, vel loca hiſtoriasque ſingulas, quibus maxime opus eſſet, requirere vellet, perpetuo regerent & inſtruerent. Horum argumentorum ex opere ipſo excerpendorum & concinnandorum curam ſuſcepit *Ierem. Nic. Eyring*, Profeſſor Gottingenſis; cuius quoque commentationes in Diodorum, olim in conſeſſu ſodalium Regii Inſtituti hiſtorici praelectas, Heynianis ſubiunximus. Praeter ſuperiorum editionum bona communia & priſca, haec itaque nova & propria acceſſerunt:

I) *Argumenta operis in margine appoſita.*

II) Chr. G. Heynii, V. Ill. *Commentationes tres de fontibus & auctoribus hiſtoriarum Diodori Siculi & de eius auctoritate, ex auctorum, quos ſequitur, fide aeſtimanda*, primum in *Commentatt. Soc. Reg. Sci. Gotting.* propoſitae, *prima* quidem in libros tres priores, *Tom. V, p. 89 — 190; altera* ad libros II — V, *Tom. VII, p. 75 — 106; tertia* ad libros XI — XL, *ibid. pag. 107 — 120.* His ſubiecta ſunt eiuſdem additamenta Epimetri loco.

III) Ier. Nic. Eyring *Quaeſtio de genere operis hiſtorici, a Diodoro Siculo compoſiti*, primum Germanice exhibita in *Allgem. hiſt. Biblioth.* a ſodalibus Inſtituti Reg. hiſt. compoſita, & a *Gatterero V. Ill.* edita, *Vol. IV, pag. 12 — 20*, nunc vero Latine verſa, emendata & aucta.

IV) Eiuſdem *Bibliothecae hiſtoricae Diodori Siculi Oeconomia ſeu Deſcriptio*, primum edita in *memorato opere communi ſodalium Inſtituti R. Hiſt.* editore *Gatterero, Vol. IV, pag. 20 — 226, & Vol. V, pag. 29 ſqq.* nunc in linguam Latinam translata & recognita.

Quae in Diodorum diſputationes eiuſque operis deſcriptiones cum partim iudicium de huius libri fide, diſpoſitionis ratione, aliiſque vel virtutibus vel vitiis corrigere & firmare, partim operis uſum faciliorem & ampliorem reddere poſſint, dubium non eſt, quin commoda & utilitatem ſint allaturae, lectorumque gratiam initurae. Ceterum ad rem bene gerendam tametſi ſummam curam & induſtriam adhibuerimus, tamen memores, inter continuos belli tumultus bellique calamitates maximas, quibus preſſi & vexati eramus, errandi pericula plura obveniſſe, ſi qua re nos lapſos & quid praeter conſilium & opinionem noſtram perperam factum deprehenderitis, veſtram, lectores, humanitatem & aequitatem non tam imploramus, quam depoſcimus. Scrib. Biponti, ante nundinas Lipſienſes autumnales, an. MDCCLXXXXIII.

PETRI WESSELINGII

P R A E F A T I O.

Novam Bibliothecae Diodori Siculi editionem noſtra memoria inſtruere viri praeclari Ioſeph. Waſſe & Franc. Dionyſius Camuſatus *fuerunt ingreſſi, quorum laudabiles conatus, ſicuti & acutiſſimi* Terraſſoni [1], *aut mors aut alii caſus diſturbarunt. Suſcepi & ego eam cogitationem ante hos novem annos, & ſponte mea, &* I. Wetſtenio Guilielmo*que* Smitho, *bibliopolis nobiliſſimis, impulſoribus: quem quidem impetum nonnihil operis amplitudo & vitia, quibus illud obſitum ſaepe ante animadverteram, ſufflaminabant; nec abieci tamen conſilium, re ipſa edoctus, difficillima quaevis tractando leviora fieri,* καὶ μάλιστα μὲν, *ut noſter aiebat,* τῇ πρὸς τὴν πραγματείαν ἐπιθυμίᾳ, δι' ἣν πᾶσιν ἀνθρώποις τὸ δοκοῦν ἄπορον εἶναι τυγχάνει συντελείας. *Sola ea cura reſtabat, ut ſubſidia ſcriptorum conquirerentur Codicum, ſine quibus in recentandis veterum commentariis nihil magnopere poſſe praeſtari, pulchre memineram. Verto me ad virum celeberrimum* Iac. Ph. d'Orvillium, *longo mihi uſu coniunctum, quem ſuo ſibi aere redemiſſe, quae* Fr. Dion. Camuſatus *ex manu ſcriptis in Gallia ſchedis excerpſerat, ſaepius inaudieram. Non negat pro ſua in me benevolentia & literas iuvandi ſtudio vir egregius ea omnia: hoc amplius, operam in illis etiam explorandis offert, quae alibi locorum laterent, & cumulate praeſtat; quae uti gratiſſima mihi accidit, ita* Wetſtenius *mire placuit, cum nec impenſis nec labori parceret, ut omnia impetrarentur, quibus opus eſſe opinarer. Ita nactus ex Italia, Gallia & Germania complura ſum, quorum auxilio Diodorus melior & nitidior provulgari poſſe videbatur.*

1 Io. Alb. Fabricii Bibl. Gr. L. V, 38, p. 465.

Ne vero neſcias, quo loco cenſendi ſint iſti Codices, atque unde venerint, operae erit per ſaturam eorum notitiam aperire. Ordiar cum illis, quos aut Fr. D. Camuſatus *per ſe cum editis comparavit, aut aliorum opera collatos adeptus fuit. Adſcripſerat vir diligentiſſimus orae Diodori ſui diſcrepantes ſcripturas ex Coisliniano & Claromontanis manu exaratis libris. Quorum quidem Coislinianus ſeculi XV, ut* B. Montfauconius [1] *nos docuit, complectitur priores quinque Diodori libros & XI, XII, XIII, XIV, XV, omnium, quos ille vidit, optimus. Claromontanus, quem priorem appellavi, habet quinque priores, totidem poſterior. Ille praeſtat bonitate & antiquitate, circa ſeculi XII finem, ut perhibent, ſcriptus, eſtque idem, quo uſus eſt* Henr. Stephanus *in procuranda* βιβλιοθήκης *huius* ἱστορικῆς *editione, variis propterea notis & additionibus inſtructus: hic recens admodum eſt, Bartholomaei manu ſub ſeculum XV* [2] *exaratus, priori in plerisque conſentaneus, ut res ipſa oſtendit, neque* Camuſatus *admonere neglexit. Alleverat praeterea & margini inſcripſerat ex Claromontano alio, in quo XI, XII, XIII, XIV, XV, & Regio, qui bis milleſimus quingenteſimus trigeſimus octavus in bibliotheca Chriſtianiſſimi Galliarum regis numeratur, & ſequentes quinque, ſive poſtremos eius decadis, lecturo offert, omnia, quae cum editis diſſentiunt: cuius autem illi aetatis ſint, dicere non habeo. Praeter quos beneficio viri excellentis* L. Ant. Muratorii *fuerat adeptus excerpta ex Mutinenſi ſcripto, nupero quidem, quippe a Michaële Apoſtolio in Creta, ad famem, uti ipſemet queſtus eſt, arcendam deſcriptus, ſed ex antiquo & notae optimae libro: neque defuit illi celeberrimi* P. Burmanni *benevolentia, cui debuit nonnullas* Ioſ. Scaligeri *&* Iſ. Voſſii *coniecturas, utriuſque libro, quem Leidenſis bibliotheca ſervat, appoſitas; accepit ab eodem accurata eruditi viri, quem ex chirographo* Iſ. Caſaubonum *arbitrantur, manu tranſcriptas lectiones, quibus Baſileenſis* ἐκδόσεως *liber XVIII & XIX a veteri Codice diſcrepabat, indidem depromtas, atque ea de cauſa Leidenſis nomine a me deſignatas. Puto & hinc veniſſe epitomen, quam manu ſcriptam verſavi, de Aſſyriorum, Medorum, Perſarumque rebus, a Georgio Gemiſto ex ſecundo Diodori libro contractam: namque eam inter Lugdunenſes gazas reconditam eſſe, conſtat abunde. Atque haec fuere, quae* Fr. Dion. Camuſatus *diligenter conduxerat ad Diodorum nitidiore cultu exornandum. Addiderat & libri ſui orae adnotationes, ſed raras*

1 Bibl. Coislin. p. 213, 218. 2 Montfauc. Palaeogr. Gr. L. I, 8.

nec magni admodum momenti, ſuis tamen locis memoratas; quibus an plura congeſſerit, ut venditatum ſaepius non ſine quadam iactatione opus abſolveret, an conturbatis eius rebus perierint, affirmare non poſſum: ad clariſſimum certe Iac. Ph. d'Orvillium nihil horum perveniſſe, liquido cognovi. Sed cetera perſequamur. Chriſtianiſſimi Galliarum regis bibliotheca auxilium, quod prolixe praeſtare poterat, non recuſavit. Habet praeter eum, de quo ſuperius memini, unum, cui priores libri V adſunt, alium, in quo undecimus & ſequentes quatuor, tertium eoſdem complexum & XVI, cum ſeptimo decimo, quartum denique, cuius paginis conſignati ſunt quinque poſtremi. Primus numerum MMLXII praeferens, & quartus, quem LXI ſupra bis milleſimum numerant, eodem chirographo, ſed recenti & indocto deſcriptus, minime malus eſt, fideli ex exemplo exceptus: ſecundus, cui nota MMIↃXXXIX imponitur, ſeculi XV aetatem non ſuperat, olim Auguſtini Cardinalis Trivultii; tertius, ſignatus indice MMLX, in fronte & calce haec oſtentat, κτῆμα Ἀντωνίου τοῦ Ἐπάρχου, ὃ δέδωκεν εἰς σημεῖον εὐχαριστίας τῷ κραταιῷ βασιλεῖ Κελτῶν, τῷ ἐπιφανεστάτῳ Φραγκίσκῳ· quibus deinde adpingitur, an Sophiani manu? Sic foret medio ſeculo XVI, quo Michaël Sophianus vixit, exaratus. Sed quid ſi Antonius ipſe ſcriba fuerit, quo officio in inſula Corcyra ſaepe functum fuiſſe eadem Sophiani aetate, clariſſime [1] apparet? Utcunque id fuerit, neque enim magni ea res momenti eſt, conferendorum eorum laborem in ſe humaniſſime ſuſcepit doctiſſimus de la Barre, & dextre abſolvit. Itali, quorum literariae copiae in laude verſantur, nobis haud minus faverunt. Vaticanum CXXX, ante hos ſexcentos annos in charta Pergamena ſcriptum, & docta Britanni manu enotatum, ad quinque priores libros adhibui, cui & alii opportuniſſime acceſſerunt. Nam cum ſedulo perquirerem, ecqua via ad hiatus, quibus Diodorei quidam libri diſſociantur, explendos inveniri, atque utrum deperditorum aliquid e latebris poſſet erui, benevole ſuccurrit vir longe nobiliſſimus Ph. Maria Monti, nuper admodum eminentiſſimo E. R. Cardinalium collegio adſcriptus: huic debeo & eruditiſſimi Ioſeph. Simon. Aſſemani promtiſſimae curae partem excerptorum ex Codice quingentorum ferme annorum bombycino, librum primum & quatuor inſecutos continente: accepta etiam refero, quae ex ſchedis ante hos trecentos annos deproperatis, ad libros XI, XII, XIII, XIV, XV, & ex aliis, eiuſdem vetuſtatis, ad poſtremos

1 Vid. Montfauc. Palaeograph. Graec. p. 82, 90, 95.

quinque illuſtrandos admovi: ne nunc memorem de fragmentis, & nobili eo, quod H. Stephanus incerto ſcriptori inter Polemonis & Himerii reliquias attribuerat. Pergo Venetias, unde provida doctiſſimi Abbatis Blaſii Caryophili cura impetravi & ex bibliotheca quidem Divi Marci collationes, uti vocant, decadis ultimae ex membranis, antiqua manu quinque priores eius, de quo dixi, corporis libros repraeſentantibus, reliquas ex ſchedis paulo magis novitiis, ex tabulariis vero monaſterii Dominicanorum S. Ioannis & Paulli, quae primos Bibliothecae quinque libros iuvare potuerunt; qui quidem Codex nuperus eſt, ſeculo XV [1] a Caeſare Stratego exaratus. Conferendi moleſtiam ſubiit homo Graecus, neque is abſurdus. Quam operam Florentiae ultro in ſe ſuſceperat clariſſimus A. Cocchius, miſſo luculento ſpecimine ex veterrimis membranis, integerrime emendateque ſcriptis, additaque ceterarum, in Medicea bibliotheca ſuperſtitum, deſcriptione: quarum tamen uſura, quia ſpiſſum & bibliopolae damnoſum videbatur negotium, frui non licuit. Id ſatis animadverti, in pleriſque eas cum Claromontanis amice conſentire. En iambos, non elegantes ſane, ſed ne pereant, quos amanuenſis L. I, 2, p. 5, ubi περὶ τῆς ἐν ᾅδου μυθολογίας, adſcripſerat:

Ἕλλην σέβας σὺ Διόδωρε τυγχάνων,
Φάσκεις ἐν ᾅδου μυθικὰς εἶναι δίκας.
Νῦν δ' οὐ μυθικὰς ἀλλ' ἀληθεῖς τυγχάνειν
Πείρῃ διδάσκῃ καὶ νοεῖν σε καὶ λέγειν.

Didici quoque, iiſdem lacunis ſchedas, quae X ultimos libros habent, eſſe foedatas, quibus editi. Itaque iactura iſta, ſi eo nomine appellare velis, ferri utcunque debuit. Aegrius deſiderium eius libri tuli, quem optimae notae in bibliotheca monaſterii S. Ioannis de Carbonaria apud Neapolitanos cuſtodiri acceperam. Monachi, ex Auguſtinianorum familia, per amicos interrogati, fuiſſe ſibi olim volumen Bibliothecae Diodori, in libros XL deſcriptae, nuper vero Vindobonam in auguſtam Imp. Caroli VI bibliothecam illatum, affirmarunt: ad quem nuntium non diffiteor haud vulgarem laetitiam mihi & ſpem de libris amiſſis fuiſſe ſubnatam; quae ubi omnia examino, & Montfauconii, a quo liber [2] inſpectus erat, ſilentium, brevi diminuta vehementer eſt, nec exſtincta tamen. Ad generoſum & in tanto faſtigio literarum amantem Comitem Uhlefeldium, tum Caroli VI Germanorum Imp. Aug. ad Belgarum rempublicam legatum, adeo: impetro Codicis delineationem, primos V libros dumtaxat com-

1 Vid. eundem Diar. Ital. p. 48, & Palaeogr. Graec. p. 82.

2 Diar. Italic. cap. 21, p. 310.

plexi, & excerpta pauca, manu egregii viri Nic. Garellii *deſcripta: additur ex Auguſtiſſimi Caeſaris mandato ſpes amplior; quae Illuſtriſſimo Comite hinc Conſtantinopolim profecto, mortuo non multo poſt bibliothecae praefecto, ipſoque Imperatore, maximo univerſae Germaniae intertrimento, e vivis erepto, plane decolavit, quod equidem dolui vehementer. Codex omnium eſt optimus & antiquiſſimus, ſeculi octavi aut IX, ſi docti Vindobonenſes non fallunt; nam* Montfauconii *aliam eſſe ſententiam bene memini, inſcriptus membranis, quas* Ianus Parrhaſius *Cardinali Seripando legaverat, is coenobio S. Ioannis, de quo ſupra. Haec de libris manu ſcriptis. Primus omnium* Vincentius Opſopoeus *quinque ultimos, ut nunc dicere cogimur, libros, a* Iano Pannonio, *Quinqueccleſienſi in Hungaria praeſule, ab interitu vindicatos, ſecum vero ab eruditiſſimo viro* Io. Alex. Braſſicano *communicatos, Baſileae anno aerae vulgaris* CIↃIↃXXXIX *Graece publicavit, non illos quidem emendatiſſimos, variis tamen locis meliores illis editionibus, quae cultiſſimae ſunt habitae. Libros quinque priores & undecimum cum proximis quatuor, recentatoſque quos* Opſopoeus *dederat, bibliopolarum ſollertiſſimo* Henr. Stephano *debemus, luculenter Pariſiis* CIↃIↃLIX *proditos. Sumſit eos vir longe doctiſſimus ex MSS. Claromontanis, non optimis utique, haud neglectis tamen, quod mihi clariſſimum in modum apparuit, aliis, quos inter an & Uldrici Fuggeri, cui ſuam ἔκδοσιν inſcripſit, liber fuerit manu exaratus, ſicuti memoratum video a celeb.* Io. Alb. Fabricio [1], *dicere non poſſum. Annotationes addidit* Stephanus, *ſed feſtinato, ut ſaepe indicavit, deproperatas; quo minus miror relicta plura eſſe, quae per amplius otium elui ab eo facillime potuerant. Vulgavit deinde, ſed ignarus Diodori eſſe, illuſtre fragmentum de Cleonnide & Ariſtomene inter Polemonis & Himerii declamationes* CIↃIↃLXVII *eadem in urbe: nec multo poſt* Fulvii Urſini *opera Antwerpiae ex officina Chriſtoph. Plantini anno* LXXXII *Eclogae Legationum, ex Diodori Bibliotheca hauſtae, prodierunt. Dedit alias* David Hoeſchelius, *ſequentis ſeculi principio Auguſtae Vindelicorum, librorum* XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, *ex Codice* Ludovici Alemani *Florentini a doctiſſimo R. Thompſon Britanno exſcriptas, ſed mire* [2] *vitioſas: ad quae vitia eradicanda bene faciunt Scholia, quae, Hoeſcheliine an Rhodomani fuerint, in dubio fui. Leguntur in Hoeſchelianis Legationum Eclogis, nullo, ſintne ipſius*

1 Biblioth. Graec. Lib. III, 31.

2 Vid. Syllog. Epiſtol. *P. Burmanni* T. II, p. 354.

an alterius, indicio addito; L. Rhodomanus *repetitis vicibus ſibi tribuit: neque ſane, quod ſerius animadverti, iniuria: ſcribit enim eodem, quo Eclogae lucem viderunt, anno* CIϽIϽCIII *Gothofredo Iungermano* D. Hoeſchelius: de locis in Longino 1 ſuſpectis dominum Rhodomanum ſuaſerim conſulas, quem habes vicinum, qui ſuam mihi ἀγχίνοιαν καὶ εὐστοχίαν probavit in libro πρεβειῶν πέρι· quod conſtabit, cum notas edidero, nunc enim textus, quem vocant, impreſſus eſt modo. *Relinquantur ergo, uti aequum eſt,* L. Rhodomano; *qui proximo anno, quarto ſupra milleſimum &* IϽC *omnia Diodori, exceptis, incertum qua de cauſa, Legationum Eclogis* F. Urſini, *Graece & Latine Hanoviae publicavit, adſtruxitque ea, quae Photius olim in μυριόβιβλον ſuam addiderat. Qua opera uti eximie de re literaria meritus eſt, ita dolendum maxime, nullum illi aliud fuiſſe exemplum praeter editum* H. Stephani, *quod in conſilium, occurrentibus frequenter dubiis mendoſiſque locis, mittere potuerit. Atque haec poſtrema Diodori Siculi ἔκδοσις, cuius egregia acceſſio meritiſſimo cenſetur, quam poſt triginta annos Lutetiae Pariſiorum vir multae eruditionis & iudicii* Henricus Valeſius, *miſſis in publicum pluribus Diodori de virtutibus & vitiis fragmentis, fecit. Satis de Graecis. Latinam verſionem primus adornare inſtituit* Poggius Bracciolinus, *abſolutoſque quinque libros, ſed imperite in* VI *divulſos, nec fideliter expreſſos, ſummo literarum patrono & vindici praecipuo, Nicolao* V *Pontifici obtulit. Non me fugit, hanc gloriam Poggio auferre doctos e Britannia viros conatos fuiſſe,* Brian. Twynum 2, Burtonum 3 *atque alios: quin* Vincentium Opſopoeum *ſua in praefatione ſcripſiſſe:* quorum (quinque librorum) verſio meo quidem iudicio Poggio non recte adſcribitur: neque enim veriſimile eſt, adeo ſpurciloquum & virulentum ſycophantam & vitilitigatorem quidquam Graecitatis calluiſſe, qui ne Latinam quidem linguam, cuius ſibi videbatur eſſe peritiſſimus, recte calluit. *Sed ea, ut ſedulo dicam, nimia ſunt. Fuerit maledicus rabula, obſcoenus ſpurcuſque Poggius, propereane Diodori verſione abſtinere debuit, quem conſtat Xenophontis & Luciani* 4 *nonnulla Latine dediſſe? Twynus & Burtonus* Io. Phreae, *docto eiuſdem fere aetatis viro, Balliolenſiſque collegii ſocio, ver-*

1 In Epiſt. Hotomanorum *Meelii* p. 455.

2 Antiquit. Acad. Oxon. L. III, p. 371.

3 Hiſt. Ling. Gr. p. 55.

4 Io. Bapt. Recanatus Vit. Poggii cap. XI.

ſionem aſſerunt, cauſamque habent ex vetere verſionis eius exemplari, cui recentior manus adſcripſit: Paullus propter translationem ſibi dedicatam Phream epiſcopatu Badoniae donaverat, quem cum accepiſſet, ſupervixit menſem unum & obiit Romae, nondum conſecratus. *Adiungit* [1] Ant. Wood, *unde ea ſumta ſunt, initium Codicis eodem chirographo eſſe:* Epiſtola ad D. Papam Paullum de ſex libris Diodori Siculi fabulando more gentilium: *tum*, Nullus antea quantumvis praeclarus rerum ſcriptor fuit, ſanctiſſime pater *&c. quae quidem verba praefationem ordiuntur, qua Poggius Nicolao V ſua conſecravit. At rectiſſime vir eruditus iſtis nihil admodum tribuit nec fidit. Certum enim eſt, Diodorum Latino ſermone verti coeptum eſſe Pontifice Nicolao V, cuius rei teſtem fero* Mangetum [2], *luculentum vitae eius praeſulis ſcriptorem, & vetuſtas ſchedas Mediceae bibliothecae, verſionem iſti Papae inſcribentes. Addere poſſem* Iovium *pluresque alios; ſed vide ipſam dedicationem, quae Nicolai V, in literas doctosque omnes propenſiſſimi, indolem ita ſignat, ut fruſtra alium, cui conveniat, quaeras. Et credemus*, Io. Phream, *honeſtum virum, ſibi paucis poſt annis tribuere alterius opus, atque eo Paulli II favorem colligere potuiſſe? Nihil profecto aut inſulſius aut furacius, cum redargui poſſet facillime, quorum utrumque ab eius ingenio alienum perhibent, ſuſcipi potuerat. Ne memorem, verſionis auctorem eiuſdem Pontificis hortatu Xenophontem de Cyri vita Latinis tradidiſſe legendum, quem Poggii eſſe laborem, confeſſa res eſt: adiunge ſaltem, non iſta Diodori, ſed Syneſii de laude calvitii verſione, Io. Phream amicitiam & patrocinium Paulli II ſibi paraſſe. Plura, quae defendendo Poggio* Io. Bapt. Recanatus *atque in Italia* [3] *alii erudite conduxerunt, praetereo. Sequentes libri XI, XII, XIII, XIV, a quo Latina veſte ſint induti, in ambiguo eſt. Incertum atque ignotum editores Baſileenſes, liberiuſque & maiore ſententiarum copia, quod veriſſimum, delectatum eſſe, admonent. Ego vero, hanc operam prima iuventute Aeneam Sylvium ſubiiſſe, ex literis doctiſſimi* Ant. Cocchii *edoctus ſum: huic certe ſchedae Florentinae licentiorem & uberiorem iſtam verſionem contribuunt. Quintum decimum convertit* Marcus Hopperus, *domo Baſileenſis; XVI & XVII* Angelus, *ſive* Bartholomaeus, *uti ab aliis vocatur,* Coſpus, *Bo-*

1 Hiſt. Univerſ. Oxon. L. II, p. 76.

2 Vid. Muratorii Script. Ital. T. III, part. II, pag. 927.

3 Giorn. de Letter. Tom. IX, p. 147 & 454.

nonienſis, ex nobili fortaſſe Coſpianorum gente, qua de ſaepius Caeſ. Malvaſia [1]; *tres ultimos, duodeviceſimum, undeviceſimum & xx*, Sebaſtianus Caſtellio, *vir in his literis non obſcuri nominis. Non me quidem fugit*, Andreae Dudithio *Latinam eorum librorum interpretationem ab* Ant. Theiſſerio [2] *adſcribi; neque ignoro, ad eam curam impulſum eſſe a* Paullo Manutio [3]: *ſed intra propoſitum hunc Dudithii conatum ſtetiſſe, opinor; neque enim alius eſt, quod quidem recordor, qui de verſione ea memorarit*, & Quirinus Reuterus [4], *quo ille teſte utitur, tres poſtremos Diodori libros And. Dudithium interpretari coepiſſe, non cum publico communicaſſe, tradidit. Ut ut eſt, iſtas diverſorum interpretum verſiones, ad Graecum exemplum diligentius examinatas, rarae eruditionis & pietatis Theologus* Io. Iac. Grynaeus *Baſileae anno* CIↃIↃLXXVIII *recentavit. Quorum quidem omnium gloriam paucis poſt annis paene obliteravit* Laurentius Rhodomanus, *tenui loco* [5] *Saxowerſiae, qui frequens Hohnſteinicae ditionis in Stolbergenſi Comitatu pagus, editus. Paraverat ſibi vir elegantis ingenii & Graecis carminibus* [6], *quo genere praeter ceteros excellebat, & verſo in Latinum ſermonem Memnone & Agatharchide, magnam nominis famam.* Henr. Stephanus, *probato eo ſpecimine, virum erigit atque expugnat, ut Diodori omnia ſuo Marte vertat & Latinitate donet ſub finem ſeculi* XVI. *Addunt viri eruditionis laude praeclari* Ioſ. Scaliger, D. Chytraeus, Io. Caſelius, *atque alii, quos in praefatione recenſet, calcar: quorum ſtimulis magis excitatus abſolutum opus Hanoviae, ut ante dixi, ſub principium ſeculi ſuperioris publicavit, laudemque haud mali interpretis abſtulit. Memini, nonnulla eius acerbius peregrinitatis fuiſſe accuſata, alia ſubinde aliis diſplicuiſſe: qui ſi vires in eo genere periclitari voluiſſent, fortaſſe & eos offendiſſent, qui nihil rectum putant, niſi quod ipſi fecerint. Ad Diodorum venio, cuius vitam, ingenii habitum, ſingularemque induſtriam non attingam: ſatis omnibus facere poſſunt* H. Stephani *diatribe de Diodoro eiuſque ſcriptis*, Io. Iac. Grynaei & L. Rhodomani *Praefationes, quas integras poſt pauca videbis. Neque moror accuſationum & calumniarum tela, a* Lud. Vive & Io. Bodino *in Diodorum ſtricta*,

1 Marmor. Felſin. ſect. II, cap. Unic. p. 49, & p. 365, 516.

2 Elog. des hommes Savans T. IV, p. 42.

3 Epiſtol. L. IV, 17, p. 229.

4 Andr. Dudithii vit. p. 13.

5 Car. Hen. Langius Commentar. de vita Rhodomani cap. I.

6 Vid. eundem Clar. virum cap. II, & Georg. Lizelium Hiſt. Poët. Graec. German. p. 145.

quod illa iidem doctiſſimi viri & eruditionis gloria haud minor Ger. Io. Voſſius [1] & Degor. Whear [2] *egregie retuderint. Habet Diodorus ſuos naevos, quibus nec alii immunes: nam quis veterum aut recentiorum ἀπταίστως in tanta rerum & copia & varietate perſeveravit prorſus? Ego ubi aequiſſimum iſtud Flacci accinero,*

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura,

de amiſſis libris nonnihil interponam. Deſideramus ex vaſto XL *voluminum opere libros plures, eos praeſertim, qui inter* V *&* XI *erant interiecti.* Nam illi omnem vetuſtatis memoriam, *ut veriſſime Ill.* Scaliger *in quadam ad* Rhodomanum *epiſtola* 3, Aſſyriorum, Chaldaeorum, Phoenicum, & aliarum nationum complectebantur: quarum rerum cognitio magnam ſacrorum Bibliorum originibus facem allucebat. De quibus omnibus nihil nobis praeter deſiderium ſupereſt. *Dolemus etiam earum rerum defectum, quarum interitum lacunae L.* XVI *&* XVII *deſignant. Studium ſane quam diligens, ut, ubi ubi membranae, unde ea ſarciri poſſent, laterent, ex forulis eruerentur, non defuit: ſed perdita opera eſt. Quae quidem res facit, ut haud iniuſta ſit ſuſpicio, omnes, quarum variis Europae e locis indicium mihi factum eſt, ex unis ſchedis fuiſſe propagatas, laceris certe. De reliquis libris, qui* XX *ſequebantur, quid multa? Eclogae Photii, Urſini, Hoeſchelii & Valeſii tale eorum deſiderium incuſſerunt, quod fortaſſe nunquam lenietur. Non me quidem latet,* H. Stephanum *audiviſſe ex* Bayſio, *totos* XL *Diodori libros ſua aetate in Sicilia viſos; ſcripſiſſe quoque* Con. Geſnerum 4, *eos, qui quintum excipiunt uſque ad decimum, in Sicilia aſſervari, addidiſſeque* Ioſ. Simlerum, *quinque iſtos apud Cardinalem S. Crucis Romae & Auguſtae Vindelicorum penes Io. Iac. Fuggerum haerere; vano rumore & ad* Laz. Bayſium *allato, ſeu quod membranis* XL *librorum numerus, quae & errandi cauſa monachis Neapolitanis, de quibus ſupra, fuerit impoſitus, ſive quod ea in inſula profeſſus olim fuerit* Conſtantinus Laſcaris 5, *ſe omnes Diodori libros in bibliotheca Imp. Conſtantinopolitani oculis uſurpaſſe.*

1 De Hiſtor. Graec. L. II, 2.
2 Method. Legend. Hiſtor. Sect. VII, p. 31.
3 Epiſt. L. IV, Ep. 401.
4 Biblioth. Univerſ. p. 207. Epitom. Biblioth. p. 43.
5 De Script. Graec. patria Siculis in Fabricii Bibl. Graec. T. XIV, p. 29.

Nihil quidem certe poſt tot evolutos annos, omnibus tabulariis tanta ſedulitate excuſſis, de voluminibus iſtis innotuit, ut metus haud iniuſtus, ne perpetuo illis carere debeamus, perennet. Sed male ominari nolo. Exponam potius, quam rationem de nova Diodori editione curanda inierim. Retinui omnia, quae H. Stephanus *&* L. Rhodomanus *ex Diodoreis cum publico communicarant, quibus, uti oportebat, Excerpta, ab* Urſino *&* Valeſio *in lucem prodita, adſtruxi, fragmentaque hinc & inde a me conquiſita: in quae ſi additum unum atque alterum cenſueris, quod alii Diodoro debeatur, ſtudium excuſabis; malui in hanc partem peccare quam negligens videri. De Graeca oratione ſi roges? non diffitebor, plura me mutaſſe, nec omnia tamen, quae fortaſſe fas fuerat. Secutus ſum ſcriptorum Codicum auctoritatem, &, quod illi proſcribebant, damnandum iudicavi; coniecturis rarius, nec niſi in manifeſto pravis & momenti levioris, locum indulſi. Ante quidem pulchre meditatus eram, temerarium hoc atque audacius viſum iri. Sed quid facerem quaeſo? Proiiceremne gazas, tanto ſtudio, totque impenſis undique conductas & arceſſitas, negligenter, ut factum nonnunquam animadverti, in publicum? Ego ſemper amavi patrem familias, qui munditiarum ſtudioſus ſupellectile recte & eleganter utitur.* H. Stephanus *paucos, nec optimos utique, uſurpavit Codices: mihi uberior fuit copia, & multo, quod praefiſcine dixerim, meliorum. Et quod illi iure quodam licitum fuit, id alteri vitio vertetur, praeſertim in ſcriptore, tot locis corrupto & amanuenſium intempeſtivis explicationibus turpiter foedo?*

Ὅτῳ δὲ μὴ τάδ' ἔστιν ἐν γνώμῃ φίλα,
Κεῖνός τ' ἐκεῖνα στεργέτω, κἀγὼ τάδε.

Equidem nihil hic inſolens, neque praeſtantiſſimorum exemplo non munitum, molitus ſum. Quae Diodori ex ſchedarum veterum iudicio non putavi, locum illis in variantibus, quae dicuntur, lectionibus reliqui: cauſas, cur alia maluerim, adſcripſi. Latina Rhodomani, *etſi haud ſatis ubique arriderent, non reieci, mutatis tamen, ubi Graeca dari poterant meliora, nonnullis. Annotationes doctorum virorum, quas quidem noveram, neglectae nuſquam ſunt. Acceſſerunt ineditae* Ioſephi Scaligeri, Iſ. Voſſii, Cl. Salmaſii & F. Urſini *coniecturae: quarum Salmaſianas in Excerpta Valeſii ex edito, quem mihi humaniſſime obtulit vir doctus* Io. Godofr. Richter, *exſcripſi, Urſini Romae ultro tranſmiſſae ſunt, ſed ſerius, unde nullus illis niſi inter Addenda locus eſſe potuit: quod ipſum cenſeto de commentatione Ampliſſimi* de Iordan, *Chronologiam Diodori docte illuſtrante,*

quam, ſicuti ad me ex Boiohemia allegata eſt, operae expreſſerunt. Legentium porro commodo in ſectiones ſive capita, exemplo Latinae editionis Rhodomanianae, libros diviſi, & ne operam in quaerendo fruſtrarentur, quibus aut Stephani aut Rhodomani ἔκδοσις *familiarior fuerat, utriuſque paginas margini adpingi iuſſi; Stephanicae ad oram exteriorem, in interiore Rhodomanianae. Quod ſupereſt, maximas, ſicuti aequum eſt, ago habeoque gratias omnibus, quorum auxilio Codicum excerpta & alia, quae huic editioini dignitatem conciliant, impetravi: rogo quoque vehementer, ne mihi imputentur, quae operae me invito & abſente deliquerunt. Impenſum quidem diligens ſtudium eſt, ut mendae vitarentur: ſed extra hanc urbem cum res perageretur, & ſemel atque iterum adverſa valetudine, eaque diuturniore, ipſe conflictarer, deprehenſa nonnulla ſunt, in tonis praeſertim, quae minime placent, quorum ſyllabus in calce conſpicitur. Cetera tu, Lector benevole, corriges, & quae, ut de re literaria pro virili bene mererer, Diodoro adſcripſi, aequi bonique conſules. Vale.*

ΔΙΟΔΩΡΟΥ

ΤΟΥ ΣΙΚΕΛΙΩΤΟΥ

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΚΗΣ

ΒΙΒΛΟΣ ΠΡΩΤΗ

ΤΑΔΕ [1] ΕΝΕΣΤΙΝ
ΕΝ ΤΗ ΠΡΩΤΗ
ΤΩΝ ΔΙΟΔΩΡΟΥ ΒΙΒΛΩΝ.

Προοιμιον *τῆς ὅλης πραγματείας.*

Περὶ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις λεγομένων περὶ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως.

Περὶ τῶν θεῶν ὅσοι πόλεις ἔκτισαν κατ' Αἴγυπτον.

VARIAE LECTIONES.

1 Ἔλεγχος τῆς πρώτης βίβλου, ἐν ᾗ κεφαλαιωδῶς συμπεριλαμβάνεται τὰ κατ' Αἴγυπτον ἀρχαιολογούμενα. Περὶ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως καὶ τῆς τῶν ὅλων ἐξ ἀρχῆς συστάσεως. Περὶ τῆς πρώτης τῶν ἀνθρώπων γενέσεως καὶ παλαιοτάτου βίου. Ὡς Αἰγύπτιοι ἐξιδιάζονται τὴν τοῦ γένους ἀρχαιότητα. Περὶ τῶν Θεῶν οὐρανίων καὶ γένεσιν ἀΐδιον ἐσχηκότων. Περὶ θεῶν ἐπιγείων ἤτοι ἡρώων, ὧν ἔνιοι καὶ βασιλεῖς Αἰγύπτου γεγόνασι. Περὶ γενέσεως Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος, καὶ ὡς εὑρεταὶ τοῦ πυρίνου καὶ κριθίνου καρποῦ ἐγένοντο. Ναῶν χρυσῶν κατασκευὴ ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ὄσιριν. Πόθεν ἔσχε τὴν τοῦ Διονύσου προσηγορίαν ὁ Ὄσιρις. Ὡς εὑρετὴς ἐγένετο τῆς ἀμπέλου καὶ ἐστρατεύσατο ἐφ' ἅπασαν οἰκουμένην ὁ Ὄσιρις. Ὀσίριδος καὶ Ἴσιδος τελευτὴ καὶ ταφὴ, καὶ ὡς ὁ Ἄπις καὶ ὁ Μέμφις (Μνεῦϊς) τῷ Ὀσίριδι καθιερώθησαν. Διά τι παρ' Ἕλλησιν ἐν ταῖς Διονυσιακαῖς τε-

HAEC IN PRIMO
DIODORI LIBRO
CONTINENTUR.

P*RAEFATIO in totum opus.*

De mundi ortu quid Aegyptii tradant.

De Diis, a quibus urbes in Aegypto conditae.

Περὶ τῶν πρώτων γενομένων ἀνθρώπων, καὶ τοῦ παλαιοτάτου βίου.

Περὶ τῆς τῶν ἀθανάτων τιμῆς, καὶ τῆς τῶν ναῶν κατασκευῆς.

Περὶ τῆς τοποθεσίας τῆς κατ᾽ Αἴγυπτον χώρας, καὶ τῶν περὶ τὸν Νεῖλον ποταμὸν παραδοξολογουμένων, τῆς τε τούτου πληρώσεως τὰς αἰτίας. καὶ τῶν ἱστορικῶν καὶ φιλοσόφων ἀποφάσεις.

Περὶ τῶν πρώτων γενομένων κατ᾽ Αἴγυπτον βασιλέων, καὶ τῶν κατὰ μέρος αὐτῶν πράξεων.

Περὶ κατασκευῶν τῶν πυραμίδων, τῶν ἀναγραφομένων ἐν τοῖς ἑπτὰ θαυμαζομένοις ἔργοις.

λεταῖς ὁ φαλλὸς ἠξιώθη τιμῆς. Ὡς σχεδιάζουσιν οἱ λέγοντες τὸν Διόνυσον ἐκ Σεμέλης καὶ Διὸς ἐν Θήβαις τῆς Βοιωτίας γεγονέναι. Ὡς Ἡρακλῆς καὶ Πρεσβεὺς (Περσεὺς) τὸ γένος Αἰγύπτιοι. Ὡς εὑρέτις τοῦ τῆς ἀθανασίας φαρμάκου ἡ Ἶσις ἐγένετο καὶ Ἀπόλλων ὁ Ὧρός ἐστι μεθερμηνευόμενος. Χρόνων συγκεφαλαίωσις ἀπὸ τῆς ἡλίου βασιλείας μεχρὶ τῆς Ἀλεξάνδρου διαβάσεως εἰς τὴν Ἀσίαν. Περὶ τῆς τῶν γιγάντων γενέσεως καὶ διά τι παρ᾽ Αἰγυπτίοις νενομοτέθηται γαμεῖν ἀδελφάς. Ἀποικίαι Αἰγυπτίων ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης. Τοποθεσία τῆς κατ᾽ Αἴγυπτον χώρας. Ἀπαγγελία τῶν κατὰ τὸν Νεῖλον ποταμὸν παραδοξολογουμένων. Αἰτίαι τῆς τοῦ Νείλου πληρώσεως καὶ ἀποφάσεις ἱστορικῶν τε καὶ φιλοσόφων καὶ πρὸς ἑκάστην τούτων ἀντιῤῥήσεις τοῦ συγγραφέως. Coisl.

De primis in orbe natis hominibus, & vita antiquiſſima.

De Divûm honore immortalium & templorum adornatione.

De terrae Aegyptiacae ſitu, & quae de Nilo mira narrantur. Incrementorum praeterea cauſas, & hiſtoricorum philoſophorumque (de his) ſententias exponit.

De primis Aegypti regibus, & ſingulorum actis.

De pyramidum ſtructuris, quae inter VII orbis miracula recenſentur.

Περὶ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαστηρίων.

Περὶ τῶν ἀφιερωμένων ζώων παρ' Αἰγυπτίοις.

Περὶ τῶν νομίμων τῶν περὶ τοὺς τετελευτηκότας παρ' Αἰγυπτίοις γενομένων.

Περὶ τῶν Ἑλλήνων ὅσοι τῶν ἐπὶ παιδείᾳ θαυμαζομένων παραβαλόντες εἰς Αἴγυπτον, καὶ πολλὰ τῶν χρησίμων μαθόντες, μετήνεγκαν εἰς τὴν Ἑλλάδα.

De legibus & iudiciis.

De conſecratis Aegyptiorum beſtiis.

De ritibus, quos Aegyptii circa mortuos obſervant.

De Graecis, qui doctrina celebres in Aegyptum profecti, utiles inde diſciplinas in Graeciam tranſtulerunt.

ΔΙΟΔΩΡΟΥ

ΤΟΥ ΣΙΚΕΛΙΩΤΟΥ

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΣ [1] ΙΣΤΟΡΙΚΗΣ

ΒΙΒΛΟΣ ΠΡΩΤΗ.

Τοις τὰς κοινὰς ἱστορίας πραγματευσαμένοις μεγάλας χάριτας ἀπονέμειν δίκαιον πάντας [2] ἀνθρώπους, ὅτι τοῖς ἰδίοις πόνοις ὠφελῆσαι τὸν κοινὸν βίον ἐφιλοτιμήθησαν. ἀκίνδυνον γὰρ διδασκαλίαν τοῦ

Prooemium operis. Hiſtoriae momentum ad vitam humanam.

VARIAE LECTIONES.

1 Ἱστορικῆς πρώτη Coisl. Διοδώρου Συκελιώτου ἱστοριῶν α′ Vatic. 2.

2 Ἀνθρώπων Coisl. Mutin. Reg.

DIODORI SICULI

BIBLIOTHECAE HISTORICAE

LIBER PRIMUS.

Auctoribus, qui univerſales hiſtorias contexuerunt, magnam cuncti mortales ut gratiam referant, par eſt; quod ſuis laboribus communis vitae ſocietatem iuvare honeſtiſſima contentione ſtuduere. Cum enim

Prudentiam impertit periculorum expertem.

συμφέροντος [1] εἰσηγησάμενοι καλλίστην ἐμπειρίαν διὰ τῆς πραγματείας ταύτης περιποιοῦσι τοῖς ἀναγινώσκουσιν. ἡ μὲν γὰρ ἐκ τῆς πείρας ἑκάστου μάθησις μετὰ πολλῶν πόνων καὶ κινδύνων ποιεῖ τῶν χρησίμων [2] ἕκαστα διαγινώσκειν· [3] (καὶ διὰ τοῦτο τῶν ἡρώων ὁ πολυπειρότατος μετὰ μεγάλων ἀτυχημάτων, πολλῶν ἀνθρώπων [4] ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.) ἡ δὲ διὰ τῆς ἱστορίας περιγινομένη σύνεσις τῶν ἀλλοτρίων [5] ἀποτευγμάτων τε καὶ κατορθωμάτων, ἀπείρατον κακῶν [6] ἔχει διδασκαλίαν. ἔπειτα πάντας ἀνθρώπους, μετέχοντας μὲν τῆς πρὸς ἀλλήλους συγγενείας, τόποις δὲ καὶ χρόνοις διεστηκότας, ἐφιλοτιμήθησαν ὑπὸ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἀγαγεῖν,

Generis humani oeconomiam & communem rationem manifeſtam facit.

1 Ἡγησάμενοι Coisl. R.
2 Ἕκαστα deeſt Clarom. 1.
3 Καὶ γὰρ ἐκ τούτου τῶν Co. M. R.
4 Ἴδεν non eſt in Co. εἶδεν uterque Clar.
5 Ἀποταγμάτων Clar. 2. Venet. & paulo ante περιγενομένη, ſicuti & in Vat. 2.
6 Ἔχειν τὴν Co. M. τὴν addunt etiam Vat. 1. Cl. 1. & R.

docendi, quid expediat, genus periculis haud obnoxium introduxerint, pulcherrimam hac tractationis ſuae opera lectoribus peritiam conciliant. Nam in uniuſcuiuſque experientia verſans diſcendi ratio, id quidem efficit, ut multis cum laboribus & periculis quae conducant ſingula dignoſcas: (ideoque Heroum experientiſſimus, inter multos adverſae fortunae caſus, multorum mentes hominum cognovit & urbes.) At comparata hiſtoriae beneficio prudentia, aliorum perperam recteque facta intelligens, vacuam a malorum experimentis doctrinam habet. Praeterea homines univerſos, mutua quidem cognatione inter ſe devinctos, ſed locorum & temporum intervallis diſtantes, ad unius communitatem ordinis ut redigerent, enixe operam dederunt; ac ſi divi-

Pag. 16. *l.* 2. Καὶ δυσέφικτος) Hoc otioſum eſt gloſſema, quo aliquis τὸ δυσκατάληπτος explanare voluit. Quod autem ſtatim attexitur τῶν πεπραγμένων rectius legi arbitror, quam marginale πεπραγματευμένων. Rhod. Δυσκατάληπτος γίνεται τελείως ἡ τῶν) Aſſentior viro doctiſſimo. Heſychius δυσέφικτον interpretatur δυσκατάληπτον, & alterum alterius eſſe gloſſam oſtendit. Plutarchus T. II, p. 65 E. δυσπρόσοδα καὶ δυσέφικτα connectit, quae noſtris paria non ſunt. Wess.

ead. l. 4. Τὸ τῶν πράξεων εἰρόμενον ἔχουσα) Prudenter Dionyſ. T. II, p. 140: Χρὴ δὲ τὴν ἱστορικὴν πραγματείαν εἰρομένην καὶ ἀπερίσπαστον εἶναι, ἄλλως τε ἐπειδὰν περὶ πολλῶν γίνηται πραγμάτων καὶ δυσκαταμαθήτων. Nam res imperfectae, quarum finis cum principiis non cohaeret, cupidam ſtudioſi lectoris intentionem interrumpunt. Αἱ μὲν γὰρ ἡμιτελεῖς πράξεις, οὐκ ἔχουσαι συνεχὲς ταῖς ἀρχαῖς τὸ πέρας, μεσολαβοῦσι τὴν ἐπιθυμίαν τῶν φιλαναγνωστούντων, Diodor. XVI, 1. Wess.

ead. l. 8. Τὸ συνεχὲς τοῦ διηρημένου) Nihil indigemus ſcriptura marginis Coiſl. & Clar. 2. tametſi eleganter Polybius III, 57: οὐ διερριμμένην οὐδ' ἐν παρέργῳ ποιήσασθαι τὴν περὶ αὐτῶν μνήμην· & cap. ſeq. ῥητέον δέ τι πρὸς

αὐτοὺς οὐκ ἐκ παρέργου καὶ διεῤῥιμμένως. Quod diviſum & in partes ſectum eſt, id *τὸ διηρημένον*, ut c. 2. WESS.

Pag. 17. *l.* 3. Αὐτόπται γεννηθῶμεν) Eodem ſtudio incenſus Theopompus, *πολλῶν μὲν αὐτόπτης γεγενημένος, πολλοῖς δὲ εἰς ὁμιλίαν ἐλθὼν ἀνδράσι τοῖς τότε πρωτεύουσι*, animum ad res ſcribendas appulit apud Dionyſ. T. II, pag. 131. Neque aliud Polybii inſtitutum, de quo ipſe III, 59. Turpe enim, neque in hiſtorico ferendum, ſi in locorum deſcriptione ſtudioſos lectores fallat. Τὸ δὲ *καὶ περὶ τοὺς τόπους αὐτοὺς ψεύδεσθαι, οὐ παρασάγγας μόνον, ἀλλὰ καὶ σταθμοὺς ὅλους, τίνι τῶν καλῶν ἔοικεν*; bene Lucian. Conſcrib. Hiſtor. c. 24. WESS.

ead. l. 4. *Οὐχ οἱ τυχόντες μόνον*) Defendi poſſet Cod. M. & aliorum ſcriptura eo more, quo ante *ἀλλὰ* haud raro *τὸ μόνον* negligitur; cuiuſque exempla dabunt Iſaeus Orat. de Apollod. Hered. p. 64, Dio Caſſius LV, p. 641 A. Longinus c. 9, 15, aliique, quorum verba Daviſius conduxit ad Ciceron. 2 N. D. 64. Nihil tamen muto, quod vulgato potiores libri patrocinentur. WESS.

ead. l. 6. Πρὸς *τὴν ἐπιβολὴν*) Noſtra exemplaria non ſine manifeſto mendo habent hic *ἐπιβουλήν*. STEPH. Nihil frequentius eſt harum vocum permutatione. In Polybio V, 92, leges de Arato, *ὁ δὲ στρατηγὸς τῶν Ἀχαίων συνεὶς τὴν ἐπιβουλὴν αὐτῶν*, haud dubie perperam. Lycurgus & Pyrrhias in Meſſeniam exercitum duxerant; quod eorum conſilium & inceptum Aratus intellexerat. Scripſit itaque *τὴν ἐπιβολὴν*, idque firmatur ex ſequentibus: disiecto enim eorum impetu & conſilio, additur, *Ἄρατος δὲ διαπεσούσης τοῖς πολεμίοις τῆς ἐπιβολῆς.* Peccatum ſimili modo eſt in Aeliano XVII H. A. 37. Nam de aquila, quae ſerpentis, quam vi aperta invaſerat, ſpirarum voluminibus praeter ſpem implicata propoſito exciderat, *οὐδὲ τῆς ἐπιβουλῆς*, inquit, *ἐγκρατὴς ἐγένετο.* Immo vero *ἐπιβολῆς.* Contra evenit infra XIII, 27, 92, XV, 92. WESS.

ead. l. 11. *Διατείνουσα τῇ δυνάμει*) Hoc Diodoro ſolemne. Vid. II, 42, 46. WESS.

ead. l. 14. *Ἐξ Ἀργυρίου*) Mallem *Ἀγγυρίου*, vel potius *Ἀγυρίου* ex Plinio & Stephano. STEPH. Neque hoc, neque iſtud in margine adſcriptum, recte ſe habet. Sed *Ἀγυρίου* legendum eſſe ut cenſeamus, Stephani Geographi & Plinii auctoritas nos movet. Praeterquam quod infra Agyrinaeorum urbis mentionem auctor fecit. RHOD. *Ἐξ Ἀγυ-*

ίου) Sic ſcripſi, optimos Codd. proxime ſecutus, ipſumque Diodorum, qui πόλιν Ἀγυριναίων IV, 24, & Ἀγύριον XIV, 9, XVI, 83, aliiſque in locis appellat. Idem cenſet Ph. Cluverius II Sic. Ant. pag. 313. Ἀργύρριον tamen Iſ. Tzetzes ex hoc loco producit in Lycophr. 1017. Wess.

ead. l. 15. Τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ) Uſu & familiaritate Romanorum. Vid. infra I, 57. Fulvius Urſinus in ſui libri margine correxerat τῶν ἐν τῇ νήσῳ, quo carere poſſe videmur. Iunguntur enim haec artiſſime, ut ſaepe ſubſtantivis caſus ſui verbi. Plato 1 Leg. pag. 633 C. καὶ ἄνευ θεραπόντων αὐτοῖς ἑαυτῶν διακονήσεις. Ariſtid. T. I, p. 147: ἡ τοῖς παλαιοῖς Ἕλλησι διακονία· & Noſter XI, 37: μάχη τοῖς Ἕλλησι πρὸς τοὺς Πέρσας. De quo genere plura Dukerus in Thucyd. V, 46, VII, 50. Facilis vero iactura erit ſuſpicionis H. Stephani, qua in caſtigationibus notarum ſuarum *deeſſe fortaſſe* Ῥωμαίοις *poſt* νήσῳ arbitratur; id enim ſi addideris, agreſtem quoque & inconcinnam orationem effeceris. Wess.

Pag. 18. *l.* 15. Τὰς τῶν Ἑλλήνων ἀρχαιολογίας) Delevi & hic verbum inutile, & paulo ante ſupervacaneum μὲν, motus optimorum librorum auctoritate. Pendet oratio ex praecedenti περιέχουσι. Wess.

Pag. 19. *l.* 4. Μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ συστάντος πολέμου) Illuſtr. Scaliger & Iſ. Voſſius adſcripſerunt marginibus librorum ſuorum μέχρι τῆς τελευτῆς, arbitrati haud dubie, annorum numeros, qui ſequuntur, finem belli Gallici requirere. At Io. Georg. Herwarto Chronol. Novae c. 119 viſus eſt Diodorus longa oratione deſcripſiſſe Caeſaris expeditionem Britannicam ob L. V, 22, atque adeo hic μέχρι τῆς ἀκμῆς dediſſe. Sed nihil Mſſ. mutant. Ratio etiam Herwarti uti ſpecie blanditur, ita fieri potuit, ut in operis progreſſu Diodorus conſilium, quod intenderat, repudiarit, & belli Gallici initio Hiſtoriarum libros terminaverit. Vid. D. Petavium XII Doct. Temp. c. 40. Wess.

ead. l. 7. Προσαγορευθεὶς θεὸς) Dicam L. V, 21. Wess.

ead. l. 10. Τάξεις καὶ) Haec manifeſte ſuppoſititia ſunt. Si παρατάξεις eſſet, tolerari forte poſſet. Rhod. Τούτου αἱ πρῶται πράξεις) Abire iuſſi voces τάξεις καὶ unde malum pedem intulerant. Pari audacia graſſati dederunt I, 53, ἐπιφανεστάτας καὶ μεγίστας τῶν πρὸ αὐτοῦ τάξεις ἐπιτελέσασθαι καὶ πράξεις, invitis pleriſque Mſſ. Quae tamen verba, ſi quae neceſſitas urgeret, ſcripturae Cod. Coisl.

& Mutin. auctoritatem conciliare poſſent, uti & III, 52, 57, XII, 54. Quod autem H. Stephanus in caſtigationibus notarum ſuarum malle ſe ait *χρόνον τῶν περιειλημμένων*, non *χρόνων τούτων περιειλημμένων*, ut vulgo libr omnes, id ſi ita ſcripſerit, minus probum erit. Puto voluiſſe, *τῶν δὲ χρόνων τῶν περιειλημμένων·* quod ſane elegantius. WESS.

Pag. 20. *l.* 1. *Διὰ τὸ μηδὲν παράπηγμα παρειληφέναι*] *Mirum quam in his verbis explicandis*, ait Salmaſius, *hallucinentur viri docti propter unius dictionis ignorantiam, quid ſignificet nempe παράπηγμα. Interpretes Diodori* firmamentum *exponunt. Scaliger ad Euſebium quod alii ἐποχὴν, Cenſorinu* titulum *vocat, id Diodoro dici παράπηγμα, hoc eſt, terminum fixum & haerentem.* Παράπηγμα, *quemadmodum iam ant* (*pag.* 521) *docuimus, proprie eſt quidquid affigitur. Hinc παραπήγματα tabulae dicebantur affixae columnis, aut pilis, i quibus leges, aut alia publica monumenta incidebantur. Hin ἀστρονομικὰ παραπήγματα,* tabulae aſtronomicae, *in quibus ortus & obitus ſignorum, & tempeſtatum vices per aliquo annorum ſpatia redeuntes deſcriptae publice proponebantur ad populi uſum. Ad hoc exemplum παράπηγμα ἱστορικὸν aut μυθικὸν dicitur, ſeries hiſtoriarum vel fabularum ſecundum ordinen temporis digeſta. Et hoc ſenſu plane accipiendum eſt in illis Diodori verbis. Singula epici Cycli poëmata totidem erant τῆς μυθολογίας Ἑλληνικῆς παραπήγματα. Non dicit Diodorus nullum exſtitiſſe parapegma earum rerum, quae geſtae referuntur ante Troica tempora, ſed nullum πιστευόμενον. Multa quippe i eo intervallo fabuloſa memorari, quae vix fidem admitterent* Haec Salmaſius in Solin. pag. 694; cui iunge Menagiun in Diog. IX, 48. WESS.

ead. l. 3. Ἀκολούθως Ἀπολλοδώρῳ) Idem cenſuit Thucydides I, 12, Eratoſthenes apud Clement. Alexandr. I Stromat. pag. 402, Velleius Paterc. I, 2, & optimus quiſque WESS.

ead. l. 5. *Δυσὶ λείποντα τῶν τριακοσίων*) Bene pro rationibus Eratoſthenis, cui primus annus Olymp. 1 eſt a Troia everſa CCCCVIII. Congruunt etiam quae leguntur XIV 2, 3, & XIX, 1. Quare perperam Io. Tzetzes in quodan Scholio ad Μεθομηρικὰ, vulgata ab H. Dodwello ad Diſſer. V de Cyclis p. 804: *ἐξ ὧν ὁ Διόδωρος ἱστορεῖ*, inquit *φαίνεται ἡ Τροία πορθηθεῖσα πρὸ τετρακοσίων ὀκτωκαίδεκα χρόνων τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος.* WESS.

ead. l. 8. Εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Κελτ.) Suo exemplari adſcripſerat Iſ. Voſſius εἰς τὴν τελευτὴν, quod & nimium eſt, & rem non expedit. Viam aliam ingreſſus eſt vir ampl. Io. Chriſtoph. de Iordan in Chronologico apparatu ad Origines Sclavicas; cuius ego commentationem de Diodori Chronologia, benevole mihi tranſmiſſam, annotationum auctario integram cenſui anneĉtendam, ut, quantum viro egregio Siculus ſcriptor debeat, appareat omnibus. Wess.

ead. l. 10. Ἑπτακόσια καὶ τριάκοντα) In his manifeſtum peccatum eſt. Anni DCCXXX dant Olympiades CLXXXII, cum duobus integris annis. Primus Olympiad. CLXXX, ad quem hiſtoriam ſeſe continuaſſe ait, eſt DCCXVII ab initio Olympiadum. Quae contraria & ſibi pugnantia quis ferat? Audi Scaligeri cenſuram. *Longe vero puerilius, inquit, hallucinatur Diodorus ipſe. Scribit enim, principium belli Gallici convenire anno I Olympiadis CLXXX*, Ἡρώδου ἄρχοντος· *cum conſulatus Calpurnii Piſonis & Gabinii, quo bellum Gallicum motum, inciderit in annum III eiuſdem Olympiadis. Pergit*, ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Κελτικοῦ πολέμου, ἣν τελευτὴν πεποιήμεθα τῆς ἱστορίας, ἑπτακόσια καὶ τριάκοντα. *Ait, a prima Olympiade ad principium belli Gallici eſſe annos DCCXXX, quae ſunt Olympiades abſolutae CLXXXII, anni duo abſoluti. Ergo bellum Gallicum inivit anno III Olympiadis CLXXXIII, qui erat annus, quo Scipio & Iuba in Africa bellum cum Caeſare infeliciter geſſerunt. Poſtremo adiicit, ab excidio Ilii ad finem Bibliothecae ſuae intercedere annos CIƆCXXXVIII; de quibus ſi detrahantur CCCCVIII, quot annos ipſe Diodorus ait eſſe ab excidio Ilii ad primam Olympiadem, ſupererunt iidem anni DCCXXX; ne quis forte peccatum putet in priore numero. Itaque inſignis eſt hallucinatio praeſtantiſſimi ſcriptoris, principium belli Gallici cum annis belli Civilis confundentis.* Sic ille in Euſeb. Chron. CIƆIƆCCCCLXV; quibus conſentit, Scaligero ceteroqui ſaepe infeſtior, D. Petavius IX D. T. 55. In alia tamen omnia abiit Io. G. Herwartus Chronol. Novae c. 116, pertenditque, in annis Olympiadum quinquennio minus numeraſſe Diodorum ceterosque eius aevi Hiſtoricos, qui faſtos Conſulum Romanos fuere ſecuti; praeterea εἰς τὴν ἀκμὴν τοῦ Κελτικοῦ πολέμου reliquiſſe Diodorum: hinc factum eſſe, ut finem ſui operis coniecerit in annum DCCXXX Olympiadicum, ſeu annum II Olympiadis CLXXXII, qui revera inceperit anno ante Chriſtum XLVII, ſeu U. C. Tab. Capitol. DCCI.

Verum ea in re ſumit ſibi fidenter vir doctiſſimus quinquennium in Olympiadum annis minus numeratum, quod in contentione verſatur, & a vero longe recedit, uti docuit D. Petavius XII D. T. 40. Mutat etiam vetantibus Mſſ. *ἀρχὴν* in *ἀκμὴν* ex cauſa, uti vidimus, haud ſane gravi: denique manet error, quo annus I Olymp. CLXXX componitur cum anno DCCXXX Olympiadico. Itaque aut tranſeundum eſt in Scaligeri Petaviique ſententiam, aut remedio adhibito ſuccurrendum famae Diodori. Fac ſcripſiſſe eum, *εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Κελτικοῦ πολέμου, ἣν τελευτὴν πεποιήμεθα τῆς ἱστορίας*, ͵ψιζʹ, cuius rei in mentem Iſmaëli Bullialdo veniſſe Fr. Dion. Camuſatus huic loco adſcripſerat, hinc vitiata notarum ſcriptura veniſſe ͵ψλʹ, hoc eſt, ex annis DCCXVII factos eſſe DCCXXX, auctos praeterea ſequentes annorum numeros, qui profecto ſalvi ingruente hoc vitio eſſe non potuerunt, & evaneſcet puerilis iſte error. Nam *τούτου δ' αἱ πρῶται πράξεις ἀπετελέσθησαν Ὀλυμπιάδος τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος*, commode intellexeris de principio rerum geſtarum Caeſaris. Annus enim ille ex magna parte reſpondet anno U. C. DCXC, quo Caeſar conſulatum iniit, exorſuſque ea eſt, quae bello Gallico abſolvit. Ea quidem vis eſt, inquies, ſed lenior & in numeris ſaepe neceſſaria; qua ſi utendum pernegaveris, haereat in hoc luto Diodorus. WESS.

ead. l. 16. Τοὺς δὲ *διασκευάζειν εἰωθότας*) Librorum correctores & deſcriptores deſignat. *Διασκευάσασθαι* frequens eſt de fabulis, quas poëtae, cum non ſtetiſſent, impenſiore cura emendabant & refingebant, uti egregie docuit Iſ. Caſaubonus in Athenaei III, 28. Rarius de librariis, qui emendandis & corrigendis aliorum ſcriptis operam inſumunt; quo tamen uſu *χαρακτῆρες διεσκευασμένοι* & libri *διεσκευασμένοι*, qui emendati, & *κατασκευάζειν πολυτελῶς ἐν χάρταις καλλίστοις*, non ſemel Galeno in III Epidem. Hippoc. pag. 411, 412, 413. Haud iniuria vero eos dehortatur, ne importuna cura alieno operi moleſti ſint: aequiſſima enim lex eſt Pythagorae, *ὅστις ὁ νόμος οὐκ ἐᾷ τοῖς βιβλίοις ἐπιποιεῖν· ἀλλὰ βούλεται μένειν αὐτὰ ἐπὶ τῆς πρώτης χειρὸς, ὅπως ποτὲ ἔσχε τύχης ἢ τέχνης*, in Syneſii Dione p. 60 A. WESS.

Pag. 21. *l.* 8. Καταδείξαντες τιμᾶν τὸ θεῖον) Non probat Diodorus ſcripturam Cod. Coisl. & Mut. nam *κατα*

δεῖξαι τιμᾶν τὸ ζῶον I, 88; & *τιμᾶν τε καταδεῖξαι τὸ θεῖον* II, 38, & III, 2, invenies. Haec vero exſcripta Euſebius inſeruit I Praep. Evang. 7. WESS.

Pag. 22. *l.* 1. Ἐν *τοῖς γνωριζομένοις μέρεσι*) Familiare eſſe hoc loquendi genus ſcriptori, oſtendent I, 9, XIX, 1. WESS.

ead. l. 6. Παρὰ *τοῖς ὀνομαστοτάτοις καὶ νομιμωτάτοις*) Apud probatiſſimos, qui videlicet inter claſſicos ſunt primarii. Quod vero antecedit *τοῖς ὀνομαστοτάτοις*, extraneum videtur. De mundi tum aeternitate tum ortu ac interitu, vide, quae annotat Plutarchus II, de Placit. & Decret. Philoſoph. c. 4. Sed quanto conſultius audire Moſem Gen. I, 23; & Chriſtum Dominum Lucae XXI, 33: *οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται.* Confer tamen cum Diodoro Ioſephum I Archaeolog. c. 2. At contra mundi ortum & interitum Ariſtoteles diſputat I de Coelo cap. 10 uſque ad finem, & initio libri ſequentis. RHOD. Παρὰ *τοῖς νομιμωτάτοις*) Adſcripſerat Camuſatus, lectionem vulgatae editionis & Cod. Coislin. ſibi meliorem videri, quod elegantior ſit, & phyſicis ac hiſtoricis proprium tribuat titulum: *νόμιμον γὰρ εἶναι τὸν φιλόσοφον, ὀνομαστὸν δὲ τὸν ἱστορικόν.* Forſan tamen legendum, *παρὰ τοῖς ὀνομαστοτάτοις τῶν ἱστορικῶν καὶ νομιμωτάτοις τῶν φυσιολόγων.* Eunapium enim dixiſſe de Iamblicho, *μετὰ τούτους ὀνομαστότατος ἐπιγίνεται φιλόσοφος Ἰάμβλιχος.* Mihi, quod pace eius dixerim, perlevis haec ratio videtur & fallax, quam & *νόμιμοι τῶν συγγραφέων* I, 29, & *νομιμώτατοι τῶν συγγραφέων* V, 2, & *οἱ νομιμώτατοι τῶν ἱερέων* Plutarchi T. II, p. 381 C. infringunt. Eieci itaque gloſſema, quod nec Euſebius nec Codd. plures probarunt. WESS.

ead. l. 10. Οἱ *δὲ γεννητὸν καὶ φθαρτὸν*) Euſeb. *γενητὸν καὶ ἄφθαρτον*· hoc perperam, non alterum. Nam de mundi origine cum diſputant, ſi principium illi dent & creatum pertendant, *γενητὸν*, ſi auferant & negent, *ἀγένητον* dicere aſſolent. Philo Iud. de Mundo non corrump. p. 939 D. *Τριτταὶ δὲ περὶ τοῦ ζητουμένου γεγόνασι δόξαι, τῶν μὲν ἀΐδιον τὸν κόσμον φαμένων, ἀγένητόν τε καὶ ἀνώλεθρον· τῶν δὲ ἐξ ἐναντίας γενητόν τε καὶ φθαρτόν·* atque ita Ocellus c. 1, Ariſtoteles Analyt. Prior. II, 22, p. 190, Plutarch. T. II, p. 886 D. ne plures advocem. Nec auſus tamen ſum *γενητὸν*, & paulo ante *ἀγένητον*, quod apud Euſebium, recipere, quod ſibi in horum uſu non conſtent. Philo enim

pag. 946: εἰ δὲ ἀΐδιον ἄνθρωπος, ἀγέννητος δήπου καὶ κόσμος. Ocellus c. 1, p. 514: διότι ἀγέννητος ὁ κόσμος κα ἄφθαρτος. Diogen. VII, 141, & Atticus apud Euſeb. XV P. Ev. 6. In quibus τοῦ γεννητοῦ paulo quidem diverſa ſuperiore notio eſt, rerum tamen genitarum initium indi cat. Mox ὁμοίως ἐκείνῳ Franc. Vigerus quoque ad Euſe bium. Wess.

ead. l. 11. Ὁμοίως ἐκείνοις) Intricata hic ſententia eſt quae facile extricabitur, ſi ἐκείνῳ legas, *quemadmodum ille* id eſt, mundus. Rhod.

Pag. 23. *l.* 5. Ἀνωφεροῦς οὔσης) *Surſum impetu quodan tendens.* Plutarchus T. II, pag. 950 D. ἐλαφρὸν καὶ κοῦφο καὶ ἀνωφερὲς οὐδέν ἐστι τῶν ψυχρῶν· & p. 952 D. οὐ γὰ ὡς βαρεῖα πρὸς κοῦφον, καὶ καταῤῥεπὴς πρὸς ἀνωφερὲς ἀν τίκειται μόνον. Ubi perverſe vulgo ἀνωφελὲς, quod long aliud eſt. Res ipſa convenit ſententiae Anaxagorae, de qu Diogen. II, 8, & Heraclides Pontic. Homer. Allegor. p 488. Wess.

ead. l. 8. Τῇ πάσῃ δίνῃ) Quid τὸ πάσῃ, ſi genuinun eſt, ſibi velit, nondum perſpicio, niſi τῇ τοῦ παντὸς δίνῃ *in circumrotatione univerſi*, forte ſcripſerit, aut hac phra nova idem intelligat. Rhod. Acceſſero L. Rhodomanno niſi ſi ea vocula hic ſummam & concitatiſſimam vertig nem, ut ſolet ad rem augendam ſubinde adhiberi, & agn viſſe videtur Fr. Vigerus, indicaverit. Fuit, cum πανσ δίῃ, quod de vehementi impetu, πάσῃ τῇ ὁρμῇ, eſt apu Euripid. Tro. 792, Aratum Phaenom. 714, & Apollo Rhod. II, 761, 1065, non diſpliceret. Sed vetat uſu deſideroque ſimile exemplum. Wess.

ead. l. 9. Μετὰ τῆς τῶν ὑγρῶν συγκρίσεως) Euſebio a ſcriptum eſt συγκράσεως, quo modo τὴν τῶν στοιχείων σύ κρασιν αἰτίαν εἶναι τῆς γενέσεως Alciphr. III, Epiſt. 4 Et permutantur hae cognataeque voces, uti in Philon. Somn. p. 568 A. ubi Mſ. Auguſt. τὸ δὲ ἄλλαις συγκεκρ μένον ἰδέαις pro vulgatis, multo obſcuriſſimis, τὸ δὲ βλ χῶδές ἐστι, διακεκριμένον ἰδέαις. Hic tamen bene habe & concretionem commixtionemque innuit, uti mox & II 47, & in Plutarchi T. II, pag. 947 A. & σύγκρισις κ βρασμὸς τῆς ὕλης in Cornut. N. D. c. 3. Wess.

ead. l. 15. Ἀναζυμουμένης) Apud Euſebium, ubi loc hic citatur, legitur ἀναζεομένης. Steph. Si cum H. S phano ἀναζεομένης legere malis, pro *inflatam & quaſi* j

mentatam, ſubſtituas *fervefactam*. RHOD. Euſebii ſcriptura parum conſtans, conſentit enim noſtrae Cod. Montacutii, Diodoro nihil debet nocere. Mox *ὅπερ ἐν τοῖς ἕλεσι καὶ νῦν ὁρᾶσθαι* ob meliorum Codd. conſenſum praeoptavi, ſuſpenſa ex ſuperioribus ſententia. Quae vero hic narrantur, magna ex parte excerpſit Tzetzes in Heſiodi Oper. v. 43. WESS.

Pag. 24. *l.* 9. *Ἀπὸ τοῦ περιέχοντος*) Optimis ſcriptoribus *ὁ περιέχων* & *τὸ περιέχον* eſt aër, coelumque omnia ambiens & complectens. *Ὁ περιέχων ἀὴρ* Plut. T. II, 333 E. Vid. Polyb. I. 37, Strab. I, p. 14 B. Plut. T. II, p. 361 B. & Noſtr. II, 48, III, 59, XVI, 81. WESS.

ead. l. 13. *Ἀναφυῆναι καὶ φανῆναι*) Gloſſema hoc ex margine, ut alia quamplurima, in contextum irrepſit. RHOD. *Ἀναφυῆναι παντοδαποὺς τύπους*) Aſſentior L. Rhodom. & Iſm. Bullialdo, cui idem placuiſſe Camuſatus adſcripſerat, deleoque *καὶ φανῆναι*, Euſebio & Mſſ. improbatum. WESS.

Pag. 25. *l.* 1. *Τὰ δὲ γεώδους ἀντεχόμενα*) Non admodum his diſſimilia reperies in Ariſtid. T. I, p. 8, & Diogen. II, 17. WESS.

ead. l. 11. *Μαθητὴς ὢν Ἀναξαγόρου*) Vid. infr. c. 38, & Heraclid. Pontic. Hom. Allegor. p. 440. Euripides *Μελανίππην Σοφὴν* docuit, in qua praeceptoris Anaxagorae opinionem de rerum ortu Menalippae, tanquam a matre acceptam, dedit exponendam, *Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς παρὰ, Ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία*, teſte Dionyſio, cuius verba Th. Canterus II V. L. 15 Diodori auxilio conſtituit, Tom. II, p. 57. WESS.

Pag. 26. *l.* 1. *Δένδρη, πετεινὰ*) Euſeb. margini appictum eſt, *Τὰ δένδρα, πτηνὰ, θῆρας*, quod Grotius in Exc. Trag. pag. 395, atque ex eo, uti ſolet, Barneſ. adſcivit. Vulgatum cur ſpernatur, cauſa nulla eſt. WESS.

ead. l. 3. *Καὶ περὶ μὲν τῆς πρώτης τοῦ ζωογονεῖν*) Non bene cohaerere *πρώτης* cum proxime ſequentibus *τοῦ ζωογονεῖν*, niſi quid cum *πρώτης* iungatur, perſpicuum eſt. Sed & haec verba, *εἰ καὶ παράδοξον εἶναί τισι φαίνεται τὴν τότε ἐνέργειαν*, mendo vacare non videntur. Praeterea quae ſunt ab hoc loco uſque ad *τοὺς δὲ ἐξ ἀρχῆς*, eadem fere dicuntur paulo poſt, videlicet fine pag. ſeq. & initio eius, quae illi proxima eſt; quod ſuſpicionem auget. Denique Euſebius eam affert, quam margini adſcripſi, lectionem, quae, ut vides, pro novem lineis unam dumtaxat

habet, certior tamen eſſe videtur. STEPH. Ut haec cum praecedentibus, quae margo uſque ad *παρειλήφαμεν* exhibet, aptius cohaereant, muta *τοῦ* in *τὸ δὲ ζωογονεῖν.* Verum, ut, quod res eſt, dicam, totus ille locus a *τοῦ ζωογονεῖν*, uſque ad *τοὺς ἐξ ἀρχῆς*, decem & ſex verſibus conſtans, a ſciolorum aliquo intruſus huc videtur. Id quod eorundem verborum repetitio infr. cap. 10 arguit. Lege, quae H. Steph. porro annotat. RHOD. *Περὶ τῆς πρώτης τῶν ὅλων γενέσεως*) Ita legendum eſſe cenſui. Cetera coloris minime ſani & huic loco parum accommoda, Euſebii pluriumque Codd. auctoritate motus, ſedem migrare iuſſi. Quae ſequuntur, ea conformata diceres ad haec Critiae in Sexti Empir. IX C. M. 54: *Ἦν χρόνος ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος Καὶ θηριώδης.* WESS.

Pag. 27. *l.* 1. *Ἀλλήλοις βοηθεῖν*) Sequor Euſeb. & conſentientes illi MſS. importuna enim hic eſt particula. *Πολεμουμένοις* Clar. 2. probari, niſi & alia mutes, non poteſt. WESS.

ead. l. 11. *Ὡς ἔτυχε*) Temere, atque uti ſors dabat. Lucian. Scrib. Hiſtor. c. 47, *τὰ δὲ πράγματα, οὐχ ὡς ἔτυχε, συνακτέον·* & infra I, 14, XIX, 108. Mox *διαλέκτους καὶ χαρακτῆρας διαλέκτων*, etſi haud plane damnem, recipere tamen, quod editum rei ſatis conveniat, non ſuſtinui. WESS.

Pag. 28. *l.* 3. *Οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς*) Euſeb. *ὑήσεως·* & *εὑρημένων* haud iniuria corrigi oportere Fr. Vigerus cenſuit. Non abit autem ab his Diodori Moſchion. *Ἦν γάρ ποτ' αἰὼν κεῖνος, ἦν, ὁπηνίκα Θῆρσιν διαίτας εἶχον ἐμφερεῖς βροτοὶ, Ὀρειγενῆ σπήλαια καὶ δυσηλίους Φάραγγας ἐνναίοντες· οὐδέπω γὰρ ἦν Οὔτε στεγήρης οἶκος, οὔτε λαΐνοις Εὐρεῖα πύργοις ὠχυρωμένη πόλις·* in Ecl. Phyſ. Io. Stobaei p. 18 ex H. Grotii emendatione. WESS.

ead. l. 5. *Συγκομιδὴν ἀγρίας τροφῆς*) *Uſum modumque eius comportandi.* Polyb. III, 100: *ἔτι δὲ τῆς ὥρας ἀκμαζούσης πρὸς τὴν συγκομιδήν.* Lucian. H. V. I, 39: *καὶ τὸν καρπὸν συγκομιζόμενοι τὸν ἐκ τῶν δένδρων.* Plura infra c. 15. Eſt enim de meſſe & vindemia frequens, quemadmodum & *καρπῶν παράθεσιν ποιεῖσθαι·* unde *παράθεσις* ac *σίτου παράθεσις* de frumento commeatuque ad uſum repoſito Polyb. III, 68, 102, & Exc. L. pag. 1222, qua de re ad II, 38. WESS.

ead. l. 15. *Τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον*) Eadem Archytae placuit ſententia in hoc apud Stob. Serm. XCIII verſu,

Χρειὼ πάντ' ἐδίδαξε, τί δ' οὐ χρειώ κεν ἄνευροι; & Moſchioni in eiuſdem Eclog. Phyſ. p. 18, Εἴτ' οὖν ἀνάγκην, εἴτε τῇ μακρᾷ τριβῇ, Αὐτὴν παρασχὼν τὴν φύσιν διδάσκαλον, i. e. Grotio interprete, *ſeu vis neceſſitatis & longus ſimul Uſus magiſtram ſponte naturam dedit.* Adde Dionyſ. I Ant. Rom. p. 20. Quae vero ſequuntur, iiſdem repetita verbis invenies II, 38. Wess.

Pag. 29. *l.* 6. Στοχαζόμενοι τῆς συμμετρίας) Frequens id Noſtro, ut cap. 9, 41. Explicatur a Porphyrio II Abſt. 4: τοῦ συμμέτρου καὶ οἰκείου τῇ ὑποθέσει στοχαζόμενοι κατὰ δύναμιν. Euſebius, qui ſuperiora exſcripſerat I P. E. 7, addit de ſuo: Τοσαῦτα μὲν ὁ δηλωθεὶς συγγραφεὺς, οὐδὲ μέχρις ὀνόματος τοῦ Θεοῦ μνημονεύσας ἐν τῇ κοσμογονίᾳ, συντυχικὴν δέ τινα καὶ αὐτόματον εἰσηγησάμενος τὴν τοῦ παντὸς διακόσμησιν. Bene profecto; mundi enim originem tanquam caſu & ſine providentia factam perſequitur; quae eadem opinio philoſophorum pleriſque ſe probaverat, ut ex Plutarchi Stromat. libris Euſebius commonſtravit, & Plato X Leg. p. 889 B. Wess.

ead. l. 12. Εὕρεσιν τῶν γραμμάτων) Hoc ut amplecterer, res ipſa & quae ſequuntur, facile a me impetrarunt. Rerum inventio in eandem cum regibus aetatem incidere potuit, & haud dubie incidit. Literarum uſus recens eſt, quidquid obloquatur Plinius VII H. N. 57, multoque recentior hiſtoricorum opera. Recte Macrob. II Somn. Scipion. 10: *Quis non hinc aeſtimet*, inquit, *mundum quandoque coepiſſe, nec longam retro eius aetatem? Cum abhinc ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria ne Graeca quidem exſtet hiſtoria. Nam ſupra Ninum, a quo Semiramis ſecundum quoſdam creditur procreata, nihil praeclarum in libros relatum eſt. Si enim ab initio, immo ante initium fuit mundus, ut philoſophi volunt: cur per innumerabilium ſeriem ſeculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inventus? non literarum uſus, quo ſolo memoriae fulcitur aeternitas?* Habes εὕρεσιν γραμμάτων cap. 16, 69, quam ἡλικιῶτιδα dixit, ſicuti Plutarchus T. II, p. 554 A. τιμωρίαν ἡλικιῶτιν, & T. I, p. 160 E. τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτιδα ἱστορίαν. Solent quoque, ne qua hoc moretur, πράγματα & γράμματα exſcriptorum negligentia permutari. Vid. Iulian. Garner. ad Baſilii Epiſt. 117 & 226, p. 346, & Montfaucon. in Chryſoſt. Epiſt. 114. Wess.

ead. l. 14. Καὶ τοῦτο συγχωρῆσαι) Ita ſolet, veluti cap.

38, εἰ δέ τις καὶ συγχωρήσαι χιόνος εἶναι πλῆθος· & cap 40, 78; & ſupra cap. 3. Quare & ſuo contentum eſſ iuſſi. Wess.

Pag. 30. *l.* 2. Περὶ δὲ τῆς τοῦ βίου ἤγουν γένους) Has vo culas βίου ἤγουν, ut a ſententia prorſum alienas, remo veto. Rhod

ead. l. 4. Ἑαυτοὺς αὐτόχθονας λέγοντες) *Solo innatos*, ἐγ γενεῖς τῆς χώρας· qua natalium gloria Athenienſes ſeſ venditabant. Iſocrates Panegyr. p. 65: Ἀλλ' οὕτω καλῶ καὶ γνησίως γεγόναμεν, ὥστ' ἐξ ἧσπερ ἔφυμεν, ταύτην ἔχοι τες ἅπαντα τὸν χρόνον διατελοῦμεν, αὐτόχθονες ὄντες. Ne reticuit inanem hanc eorum iactantiam Cicero pro Flacc cap. 28; etſi nihil hac quidem parte inferiores illis vider vellent Indi, Aethiopes, Sicani, aliique. Vid. infr. II, 38 III, 2, V, 6, & Ritterſh. in Oppiani II Cyneg. 563. Wess

ead. l. 14. Οὐκ ἀρχαιοτέρους αὐτοὺς ἡγούμενοι) Reſpiciun haec fratres Tzetzae, Iſaac. in Lycophr. 149, Ioan. Chi liad. XII, 260. Wess.

Pag. 31. *l.* 2. Ἑτερογενῆ πρᾶξιν) Peregrinam & alius ge neris. Infra XI, 20: Ἡμεῖς δὲ ἀρκούντως διεληλυθότες περ τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην πραγμάτων, μεταβιβάσομεν τὴν δι γησιν ἐπὶ τὰς ἑτερογενεῖς πράξεις. Similiter XVI, 5. Wess

ead. l. 4. Ἀρχαιόταται παρατηρήσεις) Vide I, 69, & Ciceron. I N. D. 1, cum nota Daviſii. Wess.

ead. l. 9. Φασὶ τοίνυν Αἰγύπτιοι) Exſcripſit haec Euſeb II P. E. 1. Stolidam autem hanc Aegyptiorum gloriatio nem memorant ſcriptores, quibus teſtimonium denuntia runt veteres Critici ad Apollon. Rh. IV, 262, Ariſtide T. III, p. 593, & Clemens Alex. Protrept. p. 3. Nec ad modum diſſimilia ſunt argumenta, quibus pro ſua e ter ra origine pugnant Aethiopes III, 2, Athenienſes in Pla ton. Menex. p. 237 E. & Indi ap. Pauſan. VIII, 29. Wess

ead. l. 12. Πολύγονον ὄντα) Conf. infr. c. 40. Wess.

ead. l. 14. Τὴν τοῦ καλάμου ῥίζαν) Credo deſignare τῶ ἐν τοῖς ἕλεσι γενομένων τοὺς καυλοὺς καὶ ῥίζας, caules & radices paluſtrium plantarum, quibus Aegyptios veſci al ſuetos ait cap. 49, 80. Ceteroqui & in ea regione arun dines, quas *ſacchariferas* vocant, ferebantur atque edeban tur crudae, de quibus Proſ. Alpinus III Rer. Aegypt. 9 De loto & faba Aegyptia infra cap. 34. Wess.

ead. l. 16. Τὸ καλούμενον κόρσεον) Mirum ſane praeter que opinionem accidit diſcrimen, quod *lotum* inter & *co*

ſium inſtituitur: eſt enim ipſa loti radix rotundiore figura & amplitudine mali cotonei. Theophraſt. IV H. Pl. 10: Ἡ δὲ ῥίζα τοῦ λώτου καλεῖται μὲν ΚΟΡΣΙΟΝ. ἔστι δὲ στρογγύλη, τὸ μέγεθος ἡλίκον μῆλον κυδώνιον. Movit hoc Bodaeum a Stapel, ut περσεῖον hic ſcriptum fuiſſe ſuſpicaretur: quam arborem cum Noſter cap. 34 Περσίαν aut Περσαῖαν appellet, praetereaque Strabo XVII, p. 1178 D. in corſii deſcriptione multum a Theophraſto diſſentiat, haud iniuria corrigendi hunc impetum deinceps compeſcuit. In Heſychio refingendo opera illi felicior proceſſit; nam quae Grammaticus in Κορσίπιον ſcribit, modo Κορσαῖον in locum τοῦ Κερσαῖον ſubſtituas, huc pertinent. Vid. Bodaei Comment. p. 447, & Proſp. Alpini Diſſ. de Loto pag. 83; & iuxta mecum agnoſces, de *corſio* nondum omnia ad liquidum eſſe perducta. WESS.

Pag. 32. *l.* 2. Τεκμήριον πειρῶνται φέρειν) Quod ſchedae Coislin. & quae cum illis faciunt, addiderunt, natum eſt ex gloſſa, quam tanto cupidius inculcarunt, quoniam Diodoro haud prorſum diſplicuiſſe noſſent. Sic c. 28: καὶ πειρῶνται τῆς οἰκειότητος ταύτης φέρειν ἀποδείξεις, & c. 96, V, 6. Utrumque coniunxit Lucian. ſed alio ordine, Μόνον τοῦτο εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας μέγα τεκμήριον τιθέμενοι, Scrib. Hiſt. c. 40. Atticus apud Euſeb. XV P. E. 5: τεκμήριον δὲ ποιοῦνται τῆς γνώμης τοῦ ἀνδρός. WESS.

ead. l. 3. Τὴν ἐν τῇ Θηβαΐδι χώραν) Hoc ſequor; alterum claudicat. Clemens Alex. Protrept. pag. 6 de Aegyptiis: οἱ καὶ πρώτην ταύτην ἀναφῦναι τὴν γῆν Θεούς τε καὶ ἀνθρώπους ὀνειρώσσοντες. Mures in Aegypto ex terra progigni, etſi Plutarchus T. II, p. 637 B. atque Aelianus II H. A. 56, Noſtro fere conſentiant, nondum credimus. Conf. Voſſ. in Melam I, 9, 25. WESS.

ead. l. 7. Διατετυπῶσθαι καὶ καρίζειν) Crediderim legendum σκαρίζειν. STEPH. Διατετυπῶσθαι καὶ κίνησιν λαμβάνειν) Quamquam H. Stephanus σκαρίζειν reſtituit, tamen pro ſpuriis haec duo καὶ καρίζειν ſunt habenda. Nam hyſterologiam ineptam obtrudunt; prior enim motio eſt natura, quam ſaltatio. RHOD.

Pag. 33. *l.* 5. Ἀνόμβρου κατὰ τὸ πλεῖστον) Recte addit poſterius. Inferior enim Aegyptus magnam ſaepe coeleſtis aquae copiam accipit, cum ſuperior exiguam & rarius. Vid. Philon. Iud. I Vit. M. p. 620 C. & Ariſtidem T. III, p. 567, & quos Ian. Broekhuſ. excitavit teſtes in Tibulli

I, 8, 25. Vel ſic tamen *καὶ σεισμοῖς καὶ λοιμοῖς καὶ τοῖς ἐξ οὐρανοῦ κατακλυσμοῖς ἀνάλωτος ἡ χώρα*, ſicuti idem Ariſtid. pag. 617 docet. Rationes autem, quibus hominum e terra fortuitam originem adſtruunt, Philo diligenter examinavit de Mund. haud corrupt. p. 944 B. Wess.

ead. l. 13. Κατὰ τὴν ἐπίκαυστον Αἴγυπτον) Pro *ἐπίκαυστον* reponendum videtur *ἐπίκλυστον* ex margine, quod ad huius loci ſenſum magis facit. Alias *torridam* ſignificaret. Rhod. Κατὰ τὴν ἐπίκλυστον Αἴγυπτον) Hoc vulgato, quod hinc ortum eſt, praetuli. Strabo I, p. 56, de Aegypto: *καὶ γὰρ αὕτη στενή τέ ἐστι καὶ μακρὰ καὶ ἐπίκλυστος· τὰ δὲ ἔξω τῆς ἐπικλύστου ἔρημά τε καὶ ἄνυδρα.* Noſtro c. 36, *ἐπικεκλυσμένη χώρα.* Solet *ἐπικλύζειν*, & quae ex eo originem trahunt, de Nilo, Aegyptum aquis ſuis inundante, tritum atque uſitatum eſſe. Philoſtratus VI Vit. A. 1: *ὃς ἐκ καταδούπων ἀρχόμενος, ἣν ἐπικλύζει, πᾶσαν Αἴγυπτον ἀπ' Αἰθιόπων ἄγει·* ubi Olearii, *quam illuvie ſua conficit*, nimium eſt. Νείλου *ἐπίκλυσιν* dat Aelianus II H. A. 38. Wess.

Pag. 34. *l.* 3. Καὶ πρὸς αὐτῇ συμφυῆ τῇ γῇ) Longe mollius hoc fluit, quam *βώλῳ αὐτῇ συμφυῆ τῆς γῆς.* Credo eiectam vocem ex ſuperioribus eſſe repetitam, ubi recte *κατὰ φύσιν τῆς βώλου.* Non item in Achille Tatio III, p. 185, *παντὸς δὲ βώλου χαλεπώτερος βῶλος Αἰγύπτιος.* Vid. Bergl. ad Alciphr. III, Ep. 34. Wess.

ead. l. 4. Τοὺς δ' οὖν κατ' Αἴγυπτον) Habet Euſeb. I P. Ev. 1. Lucianus de Dea Syr. c. 2: Πρῶτοι *μὲν ὦν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν,* Αἰγύπτιοι *λέγονται* Θεῶν *τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἵσασθαι, καὶ τεμένεα καὶ πανηγύριας ἀποδέξαι.* Quae his Diodori gemina & ſimillima ſunt. Adde Ammianum XXII, 16, quaeque illi H. Valeſ. adſcripſit. Wess.

ead. l. 12. Τὸν μὲν Ὄσιριν πολυόφθαλμον) Paulo diſtinctius Plutarch. T. II, p. 355 A. Ἔνιοι *δὲ καὶ τοὔνομα διερμηνεύουσι πολυόφθαλμον, ὡς τοῦ μὲν* ΟΣ *τὸ πολύ· τοῦ δὲ* ΙΡΙ *τὸν ὀφθαλμὸν Αἰγυπτίᾳ γλώττῃ φράζοντος·* nam ſic ea legenda ſunt, quod non latuit viro clariſſ. P. Ern. Iablonski in eruditis de *terra Goſen* Diſſert. p. 80, qui & vocis originationem ex Coptorum ſermone affirmavit. Wess.

ead. l. 15. Καὶ τὸν ποιητὴν λέγειν) Homerum Odyſſ. XII, 323, & alibi. Confer cum hoc loco, quae Plutarchus de Iſide & Oſiride prolixe diſſerit. Porro Deorum, quo-

rum tum hic, tum alibi, mentionem facit Diodorus, hiſtorias, cum fabularum explicatione luculenta & pereruditа, ſuppeditat Natalis Comes in libris Mythologiarum. Rhod.

Pag. 35. *l.* 2. Τὸν Ὄσιριν Διόνυσον) Graecis Bacchus, qui Aegyptiorum ſermone Oſiris. Herodot. II, 144, Ὄσιρις δέ ἐστι Διόνυσος κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν· quam eandem rem cum pluribus probaſſet Plutarch. T. II, p. 364 D. addit: Ὅτι μὲν οὖν ὁ αὐτός ἐστι Διονύσῳ, τίνα μᾶλλον ἢ σε γινώσκειν ὦ Κλέα δὴ προσῆκόν ἐστιν, ἀρχηγὸν μὲν οὖσαν ἐν Δελφοῖς τῶν Θυιάδων, τοῖς δὲ Ὀσιριακοῖς καθωσιωμένην ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρός· ſic enim ea legi oportet; quod nec Xylandro, viro doctiſſimo, latuiſſe, Latina verſio indicat. Alia, quamquam non probanda, dabit Giſ. Cuperi Harpocrat. p. 95. De Sirio, quod addunt, natum arbitror ex ſolis hoc titulo: quem Archilochus Σείριον, teſte Heſychio, appellavit. Schol. Oppian. III Hal. 48: Σείριος οὐ μόνον ὁ ἥλιος, ἀλλὰ καὶ ὁ ἀστὴρ τοῦ κυνός. Solem autem hi Theologi eundem ac Oſirim cenſebant. De Eumolpo eiuſque Bacchicis Io. Alb. Fabricius B. G. I, 6. Wess.

ead. l. 8. Τοὔνεκά μιν καλέουσι) Macrob. I Satur. 18 ex Orpheo affert:

> Τήκων αἰθέρα δῖον, ἀκίνητον πρὶν ἐόντα,
> Ἐξανέφηνε θεοῖσιν ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
> Ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.

Eodem ex carmine videtur & hoc decerptum, longeque ſe melius habere ob praecedens ἐξανέφηνε. De Phanete vero, Orphico quodam Deo, nihil addam. Fecerunt abunde viri egregii P. Leopardus XII Emend. 2, Th. Canterus I Var. Lect. 26, & Rich. Bentleius Ep. ad Ioan. Millium pag. 3. Wess.

ead. l. 9. Καὶ τὸ ἔναμμα) Et hunc locum P. Leopard. V Em. 12 illuſtravit. Vere Syneſius Encom. Calvit. p. 68 C. Βακχικὸν γὰρ οὐδὲν οὕτως ὡς νεβρίς. Unde Bacchus hinnuli pelle incinctus νεβρῶν δοραῖς καθαπτὸς Euripidi Hypſipyle apud Macrob. I Sat. 18, & νεβριδοστόλος Orpheo Hymn. p. 148. Et Bacchae omnes: καὶ γὰρ νεβρίδας περικαθάπτονται καὶ θύρσους φοροῦσι, inquit Plutarch. T. II, p. 364 E. Quare Tireſias in Euripid. Bacch. 176 θύρσους ἀνάπτειν καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν edicit. Atque hi quidem ſacrorum cauſa. Strabo Brachmanum aliquos in agris agere ἐνημένους νεβρίδας prodidit XV, pag. 1047 B. ubi Caſaub. ἐνειμένους

vel *καθειμένους* legit; ego *ἐνημμένους*, ut Ariſtoph. Nub 72, *διφθέραν ἐνημμένος*. Philoſtrat. Her. 15, *δορὰς δὲ παρδάλεων ἐνῆπτο τοῖς ὤμοις*. WESS.

ead. l. 13. Κέρατα δ' αὐτῇ περιτιθέασιν) Iſim bubulis cornibus ornatam inſtructamque Aegyptii fingebant & pingebant. Aelian. X H. A. 27: *καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Ἶσιν Αἰγύπτιοι βούκερων καὶ πλάττουσι καὶ γράφουσι·* quod accepiſſe videtur ab Herodoto II, 41. Mercurium vero Plutarch T. II, 358 D. galeam, ex bubulo capite formatam, Iſid impoſuiſſe refert, *περιθεῖναι βούκρανον αὐτῇ κράνος·* qua galea inſignis eſt in fictili icuncula apud Io. Bapt. Caſaliun de Aegypt. Ritib. c. 21, quamque eo longe melius illuſtravit Gisb. Cuperus Harpocr. p. 109. De bove Iſidi ſacro infr. I, 85. WESS.

Pag. 36. *l.* 3. Τούτους δὲ τοὺς θεοὺς ὑφίστανται) Etſi Codd aliqui in alia omnia eant, non dubito, quin verum ho ſit: nam & mox *καὶ παρθένον ὑποστήσασθαι*, *& virginen cam arbitrari*; & cap. 6, *καὶ ἄφθαρτον ὑποστησάμενοι τὸ κόσμον*, dixit. Quae ſequuntur Euſeb. inſeruit III P. Ev 3. WESS.

ead. l. 5. Τριμερέσιν ὥραις) Vid. I, 26. WESS.

ead. l. 9. Φύσιν συμβάλλεσθαι πλείστην) Hic *πλεῖστο* lego. Sed neſcio quid ſcrupuli iniicit hyperbaton & enallage. Si ſcriptura omnino retinenda videatur, interpretatio haec efficitur: *Naturaeque plurimum ad generationem omniu rerum conferre hos Deos, alterum igneae & ſpiritualis* (*πνευματώδους*), *alterum humidae & ſiccae, utrumque ſimul aëria* Sed iudicium penes eruditiores. RHOD. Συμβάλλεσθαι πλεῖστα) Coniurarunt Mſſ. in retinenda voce *πλείστην*. Eg tamen *πλεῖστα* propter Euſeb. ſcriptum Cod. quo uſu eſt Fr. Vigerus, & quia Diodorus atque optimus quiſqu ita ſolent, recepi: ſic enim brevi poſt, *καὶ πολλὰ συμβάλλεσθαι πᾶσιν εἰς γένεσιν·* & XI, 21, *συνεβάλετο δ αὐτῷ καὶ τὸ αὐτόματον πρὸς τὴν ἐπινοίαν μεγάλα·* II, 31 *πλεῖστα δὲ πρὸς τὰς γενέσεις τῶν ἀνθρώπων συμβάλλεσθα τούτους τοὺς ἀστέρας ἀγαθά τε καὶ κακά·* quae his ſimilima id quoque, quod addi ad ſenſum oportet, indican Arius Didymus apud Euſeb. XV P. E. 15: *καὶ πλεῖστ συμβάλλεσθαι πρὸς τὴν τῶν ὅλων διοίκησιν*. Adde ſup cap. 2. WESS.

ead. l. 14. Τὰ δὲ τούτων μέρη) Pendent haec, neque e in ſequentibus verbum, quo referantur. Quod genus ἀν

κολούθου haud infrequens. Ioſephus XII A. I. 3, 3: τοὺς γὰρ Ἰουδαίους, ἐπ' Ἀντιόχου τοῦ μεγάλου βασιλεύοντος, ἔτυχεν αὐτοὺς πολλὰ ταλαιπωρῆσαι. Pauſan. VIII, 33: νῆσον δὲ ἄλλην καλουμένην Ἱερὰν, τόνδε οὐκ ἦν χρόνον· ubi doctiſſimus Kuhn. quem & vide in Aelian. II V. H. 13, & Perizon. atque infr. II, 52. WESS.

Pag. 37. *l.* 9. Δία προσαγορεῦσαι) Plutarch. T. II, p. 365 D. Δία μὲν γὰρ Αἰγύπτιοι τὸ πνεῦμα καλοῦσι. Sic quidem illi. Aliis aliud eſſe viſus eſt: neque enim de Iove inter veteres conveniebat. Vid. Euſtath. in Iliad. A, pag. 20. WESS.

ead. l. 15. Πατὴρ ἀνδρῶν) Iliad. VIII, 49, & plurimis alibi locis. RHOD.

Pag. 38. *l.* 1. Ἥφαιστον ὀνομάσαι) Gentis Aegyptiae ſermone *Pthas* erat. Αἰγύπτιοι δὲ ὁμοίως πράξαντες, καὶ τὸ πῦρ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ΦΘΑΣ καλέσαντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἥφαιστος, Homil. Clement. IX, 6, ubi plura Coteler. WESS.

ead. l. 6. Δήμητρα καλεῖν) Nihil intereſt, hoc malis, an Δήμητραν, quamquam Noſtro ita ſaepius placeat. Opportune Philo Iud. Mund. Opif. pag. 30 C. Μήτηρ δ' ὥς ἔοικε καὶ ἡ γῆ, παρ' ὃ καὶ τοῖς πρώτοις ἔδοξεν αὐτὴν Δήμητραν καλέσαι, τὸ μητρὸς καὶ γῆς ὄνομα συνθεῖσιν. Lucret. V, 818: *Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta Terra tenet, quoniam genus ipſa creavit Humanum, atque animal prope certo tempore fudit Omne.* Vid. infra III, 62. WESS.

ead. l. 11. Ὀνομάσαι — Ὠκεανὸν) In Codice uno eſt non Ὠκεανὸν, ſed Ὠκέλμην· at pag. 22 habet Ὠκεάμην. STEPH. Ὠκεανὸν ὃ μεθερμηνευόμενον) Conſule H. Stephani annotationem, qui Ὠκεάμην legendum cenſet. RHOD. Ὠκεάνην, ὃ μεθερμηνευόμενον) Sic ſcripſi ex c. 19, & propter Clarom. utriuſque & Florent. Ὠκέλμην, quod ſine controverſia ex altero ortum, etſi leviter vitiatum. Forte Pherecydes ſuum Ὠγῆνον inde extudit apud Clement. Alex. VI Stromat. p. 741, & Origen. VI in Celſ. p. 664 A. A Pherecyde accepit Lycophron, ſtudioſiſſimus tenebrarum ſectator, Alexand. 241. WESS.

ead. l. 15. Ὠκεανόν τε θεῶν) Iliad. XIV, 302. RHOD.

Pag. 39. *l.* 1. Νομίζουσιν Ὠκεανὸν εἶναι) Repetuntur haec c. 19 & 96. Cuius opinionis occaſionem arripuiſſe videntur ex Homero & veterum illis, quibus Ὠκεανὸς ingens fluvius fuit viſus, ſicuti docent Schol. in Euripid. Oreſt. 1377. Fr. autem Vigerus cur ad Euſeb. ſuum hoc loco

πρὸς οὗ καὶ τὰς τῶν θεῶν γενέσεις maluerit, urgens cauſa non erat. Wess.

ead. l. 7. Προσαγορεῦσαι φασὶν 'Αθηνᾶν) Aegyptiis Νὴτ vel Νηὶθ, ut in Platon. Timaeo pag. 21 appellabatur. Durant eius vocis veſtigia in nomine celeberrimae reginae *Nitocris*, quam Eratoſthenes Chron. Euſeb. p. 21 'Αθηνᾶν νικηφόρον interpretabatur, & in Πατενεῒτ, Solonis in Aegypto familiari amico, apud Proclum in Tim. p. 31. De utroque in Remphah ſuo p. 74 Er. Iablonski. Mox ἄφθορον, Minervae ſatis conveniens, quippe ἀφθόρῳ κούρῃ καὶ γάμων ἀμυήτῳ, ob Codd. conſenſum verius cenſui: qua etiam de cauſa importunum illud συνέβη, quod inter μυθολογηθῆναι & ταύτην γενέσθαι locum occupaverat, delevi. Omnis enim haec oratio infinita eſt. Wess.

ead. l. 13. Τριτογένειαν) Alias nominis eius cauſas habet III, 70, V, 72. Hanc inter alias produxit Tzetzes in Lycophr. 519: Ἢ ὅτι ἡ αὐτὴ ἐστι τῷ ἀέρι. Τρὶς γὰρ ὁ ἀὴρ γεννᾶται καὶ μετατρέπεται, ἔαρι, θέρει, χειμῶνι· τὸ γὰρ παλαιὸν τριμερὴς ἦν ὁ χρόνος· quae, quod hinc ſumta videantur, adſcripſi. Wess.

ead. l. 15. Καὶ Γλαυκῶπιν) Solemnis illi apud poëtam aliosque titulus. Ἄγαλμα τῆς 'Αθηνᾶς γλαυκοὺς ἔχον τοὺς ὀφθαλμοὺς in Vulcani fano Pauſan. I, 14, vidit. Tu vero N. Heinſium ad Ovid. II, A. A. 659, & T. Hemſterh. in Lucian. D. D. VIII, p. 227. Wess.

Pag. 40. *l.* 2. Τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἄγλαυκον) Repone ex Euſeb. ἔγγλαυκον pro ἄγλαυκον. Steph. Ἔγγλαυκον legendum eſſe, ipſe contextus evincit. Etymologia ſane erudita eſt Homerici epitheti γλαυκῶπις. Rhod. Τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἔγγλαυκον) Parui viris egregiis, & ſuum ſibi habere iuſſi. Cornutus Nat. D. c. 20 haud diſſimilia ſcripſit: Ἔνιοι δέ φασι τοιαῦτα αὐτῇ (agit de caeſiis Minervae oculis) παρεισάγεσθαι, διὰ τὸ τὸν ἀέρα γλαυκὸν εἶναι. Wess. Sam. Clarke γλαυκὸν mavult ad Homeri Il. A, 206. Mihi potior Euſebii auctoritas. Heſychium adde in ἐγγλαυκῶσαι. Idem *in Addend.*

ead. l. 5. Ἐν ἱερῶν ζώων μορφαῖς) Nugaciſſima eorum haec commenta fuſius perſequitur I, 86. Wess.

ead. l. 9. Εἰς Αἴγυπτον παραβαλόντα) Sic I, 44, καθ' ἣν ἡμεῖς παρεβάλομεν εἰς Αἴγυπτον· II, 1, ὅσοι παραβαλόντες εἰς Αἴγυπτον· & III, 11, alibique. Fuiſſe poëtam in Aegypto, ſignis quibuſdam vincere conantur I, 97. Cautius

profecto, quam qui regionis eius indigenam ſatis fidenter tradiderunt, reprehenſi a L. Allatio Homer. Patr. c. 4. De Homeri vero his verſibus longe prudentius ſententiam dixit Plato II Rep. p. 381. Wess.

Pag. 41. *l.* 5. Τετυχηκότας τῆς ἀθανασίας) Et haec digna Euſeb. cenſuit, quae in II P. E. 1 adderet. Nihil autem interceſſero, ſive tu τετευχότας, ſeu vulgatum probaveris. Solent ea pro librariorum arbitrio permutari: nam quod in Demoſth. Midian. pag. 361 καὶ πατρίδος τετυχηκὼς, id aliis τετευχὼς videbatur ſcribendum; quam eandem diſcordiam habebimus III, 9. Crebrius tamen τετευχὼς & τετευχέναι in hoc ſcriptore. Vid. I, 48, 57, IV, 16, V, 75. Wess.

ead. l. 10. Ἄμμωνα προσαγορευόμενον) Aegyptiis Iuppiter erat & dicebatur Ἀμμοῦν. Herodot. II, 42: Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Idem ſacras nobis literas diverſis locis affirmare, abunde patefecit S. Bochartus I Phal. 1. Wess.

ead. l. 14. Πρῶτον Ἥφαιστον βασιλεῦσαι) Vulgatior ea fama fuit. Φθὰς, ὃ ἑρμηνεύεται Ἥφαιστος, οὗ τῷ ὀνόματι καὶ ὁ παρ' αὐτοῖς πρῶτος βασιλεύσας προσαγορεύεται, Homil. Clement. IX, 6. Huic, Nili filio, ſucceſſorem & filium dat Solem Palaephatus in Chron. Paſchal. p. 45, atque ex eo Suidas in Ἥλιος. Wess.

Pag. 42. *l.* 5. Ἀεὶ τῆς ὕλης ἐπιβάλλειν) Omiſſum pronomen τὶ neminem morabitur, quippe ſolemne. Infra V, 46, καὶ τούτων οὐκ ἔστιν ἐξενεγκεῖν ἐκ τῆς νήσου. Ariſtoteles V Politic. 4, οἱ δὲ ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων. Syneſ. Encom. Calvit. p. 72 D. ὥστε ἄν τις τῶν πατρίων παρακινῇ, ταχὺ πιεῖται τὸ κώνειον. Polybium non addo: ex eo exempla congeſſit Iac. Gronovius I, 42. Wess.

ead. l. 12. Ἐκ δὲ τούτων γενέσθαι) Ex Iove & Iunone, qui propterea Oſiridis & Iſidis parentes c. 15. Secus Aegyptiorum illi, quibus hi quinque Saturno & Rhea progeniti videbantur. Plutarchus T. II, p. 429 F. καὶ τὴν Ῥέαν Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσι πέντε θεοὺς τεκεῖν· & diſtinctius p. 355 D. ubi quinque ἐπαγομένας fuiſſe ait τῶν θεῶν γενεθλίους, & eos hoc ordine editos, prima die Oſirin, ſecunda Apollinem, tum Typhonem, quarta Iſin, ultima Venerem, qui diſſenſus hac in Theologia frequens. Wess.

Pag. 43. *l.* 7. Παῦσαι τῆς ἀλληλοφαγίας) Probum videri poſſet τῆς ἀλλήλων σφαγῆς ob haec Iſidis ad filium Ho-

rum de ſe maritoque, *οὗτοι τὸ τῆς ἀλληλοφονίας ἔπαυσαν ἄγριον*, in Eclog. Io. Stobaei Phyſ. p. 124. Ego tamen in vulgato acquieſco, rei ipſi percommodo. Philo Iud. de Execrat. p. 931 D. *τρέψονται ἐπ᾽ ἀλληλοφαγίας οὐ μόνον ἐθνῶν καὶ μηδὲν προσηκόντων, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκειοτάτων·* & Noſter XXXIV, Eclog. 2, p. 906, *ὥστε τῆς αὐτῶν ἀλληλοφαγίας μηδ᾽ ὅλως φείσασθαι.* Quae poſtrema, ut in dira fame, facta haud nego: ſed primos homines ſeſe ipſos voraſſe, etſi ſatis eleganter Moſchion in Stob. Ecl. Phyſ. p. 18, *Βοραὶ δὲ σαρκόβρωτες ἀλληλοκτόνους Παρεῖχον αὐτοῖς δαῖτας*, nondum mihi perſuadeo. Wess.

ead. l. 11. *Τοῦ δὲ Ὀσίριδος ἐπινοησαμένου*) Oſiridi repertae fruges tribuuntur in Plutarchi T. II, p. 356 A. quarum partem ſibi Iſis vindicat Ecl. Io. Stobaei Phyſ. pag. 124. Mox mihi viſa eſt Codd. Reg. & M. ſcriptura melior. Wess.

Pag. 44. *l.* 2. *Ἐξ ἀρχαίων*) Sic mox c. 21, & XIV, 45; *οἷς ἐξ ἀρχαίων ἐπιβουλεύουσι·* & XIII, 45, *οἱ δὲ Σελινούντιοι ἐκ πολλῶν ὄντες ἄπειροι πολιορκίας·* pro quibus Lucas A. A. XXIV, 10, *ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει·* & Noſter XIX, 22, *τῆς πόλεως γεγενημένης εὐδαίμονος ἐκ πολλῶν χρόνων.* Fuiſſe autem in veteri more poſitum, ut Deos Deaſque oblatis frugibus venerarentur, docet Porphyrius IV Abſt. A. 22. Wess.

ead. l. 4. *Θέντας τοὺς ἀνθρώπους*) In verſione *ἀναθέντας* expreſſi, quod ad ritus ſacrorum magis quadret. Rhod. Nihil contra Codd. auctoritatem demuto: ſive enim humi poſitos velis, ſeu, quod & ego malim, Iſidi ſacratos manipulos, res bene habebit; nam & *θέσθαι* de hoc genere haud inviſitatum. Apollodorus I Florileg. 3, p. 7, *τίς θέτο μαρμαίροντα βοάγρια*; ſicuti neque Latinorum *ponere*. Vide Munker. Hygin. Fab. 3, & A. van Staveren Nepot. Pauſan. 1. De planctu in ſacris Iſidis nihil addo. Habet egregia Lactantius I Div. Inſt. 21, & Iac. Gronov. in Herodot. II, 61. Wess.

ead. l. 8. *Καὶ τοῖς Ἰσείοις*) Hoc verius, recurritque I, 87, quamquam ſolemnis paene horum permutatio, uti *Ἰσίου* & *Ἰσείου* in Heliodori L. VII, p. 314 & 320. Atque haec eſt *πανήγυρις*, quam Tithorenſes Iſidis in honorem more Aegyptio bis quotannis, vere atque autumno, magno apparatu celebrabant, teſte Pauſan. X, 32; nec multum diverſa ea videtur, cuius pompam pompaeque inſtrumenta

deſcribit Apuleius X Metamorph. p. 261. Graeci, ut mul-a alia, Cerealem pompam, & Calathum, ſolemne eius ferculum, ſpicis frugibuſque refertum, monſtrante Melampode apud Clement. Alex. Protrept. p. 12, & infr. I, 97, aut Danaïdibus, ceu viſum Herodoto I, 171, hinc accepere. Indidem & Hebraeos primitiarum ſolemnia abſtuliſſe, etſi omnis in hoc ſit, difficulter Io. Spencerus III Leg. Hebr. 9, p. 894, omnibus perſuadebit. Wess.

ead. l. 11. Θεῖναι δέ φασι καὶ νόμους) Hinc ipſa de ſe & Oſiride ad filium Horum, οὗτοι πρῶτοι δείξαντες δικαστήρια, εὐνομίας τὰ σύμπαντα καὶ δικαιοσύνης ἐπλήρωσαν· οὗτοι δεξιᾶς καὶ πίστεως ἀρχηγέται γενόμενοι καὶ τὸν μέγιστον θεὸν ὅρκον εἰσηγάγοντο εἰς τὸν βίον, in Eclog. Phyſ. o. Stobaei p. 124. Quae legum latarum & iuris inter homines conſtituti cauſa fuit, cur deinceps ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΙ; ut in lapide Reineſiano Claſ. I, CXXXV, ſacra nt facta. Wess.

ead. l. 15. Τὴν Δήμητραν Θεσμοφόρον) Legitur & Ἶσιν pro Δήμητραν. Quamquam autem Cererem, non Iſin, appellari θεσμοφόρον, id eſt *legiferam* Virgilio, & θεσμοφόρια non Iſidis, ſed Cereris dici ſacra conſtat; referenda tamen eſt haec lectio Ἶσιν ad id, quod paulo antē dixit, καὶ τὸν μὲν Ὄσιριν μεθερμηνευόμενον εἶναι Διόνυσον, τὴν δὲ Ἶσιν ἔγγιστά πως Δήμητραν. Steph. Τὴν Δήμητραν) Hoc magis placuit, quam Ἶσιν, quia Graecis uſitatius. Vide L. Gyraldi Syntagma XIV de Cerere in Hiſtoria Deorum. Rhod. Bene viri docti. Etſi eadem Iſis ac Ceres, non illo tamen nomine antiquiſſimis Graecis culta cognitaque fuit. Diodorus quid voluerit, ipſe ſignificat V, 68: Λέγουσι δέ τινες ὅτι καὶ νόμους εἰσηγήσατο, καθ' οὓς ἀλλήλοις τὸ δίκαιον διδόναι συνειθίσθησαν ἄνθρωποι, καὶ τὴν παραδοῦσαν αὐτοῖς θεὰν ἀπὸ τούτων ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΝ προσηγόρευσαν. Gruterus Theſ. p. CCCIX, 1, habet ΜΕΓΑΛΗΝ ΘΕΑΝ ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΝ ΔΗΜΗΤΡΑ. Wess.

Pag. 45. *l.* 2. Κτίσαι δέ φασι τοὺς περὶ τὸν Ὄσιριν) Syneſius I Provid. p. 94 B. & II, p. 117 C. urbem hanc Oſiri priorem facit. Noſtro aſſentiuntur Stephan. Διόσπολις & Schol. Iliad. I, 383. Wess.

ead. l. 11. Περὶ οὗ τὰ κατὰ μέρος) Infra I, 45. Wess.

ead. l. 12. Ἱδρύσασθαι καὶ ἱερὸν) Diſtinguunt ἱερὸν & ναοὺς, poſteriore fana, priore ipſum locum ſive τέμενος, in quo aedificatum id templum, deſignant, uti IV, 85. Vide Duker.

in Thucyd. IV, 90. Bene ergo perſonata Iſis τεμένη, inquit προγόνοις θεοῖς καὶ θυσίας καθιέρωσαν, in Ecl. Phyſ. Stol p. 124. Tametſi autem magnae olim opes Aegyptiorum putem hos ναοὺς χρυσοῦς parvas fuiſſe aediculas, ſicuti I 97, XX, 14, & Artemidor. IV, 33. Alia O. Borrichius ſed quae non placent, Hermet. c. 13, p. 61. Wess.

Pag. 46. *l.* 6. Χαλκουργείων εὑρεθέντων) *Aeris aurique m talla*, ut II, 52; μέταλλα χαλκοῦ καὶ χρυσοῦ I, 33; χαλ κουργὰ μέταλλα Dioſcoridi V, 106. Hinc in haec metal depreſſi, οἱ ἐργαζόμενοι τὰ χαλκουργεῖα V, 36. Conf III, 12. Wess.

ead. l. 8. Φιλοτίμως ἐξημερῶσαι τὴν χώραν) Sic II, 3 de Zarina, τῆς δὲ χώρας πολλὴν ἐξημερῶσαι, καὶ πόλε οὐκ ὀλίγας κτίσαι. Illa enim magnam Scythiae partem a mitiorem cultum traduxiſſe fertur. Et c. 40, καὶ φιλοπ νοῦντες ἐξημεροῦσι τὴν Ἰνδικὴν, interfectis feris, quae ea infeſtant. Herodotus I, 126, πάντη τοῦτόν σφι τὸν χῶρ προεῖπε ἐξημερῶσαι, ſilveſcentem & ſpinis horrentem. L banius T. II, p. 124 D. πρῶτον μὲν χῶρον ἐξηγριωμένον ἐ Θρᾴκης, πλεῖστον ὅσον ἡμέρωσε, τοὺς γεωργήσοντας παρ σχών. Dicitur & Hercules, monſtrorum domitor, ἐξημ ρῶσαι γαῖαν Euripidi Herc. F. 20; & Alexander ἐξημερ σαι τὴν Ἀσίαν Plutarcho T. II, p. 328 D. Wess.

ead. l. 11. Φιλογεωργὸν τὸν Ὄσιριν) Tibullus I, 8, 29,

Primus aratra manu ſollerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertae commiſit ſemina terrae,
Pomaque non natis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura caedere falce comam.

ubi Ian. Broekhuiſ. Diodori haud oblitum, vide. Wes

ead. l. 12. Τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας ἐν Νύσῃ) Haec par reſpondent poëtae verſibus, qui ſequuntur. Si Nyſa pr pe Nilum, quomodo in Arabia felice? Prudentius Νύσ τῆς Ἀραβίας III, 63, & τὴν κατ' Ἀραβίαν Νῦσαν III, 7 appellat: at mox c. 19, κατ' Αἴγυπτον· & IV, 2, μετ Φοινίκης καὶ Νείλου collocat, parum quoque commode. H rodot. II, 146, in Aethiopiam transfert. Adeo ſibi c ſtant fabulae. Vid. virum doct. in Marmor. Oxon. p. 1 Νύσαν autem & Νύσσαν ſcribunt; ſed ſi Διόνυσος, ut I 2, etiam cenſet, hinc dictus eſt, prior ſcriptura pot erit. Conf. Etymologum in Διόνυσος, &, ſi Arabicam

is originem deſideras, Ed. Pokok. Spec. Hiſt. Arab. pag. 06. Wess.

Pag. 47. *l.* 1. Ἐν τοῖς ὕμνοις) Hymnorum & hic, & III, 6, IV, 2, Homerum facit parentem, ut Io. Alb. Fabric. I B. G. 2, 4, commonefecit. Habet & Schol. Apollon. Rhod. II, 1215, hos verſus, ſed levi cum diſcrimine, de quo III, 76, dicetur: quod eos autem Herodoro, cuius Ἀργοναυτικὰ & libri περὶ Ἡρακλείας ex his Scholiis ac Stephano noti ſunt, tribuit, eius ego culpae immunem puto; verba enim hominis ſunt defecta, nec poſteriora prioribus cohaerent; ut excidiſſe videatur poëtae, cui verſus debentur, nomen. Wess.

ead. l. 7. Πρῶτον οἴνῳ χρήσασθαι) Atqui nullae erant in Aegypto vites, propterea que incolae aut vino ex hordeo aut aliunde importato utebantur, ſi fides Herodoto II, 77, & III, 6. Neque reges id ante Pſammetichum bibebant, natum, uti ferebant, ex eorum ſanguine, qui Deos olim peſſimo auſu oppugnarant, docente Plutarcho T. II, pag. 355 B. Sed vitem regioni non plane defuiſſe indicant querelae Iudaeorum Numeror. XX, 5; ut de Strabone XVII, p. 1163 B. Plinio XIV, 7, & Athen. I, p. 33, habitum provinciae, quo ſua erat aetate, ſpectantibus, ac de voce ...πις, qua Αἰγυπτιστὶ ὁ οἶνος, teſtibus Euſtathio & Tzetze in Lycophr. 579, taceam. Συγκομιδὴ οἴνου, qua de mox, eſt ipſa vindemia, uti συγκομιδὴ καρπῶν meſſis ſive frugum in horrea collectio Baſilio M. T. II, p. 48 C. & Nonno III, 63, XIX, 65. Conf. Waſſe in Thucydid. III, 5. Wess.

ead. l. 11. Διαφόρῳ φύσει κεχορηγημένον) Euſeb. κεχρημένον· ſed uſurpat & alibi Diodorus, ut hic. Steph. Διαφόρῳ φύσει κεχορηγημένον unice verum: nec diſſentit Euſeb. II P. E. 1. Suam locutionem tuetur ipſe IV, 68, ubi Daphne, Tireſiae filia, φύσει θαυμάστῃ κεχορηγημένη· & 86 Daphnis φύσει διαφόρῳ κεχορηγημένος. Iterum XV, 9, Epaminondas φυσικοῖς προτερήμασι κεχορηγημένος. Accedunt Diodoro Ariſtot. VII Polit. 1, ὁ μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένος· quod iure praeferunt vulgato κεχορηγημένης viri docti; & Strabo III p. 216 C. τοσούτοις δὲ τῆς προειρημένης χώρας ἀγαθοῖς κεχορηγημένης, ubi prave vulgo κεχορηγημένοις. Wess.

ead. l. 13. Ὑπὸ γὰρ τούτου) De Mercurio, qui Aegyptiis *Thot*, paria Plato Phileb. p. 18 B. C. & Phaedr. p. 274

C. D. Plutarch. T. II, p. 738 E. Cicero III N. D. 21, ub
Daviſ. cui adde Io. Alb. Fabric. I B. G. 12. Wess.

Pag. 48. *l.* 3. Καὶ παλαίστρας εὑρετὴν) Miſcet Diodo rus, monente Io. Marshamo Canon. Chron. p. 36, Mer curium Aegyptium & Graecum; hic palaeſtrae exercita tiones invenit infr. V, 75, non ille: alioqui & Aegyptia iuventuti conſuetudo fuiſſet, palaeſtrae ſe dedere; quan illis aufert I, 81. Haud ſcio tamen, an excuſari poterit e colore, quo uni Mercurio omnium artium origo adſcri bitur, quippe τῷ πατρὶ τῶν λόγων Aelian. X H. A. 29, & λόγου δεσπότῃ καὶ ἐργάτῃ τέχνης ἁπάσης Galen. prin Protrept. Adde O. Borrichii Hermet. c. 1 & 2. Wess.

ead. l. 5. Λύραν τε εὑρεῖν) Pro λύραν τε εὑρεῖν, ἣν ποιῆσαι τρίχορδον, legitur etiam λύραν τε νευρίνην ποιῆσαι τρίχορ δον· ſed mihi perſuadeo, hanc lectionem ex illa fuiſſe de pravatam. Steph. Alias λύραν τε νευρίνην ποιῆσαι· quo tamen repudiandum videtur. Rhod. Numerum chordaru veteris lyrae plerique ampliorem faciunt & ἑπτάχορδο Homer. Hym. Merc. 51, Eratoſth. Cataſt. 24, Lucian. I D. VII, 4, atque alii. Lyram tamen τρίχορδον habent Ety mol. Ἀσιάτις & Stephan. Ἀσία, numique Lilybaetanoru Tab. XCIV *Parutae*, de quibus Ezech. Spanhem. in Ca lim. H. Del. 253, p. 467, & Io. Alb. Fabric. I B. Gr. 1 Iam verum ſi eſſet, antiquiſſimo aevo lini uſum loco cho darum in lyra obtinuiſſe, uti cenſent Critici in Iliad. 570, prorſus inepta foret eorum Codd. ſcriptura, qui νε ρίνην oſtendunt. Verum longe diverſa Aegyptii docent Plutarchi T. II, pag. 373 C. καὶ τὸν Ἑρμῆν μυθολογοῦσι ἐξελόντα τοῦ Τυφῶνος τὰ νεῦρα, χορδαῖς χρήσασθαι. Qu re haud multum abſum ab ea lectione probanda. Wes

ead. l. 12. Ἱερογραμματέα) Pro hac ſcriptura vel hic cus Luciani facit Μακροβίων principio: καὶ γένη δὲ ὅ μακρόβια ἱστορεῖται διὰ τὴν δίαιταν· ὥσπερ Αἰγυπτίων καλούμενοι ἱερογραμματεῖς, Ἀσσυρίων δὲ καὶ Ἀράβων οἱ ἐ γηταὶ τῶν μύθων, Ἰνδῶν δὲ οἱ καλούμενοι Βραχμᾶνες. S & ipſe Diodorus in alio huius libri loco, (I, 70) ὁ ἱερογραμματεὺς παρεγίνωσκε τινὰς συμβουλίας καὶ πράξ συμφερούσας ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων. Item in alio, (I, 8 διόπερ καὶ τοὺς ἱερογραμματεῖς φορεῖν φοινικοῦν ῥάμμα πτερὸν ἱέρακος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Steph. Aegyptiorum ἱ γραμματεῖς ſive γραμματεῖς ἱεροὶ Aelian. XI H. A. notiſſimi ſunt, eorumque numero Iannes & Iambre

Numenio inſeruntur in Euſeb. IX P. E. 8. De Mercurio dubites, quem *γραμματέα* Saturni, qui Oſiridis aut pater aut avus, Sanchuniathon facit Euſeb. I P. E. 10, p. 36. Teneat tamen honoris hunc gradum *τῶν ἱερογλυφικῶν* conditor apud Clement. Alex. VI Strom. p. 757. WESS.

Pag. 49. *l.* 1. *Ὥσπερ εὐεργετικὸν ὄντα*) Pro *εὐεργετικὸν* invenitur etiam ſcriptum *εὑρετικόν*· quae lectio margini adſcripta non fuit, quod ipſe Diodorus tanquam digito eam, quam ſequi debeamus, oſtendat: ſubiungit enim ſtatim, *διὰ τὸ μέγεθος τῆς εὐεργεσίας*· & pag. ſeq. *ὡς θεὸν ἀποδεχομένου αὐτὸν διὰ τὰς εὐεργεσίας*. Sed & p. 12 legimus, *τέλος δὲ τὸν Ὄσιριν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπελθόντα, τὸν κοινὸν βίον τοῖς ἡμερωτάτοις καρποῖς εὐεργετῆσαι*. Nec vero Diodorus in hoc, de quo nunc agitur, loco exponere vult, ut invenerit Oſiris ad victum pertinentia, ſed ut iam inventa docere totum orbem, atque ita de eo bene mereri, ac beneficentiae laudem adipiſci in animo habuerit. STEPH. Aſſentior H. Stephano. Erat inter Oſiridis honoris titulos, ut *εὐεργέτης* audiret: Plut. T. II, p. 368: *ὁ γὰρ Ὄσιρις ἀγαθοποιός. τὸ δ' ἕτερον ὄνομα τοῦ θεοῦ τὸ ΟΜΦΙΝ εὐεργέτην ὁ Ἑρμαῖός φησι δηλοῦν ἑρμηνευόμενον*. Fuit ille quidem *πρὸς πᾶν χρήσιμον εὑρετικὸς*, uti de Baccho III, 70. Sed ea de re c. 14 & 15. Librariis, quod levi diſcrimine *εὐεργετικὸς* & *εὑρετικὸς* diſtent, eas voces permutare ſolemne eſt, uti I, 25. WESS.

ead. l. 8. *Τιμῶν ἀθανάτων τεύξεται*) Eadem haec IV, 1. Sunt *τιμαὶ ἀθάνατοι*, quae Diis immortalibus tribuuntur. De Heſpero III, 60, *διὰ δὲ τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ τὸ πάθος τὰ πλήθη ἐλεήσαντα τιμὰς ἀθανάτους ἀπονεῖμαι*· & de Baccho Ariadnen conſecrante IV, 62, *διὰ τὴν φιλοστοργίαν ἀθανάτων καταξιῶσαι τιμῶν*· & mox de Iſide c. 22, deque Atlante III, 56. Aliter Appian. Alex. II B. C. 891, *καὶ τιμὰς αὐτῷ τὰς πάλαι δεδομένας ἀθανάτους διαμένειν*· honores enim, Caeſari decretos, perpetuos eſſe debere Antonius cenſet. Quam autem *δίαιτην ἥμερον* paulo ante Diodorus vocavit, ea *ἥμερος τροφὴ* Athen. III, 2, quia frugibus inventis tandem glandibus veſci deſierunt: atque hoc initium *τοῦ καθαρείου* ſive *ἀληλεσμένου βίου*, de qua egregie Iſ. Caſaub. in Athen. XIV, 12. WESS.

Pag. 50. *l.* 3. *Καὶ θαυμαζόμενον ἐπ' ἀνδρείᾳ*) Non moveor Codd. Co. & Cl. 2. auctoritate, ut a vulgato recedam: Hercules enim *ἐγένετο ῥώμῃ τε σώματος πολὺ προέ-*

χων τῶν ἄλλων ἁπάντων, καὶ ψυχῆς λαμπρότητι περιβόη-τος IV, 10. Quare & eius aemulus Nicoſtratus τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ διαφέρων ἐμιμεῖτο τὸν Ἡρακλέα XIV, 44; & Coragus & Dioxippus τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ καὶ τῇ τῆς ἀλκῆς ὑπεροχῇ θαυμαζόμενοι XVII, 100. Conf. XV, 69 Wess.

ead. l. 5. Πρὸς Φοινίκην κεκλιμένων) Potius hoc viſum ob τόπους τοὺς πρὸς ἄρκτον κικλιμένους I, 27, & τοὺς πρὸς ἑσπέραν κεκλιμένους V, 79. Sunt ἐπιμεληταὶ praefecti regionum & curatores, ἐπιμελησόμενοι τῆς χώρας, ut cap ſeq. Plura Ezech. Spanhem. Diſ. IX, P. N. p. 714. Wess.

ead. l. 9. Καὶ τὸν ἀδελφὸν) Horus eſt Aegyptiorum. Aelian. X H. A. 14, de Apolline, cui accipiter apud Aegyptios ſacratus, καὶ τὸν μὲν θεὸν Ὧρον καλοῦσι τῇ φωνῇ τῇ σφετέρᾳ. Vid. infra I, 25. Wess.

ead. l. 16. Φυτὸν Ὀσίριδος) Eadem haec Plutarch. T. II p. 365 D. Wess.

Pag. 51. *l.* 5. Τὴν δάφνην προσάψαντας) Tribuiſſe cer auctori aut repertori. Sic III, 63, τὴν περὶ τὸν οἶνον πραγματείαν συμφώνως αὐτῷ προσάπτουσι· & V, 73, Ἀθηνᾷ δὲ προσάπτουσι τήν τε τῶν ἐλαιῶν ἡμέρωσιν. Adde V, 73. De arboribus in tutela Deorum Phaedrus III, 17. Wess.

ead. l. 8. Ἀνουβίν τε καὶ Μακεδόνα) Anubin Oſiridis F. habet & Plutarch. T. II, p. 356 F. cum Noſtro tamen diſſentiens. Macedoni alius pater fuit, & Iuppiter quidem ex Heſiodi & Steph. Μακεδονία, ex Aeliani vero X H. A 48, ſententia Lycaon, Emathiae rex. Credo Aegyptios poſt Lagidarum imperium Macedonem ſibi vindicaſſe. Wess.

ead. l. 11. Περιθέσθαι κυνῆν) *Galeam ex pelle canina*, quae olim in frequenti cum eſſet uſu, κυνέη & κυνῆ poſt deinde quamvis galeam ſignavit. Auctor Vit. Homer. p. 293 Ἡ μὲν γὰρ περικεφαλαία κέκληται κυνέη παρ' αὐτῷ, ἐπεὶ ἐκ δέρματος κυνὸς γενέσθαι αὐτὴν ἔθος ἦν· quibus ſimilia Euſtath. in Homer. p. 421. Hinc Anubis *latrator* κυνοπρόσωπος Lucian. D. M. VII, 2, & infr. I, 87. Wess.

ead. l. 12. Λύκου προτομὴν) *Pellem lupi caput & rictum exhibentem.* Λύκου στόματος τὸ χάσμα σκέπειν τὴν κεφαλὴν ὥσπερ ἀνδρὸς ὁπλίτου κράνος, quo caput magno ſuo malo texerat Dorcon in Longi Paſtor. I, p. 19. De Chimaera Apollodor. II, 3, 1, εἶχε δὲ προτομὴν μὲν λέοντος. Ceteroqui expreſſae imagines umbilico tenus, ut προτομαὶ Καίσαρος Ioſeph. XVIII A. I. 3, 1. Plura I, 96. Wess.

Pag. 52. *l.* 3. Ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Χέμμιν ἢ Χεμμὼ) Verba haec Χέμμιν ἢ de more incluſa ſunt notis (*loquitur de ſua editione,*) ut quae in quibuſdam tantum ſint exemplaribus. Mallem tamen Χέμμιν, ut & apud Herodotum (II, 91) legitur: ἔστι καὶ Χέμμις πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς τῆς Νέας πόλεος. Apud eundem (II, 156) vero eſt inſulae nomen, quam & Χέμβιν ab Hecataeo dictam tradit Stephanus. A Valla autem *Echemmis* appellata fuit in interpretatione loci Herodoti, Νῆσος ἡ Χέμμις καλεομένη. Coniunxit enim ἡ cum nomine Χέμμις tanquam primam ſyllabam, cum ſit articulus. Steph. Χέμμιν) Hoc ut retineamus perſuadet Herodoti auctoritas, quem & Stephanus in notatione huius urbis citat. Heliodorus inſuper (II Hiſt. Aeth. p. 89 & 93) idem nomen uſurpat. Rhod. Ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Χεμμὼ) Hoc malui. Χέμμις typus & forma nominis eſt Graeca, Χεμμὼ Aegyptia, quam ſe ſequi ſatis liquido indicat. Sic Κοπτὼ, quae Κοπτὸς ceteris, Plut. T. II, p. 356 D. Λεοντὼ, Κυνὼ Euſeb. in Eſai. XXX, p. 475 B. Λυκὼ T. I Mon. Gr. Coteler. p. 404. Ἀντινὼ Moſcho Prat. Spirit. c. 73. Conf. Itin. Anton. p. 166. Wess.

ead. l. 6. Μάρωνα) Comitem & ſocium expeditionis Bacchi Maronem, ἕνα τῶν μετὰ Διονύσου τὰς στρατείας πεποιημένων, habet Athen. I, 25. Genus hominis dubium eſt. Diodorus Aegyptium facit, Homerus Odyſ. I, 297, Evanthis filium; Euripides Cyclop. 145, Bacchi. Nam quod Gottf. Olearius ad Philoſtr. Heroic. p. 661 rogat, *Bacchine itaque filius? Ita eſt; nam Evanthes, pater Maronis, Bacchi eſt ex Ariadne. Unde non* Βάκχου, *ſed* Βακχίου παῖς *dicitur apud Euripidem*: id equidem factum nollem. Ulyſſes non Bacchi nepotem, ſed plane filium, perhibet: καὶ μὴν Μάρων μοι πῶμ' ἔδωκε, παῖς θεοῦ· & mox ὁ Βακχίου παῖς· ubi ὁ Βάκχιος ipſe Bacchus eſt, ſicuti verſ. 9, 38, 155. Solet enim Βάκχειος δεσπότης, Βάκχιος θεὸς, & ſine illis ſubſtantivis Βάκχιος & Βάκχειος dici, ut bene Kuſter. in Comici Theſmophor. 997. De Triptolemo V, 68. Wess.

ead. l. 13. Μέχρι τῆς ἐς οἶκον ἀνακομιδῆς) Huiuſmodi morem reſpicit Val. Flaccus I, 378:

Tectus & Eurytion ſervato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.

Quos verſus Diodori verbis illuſtrat Had. Turneb XXII Adv. 28. Uſus iiſdem eſt Io. Spencer. III Leg. Hebr. VI, p. 856, ſed ut Aegyptiorum conſuetudines Iudaeis impingat.

Alius de coma ſuperſtitioſior ritus deſcribitur I, 83. Wess.

ead. l. 14. Περὶ τὴν Αἰθιοπίαν) At Euſebius ita, ὄντι δὲ τῷ Πανὶ περὶ τὴν Ταφόσιριν. Steph. Unde Ταφόσιριν Euſeb. acceperit, haud temere finiverim. Id ſcio, prorſus hoc loco eſſe ineptam. Iter Oſiridis ſecundum flumen in Aethiopiam deſcribitur, a quo longiſſime *Taphoſiris* aberat, unius diei itinere ab Alexandria in Africam verſus poſita, teſte Procopio VI Aedif. Iuſtin. 1. Praeterea nomen ab Oſiridis tumulo eſt nacta, quem ſane vivus videnſque haud inviſit. Dixi plura in Anton. Itiner. p. 73. Wess.

Pag. 53. *l.* 1. Φιλογέλωτά τε) Bacchum Oſiridi & hac parte ſimilem, φιλογέλωτα, & comites eius φιλογέλωτας, Iulian. Caeſar & Dio Chryſoſt. Orat. XXXII, p. 379 C. appellant. Oſiris autem non Muſicae tantum ſtudioſus, ſed & egregie peritus fuit, ſiquidem tubae, fiſtulae obliquae & πολυφθόγγου novum genus primus invenerit, quod ex Athenaeo, Polluce & Euſtath. oſtendit Cuper. Harpocrat. p. 142. Commode vero Tibullus I, 8, 43:

Non tibi ſunt triſtes curae, nec vultus, Oſiri;
Sed chorus & cantus & levis aptus amor. Wess.

ead. l. 6. Ἀφ᾽ οὗ καὶ Μουσηγέτην) Nihil magis obvium hoc eius titulo. Vid. Strabon. X, p. 717, Plutarch. T. II, p. 743 C. Ariſtid. T. I, p. 4 & 51, Pauſan. Attic. 7, Heliodor. II, p. 108. Wess.

ead. l. 9. Οὐ γὰρ πολεμικὸν εἶναι) Conſentit Plutarch. T. II, p. 356 A. Wess.

ead. l. 15. Τοὺς φόρους εἰσπραξομένους) Parum referet, ſimplexne an compoſitum eligas; utrumque de pecunia, quae exigitur, tritum. Prius habet XII, 28, κολάσας τοὺς αἰτίους, ἐπράξατο τοὺς Σαμίους τὰς γεγενημένας εἰς τὴν πολιορκίαν δαπάνας· & XIII, 40, καὶ χρήματα πραξάμενοι τοὺς Κυζικηνούς. Poſterius in Excerpt. Valeſii p. 266: ἐκτραπεὶς εἰς ὠμότητα καὶ πλεονεξίαν, εἰσεπράττετο τοὺς πολιτικοὺς χρήματα. Wess.

Pag. 54. *l.* 2. Κατὰ τὴν τοῦ κυνὸς τοῦ Σειρίου ἄστρου ἐπιτολὴν) Solet κατὰ τὴν τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴν XVII, 7, περὶ κυνὸς ἐπιτολὰς XIX, 18, κατὰ τὴν τοῦ Σειρίου ἄστρου ἐπιτολὴν IV, 84, tempus, quo canicula oritur, appellare: quod poſterius cum Codd. Vat. & uterque Clar. probent, cur ego improbem? Non ignoro Oppiani III Cyneg. 323, καὶ κύνα Σείριον οἶδε, καὶ ἀντέλλοντα φοβεῖται· ſed id huic diſſimile. Recte Tibullus I, 8, 21:

Qualis & arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis aeſtiva Nilus abundet aqua. Wess.

ead. l. 3. Ῥαγέντα κατακλύσαι πολλὴν τῆς Αἰγύπτου) Haud male vertit Rhodom. Fluctuum eſt fluviorumque, quando incitatiore impetu ingruunt & in aggeres arietant. Τοῦ μὲν κλύδωνος ῥηγνυμένου ταχύτερον, ἐκινδύνευον αὔτανδρα τὰ σκάφη συγκλυσθῆναι XX, 75. Alciphron I Epiſt. 1, τῶν κυμάτων τὰ μὲν — τὰ δὲ εἴσω ἀνοιδοῦντα ἐῤῥήγνυτο· ubi Bergler. Diodori haud eſt oblitus. Nilus hoc ſi qua eſſet ingenio, ſequebatur κατακλυσμοῦ φορὰ, τοῦ ποταμοῦ ταῖς πλημμύραις παραῤῥήξαντος τὸ χῶμα, Philo Iud. de Somniis p. 1125 B. Wess.

ead. l. 9. Τὸν μὲν ποταμὸν Ἀετὸν) Agroetas XIII Σκυθικῶν in Schol. Apollon. Rhod. II, 1253: δαπανᾶσθαι φησὶ τὸ ἧπαρ Προμηθέως δόξαι ὑπὸ τοῦ ἀετοῦ, διὰ τὸ τὴν κρατίστην τοῦ Προμηθέως χώραν τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον ἀετὸν φθείρειν· ἧπαρ δὲ παρὰ πολλοῖς, ὥσπερ καὶ οὖθαρ, τὴν εὔκαρπον λέγεσθαι γῆν. Ἡρακλέους δὲ ἐξοχετεύσαντος διόρυξι τὸν ποταμὸν, τόν τε ἀετὸν δόξαι ὑπ' αὐτοῦ κεχωρίσθαι καὶ τὸν Προμηθέα λελύσθαι τῶν δεσμῶν. Quae, quod his gemina eſſent, exſcribere placuit. Wess.

ead. l. 10. Μεγαλεπήβολον ὄντα) Suidas μεγαλεπήβολον eſſe ait τὸν μεγάλων πραγμάτων καταρχόμενον. Polybii verba, quibus utitur, id firmarent, niſi in Excerpt. pag. 1406 eſſet μεγαλεπίβολος, qua voce magna molientem indicant; cuiuſmodi ingenio erat Antiochus, de quo ibi Polybius, & Hanno in Noſtri Excerpt. Valeſianis p. 273: ὁ Ἄννων μεγαλεπίβολος ὢν καὶ δόξης ὀρεγόμενος. At μεγαλεπήβολος, qui μεγάλων ἐπιτυχὴς eſt, atque in illis proſpero ſucceſſu utitur. Sunt enim γεωμετρίας ἐπήβολοι Syneſ. Encom. Calvit. p. 71 C. & ἐπηβολώτατοι τέχνης Orat. de Reg. p. 30 B. ἐπήβολος κτήματος Themiſt. Orat. XXII, pag. 266 D. τουτέων ἐπήβολος γενόμενος Herodot. IX, 93, earum rerum compotes. Unde ἀδρεπήβολος Longin. Styl. ſubl. VIII, p. 47, & Noſtri μεγαλεπήβολος· quod, quoniam Herculi non tantum magna molienti, ſed & feliciter abſolventi, bene convenit, hoc quidem loco, tametſi omni dubio haud exemtum, priſtinam ſedem tueri paſſus ſum; non item II, 7; ubi plura. Wess.

Pag. 55. *l.* 3. Ὄνομα σχεῖν Ὠκεάνην) Hoc propius a Graecorum Ὠκεανῷ recedens amplector. Vid. c. 12. Tzetzes haec ob oculos habuit in Lycophron. Alex. 119, Τρίτων,

inquiens, ὁ Νεῖλος, ὅτι τρὶς μετωνομάσθη. Πρότερον γὰρ Ὠκεανὸς ἐκαλεῖτο, δεύτερον Ἀετὸς, ὅτι ὀξέως ἐπέῤῥευσε· τρίτον Αἴγυπτος. τὸ δὲ Νεῖλος νέον ἐστί. Forte & hinc lux accendetur Ammiani verbis XXII, 15: Nilus *aeſtuans inundatione ditiſſima ad Cataractas, id eſt, praeruptos ſcopulos, venit, e quibus praecipitans ruit potius, quam fluit: unde Atos olim accolas uſu aurium fragore aſſiduo deminuto* &c. Videtur enim obiter *Aeti* titulum tetigiſſe, &, *unde Aetos olim & accolas* &c. ſcripſiſſe. Sed hanc coniecturam, neque enim alio eam loco habuerim, doctiores conſiderent. Wess.

ead. l. 5. Ὕστερον δ' Αἴγυπτον) De nominis origine haec vir egregius Iac. Perizonius Orig. Aegypt. cap. 1: *Diſerte etiam Diodorus tradit, Nilum* antea dictum fuiſſe Aegyptum. *Vide Marsham. Sec. X, p. 238. Iam vero* Γὺψ, Αἴγυψ *&* Αἰγύπιος *Graecis notat* vulturem, *fuſci coloris avem. Inde ergo, interpoſita litera* T, *ut ſolet poſt* Π, Αἴγυπτος *&* Αἰγύπτιος *de rege, & de fluvio, & de populo iſtius terrae, quia fuſci & ſubnigri erant coloris, aeque ac* vultures. *Ne dubitemus de hac vocis ſignificatione & origine, ipſi Graeci in Gloſſis* Αἰγύπτιον *exponunt* μέλαν, nigrum, *&* αἰγυπτιάσαι *Euſtath. ad Homer. Odyſſ. pag. 1484, interpretatur* ἐπικαῦσαι, adurere. *Vid. & Scaligerum ad Feſtum in voce* Aegyptinos. Quae profecto magis vero ſunt ſimilia, quam quae infra I, 51, de rege Aegypto & a Charace apud Ethnicographum in Αἴγυπτος prodita leguntur. Wess.

ead. l. 8. Στῆσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ) Ex poëta Odyſſ. Ξ, 258, reſtitui, praeeunte ex parte aliqua Coislin. Idem cenſuiſſe L. Rhodom. Latina eius indicant. Etymol. in Αἴγυπτος habet Στήσας ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ, prave. Wess.

ead. l. 10. Καλουμένην Θῶνιν) Ad oſtium Canobicum, omnium Nili primum, ex Ariſtot. I Meteorol. 14 ſententia, fuiſſe dicitur. Strabo XVII, p. 1152 B. a Thone, quo de Homer. Odyſſ. Δ, 228, nomen accepiſſe Stephano & Euſtath. p. 1493 perſuaſit. Wess.

ead. l. 13. Ἀπὸ τοῦ βασιλ. Νειλέως) De eo I, 63. Wess.

Pag. 56. *l.* 3. Παρὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν) Oceanum Indicum, Arabiam Perſidemque alluentem. Sic enim optimus quiſque, ut ſingulari Diſſert. elegantiſſimus Hadr. Relandus oſtendit. Ego uno utar Ariſtotele, qui cum plura eſſe maria, quae non miſceantur, dixiſſet II Meteorol. 1, ὧν ἡ μὲν, addit, ἐρυθρὰ φαίνεται κατὰ μικρὸν κοινωνοῦσα πρὸς τὴν ἔξω στηλῶν θάλατταν. Neque enim aliud eſſe

poteſt ac Indicum, quod Oceano ultra Herculis columnas paulatim confundatur, quod & bene advertit Baſilius Homil. IV in Hexaem. p. 36 E. ubi philoſophi verba aemulatur. Infra II, 11, & XIX, 10, ſinus eſt Perſicus; III vero c. 18, Arabicus. WESS.

ead. l. 6. *Ἐν αἷς καὶ Νύσαν*) De Baccho omnia eadem Strabo XV, 1008 B. 1038 C. Arrian. Indic. 5, & V Exp. Alex. 1; quo loco plane ad Diodori ſententiam Acuphis, *κιττὸς γὰρ, οὐκ ἄλλῃ τῆς Ἰνδῶν γῆς φυόμενος, παρ' ἡμῖν φύεται.* Conf. infr. II, 38, & Freinshem. in Curtii VIII, 10, 14. Utcunque vero ſtatuas de Oſiridis hac in Indos expeditione, id certum mihi videtur, cultum eius multaque Aegyptiorum inſtituta inter Indos fuiſſe recepta. Docuit hoc vir egregius M. V. la Croze L. VI Hiſt. Chriſt. Indor. pag. 430 &c. neque dubitem de Nyſa apud Indos urbe, cuius ne nunc quidem memoria genti excidit, uti videbis ex Theoph. S. Bayeri Hiſtor. Regn. Bactr. p. 4; ſed haec alias. WESS.

ead. l. 13. *Ἀμφισβητῆσαι περὶ τοῦ θεοῦ*) Nihil muto, tametſi III, 65, *ἀμφισβητοῦσι τῆς τοῦ θεοῦ γενέσεως·* & XVIII, 44, *στρατιώτας δ' ἔχοντες ἱκανοὺς ἀμφισβητῆσαι πραγμάτων* dixerit: praepoſitionem enim, ut ſaepe alii, addidit I, 66. WESS.

Pag. 57. *l.* 3. *Λυκοῦργον τὸν βασιλέα*) Vid. III, 64. WESS.

ead. l. 8. *Ἐπωνύμου πόλεως*) Quae nomen ab eo accepit, quomodo de Alexandro c. 22, *ὁ κτίσας τὴν ἐπώνυμον αὐτοῦ πόλιν·* & de Hercule Appian. II B. Civil. pag. 743, qui Ionium, Dyrrachi filium, deiecit *εἰς πέλαγος, ἵνα ἐπώνυμον αὐτοῦ γένοιτο.* Aelian. H. A. V, 1, Memnoni ſacras aves *ὄρνιθας, τοὺς ἐπωνύμους τοῦ Ἥρωος*, Aeſchyl. VII contra Theb. 138, *Κάδμου ἐπώνυμον πόλιν* arcem Cadmeam appellat, & Plutarch. T. II, p. 357 E. de Peluſio & urbe & Heroë, *καὶ τὴν πόλιν ἐπώνυμον ἀπ' αὐτοῦ γενέσθαι.* Ceteroqui & *ἐπώνυμος* is eſt & dicitur, qui nomen dat atque imponit, ut vere Stanleius ad Aeſchyl. & Hemſterhuſius in Lucian. D. Marin. IX, 1. Confer infra IV, 74; & de Maronea, Thraciae urbe, Harpocrat. ac Stephan. WESS.

ead. l. 15. *Τὸ ἐκ τῆς κριθῆς πόμα*) Aretaeo Cappadoci M. A. I, 9, *τὸ ἀπὸ τῶν κριθέων πόμα·* Herodot. II, 77, *οἶνος ἐκ κριθέων πεποιημένος*, quo Aegyptii ſitim exſtinguebant. Noſter I, 34, & Theophraſtus VI Cauſ. Plant. 15,

zythum, de quo ſuo loco, appellitant. Conf. IV, 2, ubi his gemina ſunt. Wess.

Pag. 58. *l.* 4. Ἐξ ἀνθρώπων εἰς θεοὺς μεταστάντα) *Tranſgreſſum ad Deos*, quod de Auguſto Velleius II, 75. Paſſim divinae ſortis & naturae homines, ubi vita deceſſerant, ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθῆναι, ut de Hercule Lyſias Orat. XXXI, 6, γενέσθαι ἐξ ἀνθρώπων, εἶναι ἐξ ἀνθρώπων· quorum illud Lyſis Epiſt. ad Hipparchum de Pythagora, & Pauſan. IV, 26, de Epaminonda, hoc de Socrate Diogen. II, 43; reddendum & Ariſtidi T. I, p. 60, ubi ſine ἦν prave ἐπειδὴ γὰρ ἐξ ἀνθρώπων Ἡρακλῆς, μεταστῆναι ἐξ ἀνθρώπων εἰς θεοὺς, aut etiam ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως εἰς τὴν ἀθανασίαν, uti III, 73, perhibentur. Unde horum e vita migratio μετάστασις ἐξ ἀνθρώπων III, 56, 61, 63; ἐκ γῆς μετάστασις εἰς τὸν οὐρανὸν V, 72; & μετάστασιν ἐξ ἀνθρώπων ποιεῖσθαι II, 39. Eleganter & verius Io. Chryſoſtom. Orat. in Babyl. T. II, p. 531 D. de martyribus, θάνατος μαρτύρων οὐκ ἔστι θάνατος, ἀλλὰ ζωῆς βελτίονος ἀρχὴ καὶ μετάστασις ἀπὸ τῶν ἐλαττόνων πρὸς τὰ βελτίω. Wess.

ead. l. 6. Ἐπιφανεστάτων θεῶν τιμῶν) Lego cum Euſebio ἐπιφανεστάτων ἐν θεοῖς τιμῶν. Idem pro τούτους proxime ſequente habet τούτου· item περὶ αὐτοῦ ante μυστικῶς. Steph. H. Stephanus ἐν θεοῖς τιμῶν. Mihi θεῶν prorſus ablegandum videtur. Nec quidquam propterea ſententiae decedit. Ex τούτους vero, quod proxime ſequitur, litera ultima abiicienda eſt. Rhod. Si quid mutandum, Rhodomanni partibus acceſſerim. Fortaſſe tamen praeſtiterit nihil hic de loco ſuo movere: haud male enim τιμὰς τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν eas dixeris, quae Diis praeſentiſſimis deferuntur; nam & inter eos cenſitus eſt Oſiris, quorum ἐπιφάνειαι mortalibus prodeſſent, ut c. 23 indicatur. Atque ad hunc modum ſuperbiſſimus Choſroës ἐν θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ ἀνθρώποις θεὸς ἐπιφανέστατος in literis, quarum exemplar Theophylactus IV H. Maur. 8 ſervavit. Mox τούτου recepi. Wess. Καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιφανεστάτων τιμῶν, omiſſa voce θεῶν, optime Codex Venetus, cuius excerpta ſerius ad me pervenerunt. Itaque planiſſime iam adſtipulor Rhodomanno vocabulum illud tollenti. Idem *in Addend.*

ead. l. 7. Καὶ πολλὰ) Hic ex Euſeb. περὶ τούτου inferendum putat H. Steph. & paulo inferius poſt τῷ χρόνῳ, τότε mutat in ποτέ. Rhod.

ead. l. 10. Τῷ χρόνῳ) Legendum puto *παρειληφότων, τῷ χρόνῳ ποτὲ συνέβη*, id eſt, procedente tempore contigit tandem. STEPH.

ead. l. 15. Εἰς ἓξ καὶ εἴκοσι μέρη) Plutarchus in XIV partes Oſiridis corpus diſſecuiſſe, *διελεῖν εἰς τεσσαρεσκαίδεκα μέρη καὶ διαῤῥῖψαι*, T. II, p. 358 A. & 368 A. in pluribus a Noſtro diſſentiens, etſi haud male pro gentis ſuperſtitione, tradit. Vid. Ath. Kircher. T. I, Oedip. pag. 224, & Io. Fellum in Theophil. I ad Autolyc. 14. WESS.

Pag. 59. *l.* 5. Μετελθεῖν τὸν φόνον) De ancipiti hoc bello, cui Oſiris in terras redux intereſſe voluit, in Typhonem ac Titanas, nam hi caedis conſiliarii, ſuſcepto, plura I, 88, IV, 6, & Plut. T. II, p. 358 C. WESS.

ead. l. 9. Ἀνταίου κώμης) Hoc veriſſimum. Duravit vico nomen in ſera tempora, ut ex Itiner. Anton. p. 166, & Hieroclis Synecdemo pag. 371, videbis. Plutarcho T. II, p. 976 B. Ἀνταίου πόλις, ſicuti & Stephano. Male vero Rhodom. *in parte quadam Arabiae.* Sita enim in ea fuit Thebaïdis parte, quae trans Nilum in Arabiam & orientem vergit, Arabiaque dicitur III, 12, & Ptolem. IV Geogr. 5, & Heliod. VIII, p. 402. WESS.

ead. l. 14. Πλὴν τῶν αἰδοίων) Sic infra IV, 6, & Plut. T. II, pag. 358 A. Aliam vero tot Oſiridis ſepulcrorum cauſam dat Strabo XVII, p. 1176. WESS.

Pag. 60. *l.* 2. Τύπον ἀνθρωποειδῆ) Τὰ δὲ τοῦ σώματος μέρη περιπλάσασαν εἰς ἀνθρώπου τύπον IV, 6; ubi *τύπος* eſt ſimulacrum, uti Ioſepho *ἀγάλματα καὶ τύποι μεμορφωμένοι* XV Ant. Iud. 9, 5; Euripidi *χρυσέων ξοάνων τύπος* Tro. 1073; Dioni Chryſoſt. Ἀρίωνος τύπος Orat. XXXVII, p. 455, & S. Lucae A. A. VII, 43. WESS.

ead. l. 10. Καθιερῶσαι δὲ καὶ τῶν) Haec copioſius exſequitur I, 83. WESS.

ead. l. 15. Εἰς προσόδους δοῦναι) Otioſa haec ſunt, & e ſequentibus intelliguntur. RHOD. Τὸ τρίτον μέρος τ. χ. α. δοῦναι) Sicuti multitudo Aegyptia in tres partes, ita & regio erat deſcripta; quarum tertia ſacerdotibus, ut eius proventu ſe familiamque alerent, ceſſerat apud Strabon. XVIII, pag. 1135. Ἐκ δὲ τούτων τῶν προσόδων τάς τε θυσίας ἁπάσας, τὰς κατ' Αἴγυπτον, συντελοῦσι, καὶ τοὺς ὑπηρέτας τρέφουσι, καὶ ταῖς ἰδίαις χρείαις χορηγοῦσι, inquit infra I, 73 quae etſi tueri videantur eiectas voces, acquieſco in Rhodomanni opinione. WESS.

Pag. 61. *l.* 4. Τῷ λυσιτελεῖ προκληθέντας) Perperam R. & M. προσκληθέντας. Ipſe ſuum defendit XVII, 83, καὶ ταῖς δοθησομέναις ὑπ' Ἀλεξάνδρου δωρεαῖς προκληθέντες οἱ μεγίστοι τῶν ἡγεμόνων. Similis horum verborum permutatio apud Strabon. II, p. 182 B. WESS.

ead. l. 11. Ἆπιν καὶ τὸν Μνεῦϊν) Uſus his eſt Salmaſius in Solin. pag. 311, ut erroris Ammianum, qui XXII, 14, *Apin Lunae ſacratum* tradit, coargueret, ipſe errans. Non enim uni Oſiridi, ſed & Iſidi, ut ſupra cap. 11 ſignificavit Diodorus, ſacer fuit. Conſentit Theodoret. Orat. III ad Graec. p. 45: ταύτῃ (τῇ σελήνῃ) δὲ τὸν Ἆπιν, τὸν βοῦν δὴ λέγω, Αἰγύπτιοι τρέφουσι· τὸν δὲ Μνεῦϊν τῷ ἡλίῳ. Cuius verba ex Codice Auguſtano ita, uti dedimus, ſunt cum Sylburg. legenda. Conf. L. Pignorii Menſ. Iſiac. Expoſ. p. 38, & quae dixi in Hieroclis Synecd. p. 730. WESS.

ead. l. 14. Συνεργῆσαι μάλιστα) Codex unus habet πάντων pro μάλιστα· at poteſt eſſe μάλιστα ſine voce πάντων, non contra. STEPH. Recte quidem Steph. ſed quid ſi μάλιστα πάντων fuerit? quod profecto Codd. ille diſſenſus videtur velle. WESS.

Pag. 62. *l.* 2. Ὀμόσαι μηθενὸς ἀνδρὸς) Repetuntur iiſdem paene verbis c. 27. WESS.

ead. l. 12. Πρὸς ταῖς καλουμέναις Φίλαις) Seneca de ritu & ſacris Aegypt. apud Servium Aeneid. VI, 154, dicit, *circa Syenem, extremam Aegypti partem, eſſe locum, quem Philas, id eſt, amicas, vocant; ideo, quod illic eſt placata Iſis ab Aegyptiis, quibus iraſcebatur, quod membra mariti Oſiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quae inventa poſtea cum ſepelire vellet, elegit vicinae paludis tutiſſimum locum, quem tranſitu conſtat eſſe difficilem: limoſa enim eſt & papyris referta & alta. Ultra hanc brevis inſula eſt, inacceſſa hominibus, unde* ἄβατος *appellata eſt.* Quibus non diſſimilia Plutarchum ſcripſiſſe arbitror, etſi vulgo eius libri alia omnia praeferant: quod enim editur T. II, pag. 359 B. τὴν δὲ πρὸς πύλαις Νιστιτάνην ἄλλως μὲν ἄβατον, id fuiſſe credo, τὴν δὲ πρὸς Φίλαις νησίδα, ἄλλως μὲν ἄβατον καὶ ἀπροσπέλαστον εἶναι. Scio poſſe huic coniecturae quaedam obmoveri; verum in deſperatis licet eſſe audaciori, & abeſſe non poteſt *Philarum* mentio ab eo loco, quo de Oſiridis ſepulcro profeſſa opera agitur. Diodori verba excerpſit Tzetzes in Lycophr. Alex. 212. WESS.

Pag. 63. *l.* 2. Ἑξήκοντα καὶ τριακοσίας χοὰς) Indices vi-

dentur fuiſſe dierum vertentis anni, eodemque ſpectaſſe CCCLX ſacerdotes, qui Acanthiorum in urbe pertuſum in dolium aquam ingerebant, de quibus I, 97. Poſtea acceſſerunt quinque ἐπαγομέναι, in memoriam natalium Oſiridis, Iſidis, Typhonis, Apollinis & Veneris, uti docuit ſupra cap. 13. Conf. I, 50. Tumque adeo Νεῖλος, *Nilus*, literis ſuis ſolidum annum, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, indicare potuit: τῶν γὰρ κατὰ τοὔνομα στοιχείων εἰς ψήφους μεταλαμβανομένων, πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακόσιαι μονάδες, ὅσαι καὶ τοῦ ἔτους ἡμέραι, συναχθήσονται, ut Heliodor. IX, p. 444, ait. WESS.

ead. l. 6. Πλὴν τοῖς ἱερεῦσι) Hoc verum arbitror; quae MſſT. quidam adſtruunt, res ipſa monet intelligenda eſſe. Seneca Q. N. IV, 2: *Primum incrementum Nili circa inſulam, quam modo retuli, Philas, noſcitur. Exiguo ab hac ſpatio petra dividitur*, ABATON *Graeci vocant; nec illam ulli, niſi antiſtites calcant.* Formulam iurisiurandi, μὰ τὸν ἐν Φίλαις Ὄσιριν Tzetzes fuiſſe ait in Lycophr. Alex. 212. WESS.

ead. l. 12. Εἰς ποταμὸν ῥιφῆναι) Vide III, 6, & Plut. T. II, p. 365 C. De Phalli Aegyptiorum figura Herodot. II, 48; quae, ut in Graeciam, itidem ad Indos, quorum in ſacris frequens, tranſiit, ut bene M. V. la Croze L. VI Hiſt. Chriſtian. Indor. p. 430. WESS.

ead. l. 16. Τιμᾶν καταδεῖξαι) Euſebius: τιμὰς καταδεῖξαι καὶ τὰς θυσίας τὰς τῷ θεῷ τούτῳ γινομένας ἐντίμους ποιῆσαι. Sed τιμᾶν καταδεῖξαι ſuſpectum eſſe non patitur locus iſte pag. 4, οἱ πρῶτοι καταδείξαντες τιμᾶν τὸ θεῖον. Item hic, qui eſt in hac ipſa pagina, paulo ſuperius, καὶ τούτους σέβεσθαι καταδειχθῆναι πᾶσιν ἀνθρώποις. Ita enim hic legere malo, quam καταδεχθῆναι. STEPH. Euſebius I P. Evang. 1, Noſtri verba liberiore ſtilo expreſſit. Τιμᾶν καταδεῖξαι probum iuſtumque eſt. Vide ſup. c. 6. WESS.

Pag. 64. *l.* 3. Τὰ περὶ τοὺς ὀργιασμοὺς) Euſebius non habet καὶ τὰ ὄργια· at in uno Codicum noſtrorum non habentur iſta verba τὰ περὶ τοὺς ὀργιασμούς. Certe tollenda ſunt vel haec vel illa: nam coniuncta nihilo videntur tolerabiliora, quam μάκτρα & κάρδοπος, quae irridet Ariſtophanes. STEPH. Τὰ περὶ τοὺς ὀργιασμοὺς) Haec auctoris verba non eſſe, τὸ διάλυτον evidenter oſtendit; praeterquam quod ineptiſſimus eſt pleonaſmus. Cuiuſmodi ταυτολογίαι plures ſexcentis in contextum auctoris ſunt ingeſtae. RHOD. Bene ſit Euſebio, qui ſincera Diodori verba

ad nos tranſmiſit; quae ut probarem, & res ipſa & levis meliorum Codd. diſſenſus effecit. Habent *τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμοὺς* Plutarch. T. II, pag. 364 E. & 611 D. *Διονυσιακὰς ἑορτὰς καὶ τελετὰς* Diodor. III, 74, IV, 6, pluresque alii. Horum autem ſacrorum Phallus praecipuum ferculum, & myſtica in ciſta, de qua Clemens Alexand. Protrept. p. 13 & 30, reconditum, & palam ſolemni in pompa geſtatum, accinentibus *τὸ φαλλικὸν* religioſis, ut in Ariſtoph. Acharnenſ. 259. Quae vulgo etſi fierent, parum probabantur erectioris animi civibus, quorum e numero Demoſthen. in Conon. p. 690: *οὗτοι γάρ εἰσι*, inquit, *οἱ τελοῦντες ἀλλήλους τῷ ἰθυφάλλῳ, καὶ τοιαῦτα ποιοῦντες, ἃ πολλὴν αἰσχύνην ἔχει καὶ λέγειν, μὴ ὅτι γε δὴ ποιεῖν, ἀνθρώπους μετρίους.* WESS.

ead. l. 10. *Πλείω τῶν μυρίων*) Videntur certi nihil habuiſſe ad temporum ſeriem conſtituendam Aegyptiorum ſacerdotes. Decem annorum millia cap. ſeq. a prima hominum origine numerant. At cap. 26 a Solis regno XXIII annorum millia ad Alexandri in Aſiam e Macedonia tranſitum, uti & hoc loco; qui numerus multo fiet auctior, ſi Dii & Heroës ad annos paulo minus XVIII mille, & homines per XV fere annorum millia in Olymp. uſque CLXXX Aegypti provincias adminiſtrarint, ut ait cap. 44. Et quamquam locus ille male ſit ſanus, levique opera refingi poſſit, ut ceteris bene conſentiat, tamen dubia atque incerta manet haec Chronologia, uti veriſſime animadvertit Iac. Perizonius Orig. Aegypt. c. 11. WESS.

ead. l. 14. *Φασὶ σχεδιάζειν*) Sic II, 15, *Κτησίας δ' ὁ Κνίδιος ἀποφαινόμενος τοῦτον σχεδιάζειν*, i. e. *nugari*, *temere effutire.* Polyb. XII, 2, *ὑπὲρ ὧν Τιμαῖος κακῶς καὶ παρέργως ἱστορήσας, ἐσχεδίασε.* Paulo diverſiore uſu infra XIII, 31, ut dicetur. Conf. H. Valeſ. ad Harpocr. in Not. Mauſſaci p. 90. WESS.

Pag. 65. *l.* 2. *Μεταλαβόντα, τοῖς τε Καδμείοις*) Hoc placuit prae vulgato, haud ſane concinno: non item Euſebii *θεὸν Ἕλληνα ὀνομάζεσθαι*, quod ipſe Diodor. manifeſto damnat, Bacchum *θεὸν Ἕλληνα νομιζόμενον* a multitudine cupide receptum mox referens. Credo eam *παραδιόρθωσιν* culpae librariorum deberi: quod genus *ὀνομάζειν* & *νομίζειν* permiſcere aſſuevit. Vid. Kuhn. in Pauſan. II, 14, & infra c. 25, & II, 30. WESS.

ead. l. 9. *Γενέσεώς τε καὶ τελετῆς*) Veriorem hanc ſcri-

pturam Rhodomanni Latina exprimunt; altera abſurda eſt, & deſcriptorum ex ingenio procuſa, cui acceptum retuliſſet Eunapius in Maxim. p. 88, Μιθριακὴν τελευτὴν, & Iamblich. Vit. Pythag. ſeq. 151, τελευτὴν, τὴν ἐν Ἐλευσῖνι γενομένην, niſi hoc Kuſter. & multis ante annis Iſ. Caſaubon. in Athen. I, 7, illud Th. Gataker. Miſcellan. 21, p. 660, in integrum reſtituiſſent. WESS.

ead. l. 11. Ὑπὸ τοῦ δήποτε) Pro ὑπὸ τοῦ δήποτε duo exemplaria habent ὑπὸ τοῦ Διός ποτε· quae lectio prima fronte alicui arridere poſſit; cum tamen propius adſpecta, falſa eſſe comperiatur. Subiungit enim Diodor. Cadmum Oſiridi genitorem adſcripſiſſe Iovem, tum ut Oſirim nobilitaret, tum ut criminationes a virgine ob vitium illi oblatum depelleret. Quae nequaquam ſubiungeret, ſi illam ex Iove gravidam fuiſſe dixiſſet. Sequor igitur eam, quam habemus, lectionem, parva tantum cum mutatione: videlicet ex ὑπὸ τοῦ δήποτε faciens ὑφ' ὁτουδήποτε, id eſt, *a neſcio quo, a quopiam, quicunque is fuerit.* STEPH. Blanditur coniectura Stephani, a veteri ſcriptura proxime recedens. Quod ſecutus ſum, a Fr. Vigero haud improbatum, ea nihil inferius eſt, ſolo accentu a vulgato diſtans. Ὑπό του idem ac ὑπό τινος, frequentique in uſu eſt, ubi auctor rei incertus. Appian. IV, B. C. p. 968, τὸ γιγνόμενον εἶναι σύμβολον ἔκ του θεῶν· & pag. 1322, καὶ ὁ Μοῦρκος ὑπό του δαιμόνων βεβλάφθαι νομίζων· & pag. 1049, ὑπό του θεῶν ἐκδιδομέναι τοῖς πολεμίοις. Plane autem, uti hic, de Bacchi origine Euripid. Bacch. 27: Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός. Σεμέλην δὲ νυμφευθεῖσαν ἐκ θνητοῦ τινος, Εἰς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους, Κάδμου σοφίσματι. WESS.

ead. l. 15. Εἰωθέναι) Fortaſſe pro εἰωθέναι legi debet οἷόν τ' εἶναι. STEPH. Retinui quod ſcriptum fuit: tametſi H. Stephani correctio magis probatur. RHOD. Non ſequor H. Stephan. Etſi enim pauci, vitales tamen ſeptimo menſe editi cenſentur. Ἔστι δὲ ἃ τούτων τῶν ἑπταμήνων περιγίνονται ἐκ πολλῶν ὀλίγα, ait Hippocrates, de Part. ſeptimeſt. p. 255. Adde notiſſimos poëtae Iliad. T, 117, de Euriſtheo verſus; quorum ſi recordatus fuiſſet Ariſton Spartanus, haud ſane negaſſet, Demaratum, VII menſe natum, ſuum eſſe, ut bene Pauſan. III, 7, p. 221, cum nota Kuhnii. WESS.

Pag. 66. *l.* 1. Κάδμον δὲ αἰσθόμενον) Rei geſtae αἰσθό-

μενον τὸ γεγονὸς, poſtquam comperiſſet, quod acciderat, ſati videtur convenire, ſimillimumque eſt Thucydid. IV, 44 *αἰσθόμενοι τὸ γεγενημένον*. Neque habet *ἀχθόμενον τὸ γεγονὸς, aegre id, quod factum erat, ferentem*, cur improbes Eſt quidem *ἄχθομαι τῷ πράγματι* in Ariſtophan. Acharn 1529; ſed ad hoc exemplum Homer. Iliad. E, 361, *Λίην ἄχθομαι ἕλκος, ὅ με βροτὸς οὔτασεν ἀνὴρ Τυδείδης*. Vide turque cultius paulo, nec librario imputandum. Elige ergo. Wess.

ead. l. 3. *Χρυσώσασθαί τε τὸ βρέφος*) Quid ſi *καθιερώσασθαι*; Haec profecto lectio alteri praeferenda videtur, u interpretatio ſit, *infantem conſecravit*. Rhod. *Χρυσῶσαί τ τὸ βρέφος*) Neque hic accedere Rhodom. poſſum. Quo dedi, exhibet Euſeb. & Codd. plures, Diodoro IV, 48 probante, longeque abeſt a *καθιερώσασθαι*. Puto moris ma gnificentiaeque Aegyptiae fuiſſe, ut mortui eorumque con ditoria auro inducerentur. De Mucerino certe Herodot. II 128, mortua filia fabricaſſe ait ligneam & cavam bovem *καὶ ἔπειτα καταχρυσώσαντά μιν ταύτην, ἔσω ἐν αὐτῇ θάψαι ταύτην*. Nec multum differt Paneborum, gentis Afrae inſtitutum, quo regis mortui corpore contumulato, *τὴν δὲ κεφαλὴν ἀποκόψαντες καὶ χρυσώσαντες, ἀνατιθέασιν ἐ ἱερῷ*, in Excerpt. Nicol. Damaſceni p. 526. Wess.

ead. l. 7. *Ὄσιρίν τε καὶ τὸ γεγονὸς*) Hoc *τε καὶ τὸ γεγονὸς* genuina Diodori lectio, ut mihi quidem videtur, no admittit. Pleonaſmus enim eſt, e ſuperioribus, ut appa ret, adſcitus. Rhod.

ead. l. 11. *Ἐπὶ μελῳδίᾳ καὶ τελεταῖς*) His nihil diſſentit cum *μέγιστος*, inquit, *ἐγένετο τῶν Ἑλλήνων ἔν τε ταῖς τελεταῖς, καὶ ταῖς θεολογίαις, καὶ ποιήμασι καὶ μελῳδίαι* de eodem, *ſacro & Deorum interprete*, Orpheo, IV, 25. Qu fama cum floreret, ne miremur, Bacchi arcana ſacra *Ὀρφικὰς τελετὰς* III, 64, ipſumque *τὸν τὰς ἁγιωτάτας τελετὰς καταδείξαντα* Euripid. Rheſ. 943, Demoſtheni I i Ariſtogit. p. 483, appellari. Vide & Philoſtr. Heroic. II 19. Wess.

Pag. 67. *l.* 6. *Καὶ δόξαν ἐν τοῖς τοιούτοις προσέχοντας* Deleta voce *καιροῖς*, quae tenebris importuna oratione involverat, hoc amplexus ſum. Magna erat Orphei auct ritas, certaque vulgo de eius in ſacris peritia perſuaſi hac factum, ut de Bacchi origine pluribuſque aliis cupi illi aſſenſerint. Ὁ δὲ Ὀρφεὺς ὑπερεβάλετο ἐπῶν κόσμῳ τοῖ

πρὸ αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ μέγα ἦλθεν ἰσχύος, οἷα πιστευόμενος εὑρηκέναι τελετὰς θεῶν καὶ ἔργων ἀνοσίων καθαρμοὺς, νόσων τε ἰάματα καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων, Pauſan. IX, 30, pag. 768. Wess.

ead. l. 9. Ἔπειτα παραλαβόντων τῶν) Dubito, an haec ſint vitiata. Movet ſuſpicionem verbum ἐμπλῆσαι, Euſebio, ſchediſque vetuſtioribus haud ſpretum. Cogitaram, ἔπειτα παραλαβὸν τῶν μυθογράφων καὶ ποιητῶν τὸ γένος ἐμπλῆσαι τὰ θέατρα, una, ut vides, detracta ſyllaba, quae natales ex ſequenti articulo nanciſci potuit, ſententia vero percommoda. *Deinde fabulatorum & poëtarum nationem, poſtquam ea accepiſſet, theatra repleſſe.* Id ſi repudies, vide, an hoc malis, ἔπειτα π. τ. μυθογράφων, καὶ ποιητῶν τὸ γένος ἐμπλῆσαι τὰ θέατρα, *quae cum deinceps fabulatores accepiſſent, poëtarum etiam familiam theatra impleſſe.* Ego, ſi quid mutandum, haud longe inde abeo; nec reſtitui tamen, quod vulgatum ſuos ſibi patronos habere poſſit; certe ſi ποιητῶν τοῦ γένους legas, nemo erit, qui queri poſſit: numeri enim ea enallage frequens & elegans. Heliod. VII, p. 315, ἐκβοησάντων δὲ πρὸς ταῦτα τοῦ δήμου, καὶ συγκατατίθεσθαι διὰ τῶν ἐπαίνων παραδηλούντων. Cui ſimillimum in Gregorii Nazianzeni Orat. III, p. 87 B. Vid. infra XIV, 78, XV, 29. Wess.

Pag. 68. *l.* 1. Τὸ γένος Αἰγύπτιον) *Sacratiſſima & auguſtiſſima Aegyptii* Herculem *religione venerantur, ultraque memoriam, quae apud illos retro longiſſima eſt, ut carentem initio colunt: ipſe creditur & gigantas interemiſſe, cum coelo propugnaret, quaſi virtus Deorum*, inquit Macrob. I Satur. 20, & aſſentitur Herodotus II, 43 & 145. Wess.

ead. l. 9. Γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωϊκῶν) *Una hominum aetate ante bellum Troianum.* Hercules enim vicit & occidit Laomedontem, patrem Priami, ſub quo geſtum id bellum, ſociosque habuit expeditionis Theſea & Telamonem, quorum filii Demophoon & Aiax huic bello interfuerunt, ſicuti monere haud neglexit Iac. Perizonius Orig. Aegypt. c. 11. Solet Diodorus γενεὰν annis xxx aequare, uti II, 55; a quo ſpatio haud longe abeſt Herodot. II, 142. Conf. Plutarch. T. II, p. 415 E. Wess.

ead. l. 14. Ῥόπαλον καὶ λεοντῆν) Notiſſima haec Herculis & eorum, qui Herois facta & mores aemulabantur, inſignia: quo de genere Nicoſtratus & Dioxippus infra XVI, 14, XVII, 100; praeterea Alexander & Imp. Commo-

dus apud Athen. XII, pag. 537 F. aliique. Admodum debile tamen argumentum, quo Aegyptii pugnant, videtur: nam ſero poëtae Herculem illis armis, Steſichoro ceteris praeeunte, inſtruxerunt, auctore Megaclide in eiuſdem Athen. XII, 1, p. 512. WESS.

Pag. 69. *l.* 2. Σκεπαστηρίοις χρῆσθαι) Quod addunt Mſſ. ὅπλοις, id ad pleniorem ſententiam requiritur: negligitur tamen ſaepe. Philo Iud. de Mundi Opif. p. 19 C. πρὸς ἑνὸς ἀνδρὸς ἄγεται, — οὔτε τι τῶν ἀμυντηρίων ἐπιφερομένου, διφθέραν δ' αὐτὸ μόνον ἔχοντος σκεπαστήριον. Rarius a Noſtro. Vid. III, 33, 54; V, 18; XI, 7. WESS.

ead. l. 5. Ἀλκαῖον ἐκ γενετῆς καλούμενον) *Ab ipſis natalibus*, ſicuti V, 32; XVII, 105. Athen. IV, p. 160 D. ὃ ἐκ γενετῆς σε ἡ μήτηρ κέκληκεν. Alcaei autem Alcmenae filio verum & primum fuiſſe nomen oſtendit & Sex. Empiricus IX, 36, quique ibi a Io. Alb. Fabricio ad teſtimonium dicendum ſunt excitati. WESS.

ead. l. 7. Ὁ Μάτρις) Puto fuiſſe ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους ἐγκωμίῳ, quam Herculis a Matri ſcriptam laudationem memorat Athen. X, 1, p. 412 A. Vid. infra IV, 10. WESS.

ead. l. 12. Καθαρὰν τὴν γῆν τῶν θηρίων ἐποίησε) Hoc Euripidi eſt in Herc. 20 ἐξημερῶσαι τὴν γαῖαν, & Noſtro IV, 21. Propius a loquendi genere abeſt Liban. T. II, p. 133 A. οὐ πρότερον ὑπενόστησαν πρὶν ἢ τὴν χώραν τῶν πολεμίων ἐκάθηραν· & Appian. II B. C. pag. 709, ὁ μὲν δὴ Πομπήϊος ἄρτι τὴν θάλασσαν καθήρας ἀπὸ τῶν λῃστηρίων. Nec diſſimile, quamquam rarius, Ioſephi XIV A. I. 9. 2, ποθοῦσι γὰρ αὐτοῖς ἀπηλλάχθαι τοῦ λῃστηρίου, τὴν χώραν ἐκαθάρευσεν. WESS.

Pag. 70. *l.* 6. Εἰς τὴν ὑπερκειμένην) Non εἰς ſed ἧς legitur in uno Codice: verum utrovis legas modo, plena eſſe non videtur ſententia. Praeterea quod hic de Aegypto alibi de Libya dicit pag. 18, ἡ ἔρημος καὶ θηριώδης τῆς Λιβύης. STEPH. Ἧς τὴν ὑπερκειμένην) Ego hoc verius exiſtimo: ſive enim de Troglodytica, ſeu Aethiopia, ſeu Libya accipias, veriſſimum eſt, eas regiones, qua Aegypto adhaerent, ſteriles & feris infeſtas eſſe. Vid. infra c. 30 & Strab. XVII, p. 1174. Paulo ante ἀρχαιοτάτους χρόνους res ipſa videbatur requirere. WESS.

ead. l. 13. Μυθολογούντων τὴν Ἰὼ) Lubenter legerim cum Euſebio αὐτὴν εἶναι Ἰὼ τὴν εἰς &c. STEPH. Senſus citra ullam mutationem planus eſt, ſi hoc modo reddas: *Du*

Ionem in formam bovis converſam eſſe fabulantur. Quamvis Euſebianam hic correctionem cum H. Stephano lubens ſequar. Non multum vero intereſt, ſive μεταποιηθεῖσαν in hoc loco permaneat, ſive μεταμορφωθεῖσαν pro illo reponas. RHOD. Τὴν Ἰὼ, τὴν εἰς βοὸς τύπον) Hoc placuit, etſi Euſebianum paulo lenius, propter Mſſ. auctoritatem. Quae vero Aegyptii de Ione affirmant, a veritate haud abhorrere, & Iſtri, qui de *Coloniis Aegyptiorum* commentatus eſt, teſtimonio apud Clement. Alex. I Strom. p. 382, affirmari poſſe videntur. Graecis de eius origine nihil liquido conſtitit, ut abunde Apollod. II Biblioth. 1, 3, indicat: & bovis tamen figura inſtructam in Aegyptum deduxerunt, Iſidis cultu & nomine venerandam, Herodot. II, 41, Aeſchyl. Prometh. 815, 852, Lucian. D. D. III, p. 208. Alia, ſed quae haud probes, Ath. Kircher. Oedip. T. I, pag. 92. WESS.

Pag. 71. *l.* 2. Οἱ δὲ Δήμητραν) Ipſa de ſe, *Me primigenii*, inquit, *Phryges Peſſinuntiam nominant Deûm matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes ſagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues ſtygiam Proſerpinam; Eleuſinii vetuſtam Deam Cererem: Iunonem alii, Bellonam alii, Hecatem iſti, Rhamnuſiam illi; & qui naſcentis Dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur Aethiopes, Ariique, priſcaque doctrina pollentes Aegyptii, caerimoniis me propriis percolentes, appellant vero nomine reginam Iſidem*, in Apuleii XI Metamorph. p. 259; quibus etſi ſibi *rerum haec natura parens*, uti cenſebatur, Dearum paene omnium nomina & poteſtatem vindicet, amplius tamen cognomen eſt ISIDIS MYRIONYMAE in Theſauri pag. LXXXIII, 7. Vid. ſupra c. 11 & 14, & Gerh. Io. Voſſium II Idololat. c. 56. WESS.

ead. l. 5. Οἱ μὲν Σάραπιν) Oſiris idem, qui Sol, eiuſque adeo poteſtas variis nominibus multifariam a Theologis olim deſignata eſt, quo de idem Voſſius in elaboratiſſimo opere II, 10. Recte ergo Martianus Capella II, pag. 43: *Hinc Phoebum perhibent prodentem occulta futuri, Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa, & Iſaeum Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim. Diſſona ſacra Mithram, Ditemque ferumque Typhonem; Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri. Ammon & arentis Libyes, ac Byblius Adon. Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.* Praeſertim cum Apollo ipſe, modo tamen certa fides, conſultus, quis eſſet, reſponderit,

Ἥλιος, Ὧρος, Ὄσιρις, Ἄναξ, Διόνυσος, Ἀπόλλων, Ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, apud Euſeb. III P. E. 15. Wess.

ead. l. 8. Πλούτωνα ὀνομαζόμενον) Sequor ſcriptos libros. Similis error ſaepe commiſſus, ut recte Caſaub. in Athen. V, 4. Sarapin vero non alium atque eum eſſe, quem Graeci Plutonem appellant, Archemachus & Heraclides teſtantur in Plut. T. II, pag. 361 E. nec diſſentit Ariſtid. T. I, p. 97. Wess.

ead. l. 11. Ἐμπειρίαν, καὶ τὸ σύνολον π. μ.) Haec abſque ulla ſententiae iactura removeri poſſunt, cum nonnullam prae ſe νοθεύσεως ſuſpicionem ferant. Paulo autem poſt expungendum quoque νῦν videtur. Rhod. Ἔχειν ἐμπειρίαν, διὸ καὶ τυχοῦσαν) Parui viro doctiſſimo & ſcriptis libris; nec aliter citat Morellus in III Silv. Statii pag. 338. Iſis propter peritiam artis Medicae Romanis SALUTARIS, uti in Gruteri Theſ. pag. LXXXIII, 15. Ὑγίεια Epidauri, teſte Pauſania II, 27, dicebatur. Ipſa ſibi artis ſalutiferae initia tribuit in Eclog. Io. Stobenſis p. 125; & apud Ovidium, *Dea ſum auxiliaris, opemque Exorata fero*, IX Metam. 698. Adde Tibullum I, 3, 27, cum nota Broekhuſii. Wess.

ead. l. 14. Ἐπιδεικνυμένην τήν τε ἰδίαν ἐπιφάνειαν) *Suae praeſentiae manifeſta indicia demonſtrantem.* Appellant enim ἐπιφάνειαν numinis apparitionem, quoquo tandem modo Deus aliquis ſuae praeſentiae ſignum dediſſe crederetur. Exemplorum abunde conduxerunt viri egregii Iſ. Caſaub. in Athen. XII, 11, & Exercit. II in Baron. pag. 137; & Ezech. Spanhem. Diſſ. VII de Uſu & Pr. Numiſ. p. 426. Ego Diodori, cui frequenti in uſu, loca quaedam veluti per ſaturam dabo, III, 62; IV, 82; XI, 14; XIV, 69. Patres Chriſtiani, praeeunte S. Paullo, ad utramque Chriſti in terris praeſentiam commode tranſtulerunt, tum deinceps ad Martyres. Παρ' ὧν δαίμονες ἐλαύνονται καὶ νόσοι θεραπεύονται· ὧν αἱ ἐπιφάνειαι καὶ ὧν αἱ προῤῥήσεις, Gregor. Nazian. Orat. III, p. 77 A. Wess.

Pag. 72. *l.* 6. Κατὰ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην) Incubantibus, ut reſponſa opemque eius acciperent; quo genere ſuperſtitionis nihil olim crebrius. Lycophr. Alex. 1050:

Δοραῖς δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις
Χρήσει καθ' ὕπνον πᾶσι νημερτῆ φάτιν.

Praecipue in Aegypto in Iſidis aut Serapidis aede, ut apud Dion. Chryſoſt. Orat. XXXII, p. 364 C. & Strab. XVII,

pag. 1152. Atque haec eſt ἐγκοίμησις ἐν τοῖς ἱεροῖς, de qua uberius infra c. 53. Wess.

ead. l. 15. Τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον) Meminit ipſa ἀφθαρσίας φαρμάκου ex Hermetis libris in Eclog. Phyſ. Stobaei p. 117; quod fortaſſe diverſi generis. *Horum* pariter ac Oſirin a Titanibus *artuatim*, ut Firmicus loquitur, diſciſſum perhibebant, quorſum τοῦ Ὥρου διαμελισμὸς apud Plut. T. II, p. 358. Wess.

Pag. 73. *l.* 5. Ἀπόλλωνα ὑπάρχειν) De Deorum ultimo inter Aegyptiorum reges Horo, qui Graecis Apollo, paria Herodot. II, 144. *Apud eoſdem Apollo, qui eſt Sol, Horus vocatur, ex quo & horae XXIV, quibus dies & nox conficitur, nomen acceperunt*, Macrob. I Sat. 21. De eius vero beneficentia & auxilii miſeris ferendi ſtudio teſtatur Artemidorus, illum inter σωτῆρας, Deos ſervatores, qui αὐτίκα μάλα σώζουσι praeſentemque opem ferunt, tranſcribens II, 44; & haec icunculae veteris inſcriptio:

ΜΕΓΑϹ ΩΡΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝ ΑΡΠΟΚΡΑΤ.
ΕΥΙΛΑΤΟϹ ΤΩΙ ΦΟΡΟΥΝΤΙ.

in quam plura Cuper. Harpocrat. p. 156. Wess.

ead. l. 12. Δισμυρίων καὶ) Vide ſupra c. 23. Wess.

Pag. 74. *l.* 1. Κατὰ τὴν τῆς σελήνης περίοδον) Aegyptios olim Lunae ſenio annum determinaſſe, itaque aliquos & ſingula millia annorum apud eos vixiſſe prodi Plinio VII H. N. 48, accredimus: paria enim tradunt Plutarch. T. I, p. 72 A. & ex Eudoxo Proclus in Timaeum p. 31, Suidas in Ἥλιος, atque alii. Niſi tamen erro, ſerius lunares hi anni adhibiti ſunt, ut immanem annorum numerum, quem regibus Diis, Semidiis, atque hominibus annales contribuebant, expedirent. Inaudiverant aliqua de longaeva regum ſuae gentis ante Noachicum diluvium & poſt illud aetate; quae ſine his extricari commode non poſſe videbantur; quamquam ne ſic quidem plana omnia. Conf. Iac. Perizonii Origin. Aegypt. c. 2. Wess.

ead. l. 8. Τέτρασι μησὶ) Iſ. Voſſius τρισὶ libro ſuo adſcripſerat, fortaſſe ob Cenſorinum, cui Hori annus trimeſtris: verum neuter audiendus. Vulgatum tuetur Plut. T. I, p. 72 B. Aegyptiis τετράμηνον *quadrimeſtrem* annum tribuens, & quae hic ſequuntur. Singulae anni tempeſtates quatuor menſibus abſolvebantur; quae cum tres olim haberentur, ver, aeſtas & hiems, earum quaelibet annus cenſebatur. Atque hae ſunt τριμερεῖς ὧραι, quarum ſupe-

rius meminit c. 11, 12, 16; & Aeſchyl. Prometh. 454, Tacitus Mor. Germ. 26; & nunc obſervantur ab Abyſſinis, de quibus Iob. Ludolphus I Hiſt. Aethiop. 5. Wess.

ead. l. 11. Ὥρους καλεῖσθαι) Abſque dubitatione pro maſculino femininum ὥρας reſtituo: cum iſtius nullum ſuppetat exemplum; huius vero ſignificatio in promtu habeatur. Cum enim ὥρα unam de IV anni partibus creberrime deſignet, quid mirum, ſi partis nomine totum ſynecdochico tropo appelletur? Rhod. Non ſequor virum doctiſſimum, cuius dicta hoc quidem loco ἄῤῥητα ἀμείνω. Ecce enim tibi Cenſorin. Die Nat. 19: *ſunt, qui tradant, hunc annum trimeſtrem Horum inſtituiſſe, eoque ver, aeſtatem, autumnum, hiemem* ὥρας, *& annum* ὧρον *dici, & Graecos annales* ὥρους, *eorumque ſcriptores* ὡρογράφους. Et ne de eius auctoritate dubites, Plutarch. T. II, p. 677 D. ubi Antipater τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς ἀρχαϊκῶς ὥρους λέγεσθαι· quibus eadem de re ſimillima in Athen. X, p. 423 F. ne dicam de Heſychio, Euſtathio, ceteriſque Grammaticorum, Homeri ἐννέωρον ὀαρίστην & ἐννέωρον ἄλειφαρ explicantibus. Commode ergo ὡρογραφία de annalibus, & ὡρογράφοι eorum conditores. Heſychius, Ὡρογράφοι, ἱστοριογράφοι, τὰ κατ' ἔτος πραττόμενα γράφοντες· ὧροι γὰρ οἱ ἐνιαυτοί. Quo uſu οἱ Ναξίων ὡρογράφοι, Naxiorum annalium ſcriptores, Plutarch. T. II, p. 869 A. Wess.

Pag. 75. *l.* 3. Καὶ τυπτομένους ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ὄσιριν) *Quique ab ipſo Oſiride verberantur.* Rhodomanni enim *ſacrifici Oſiridis* haud placent. Οἱ περὶ τὸν Δία ipſe Oſiris eſt, ut c. 15, 16, & mox οἱ περὶ τὸν Δία καὶ Ὄσιριν, & locis infinitis; quamquam non ignoro, hoc genus aliquando latius porrigi, quo de Iſ. Caſaubon. in Diogen. Laërt. III, 22. Typhon ceterique gigantes ab Oſiride victi oppreſſique ſunt, cuius in victoriae memoriam gigantes monſtroſa ſpecie in Aegyptiorum templis effingebantur, & ab adſtante Oſiride verberabantur. Habet Herodot. II, 137, quaedam de Aegyptiorum Deo vapulante, ſed dubia, & quae ad luctum poſſunt referri. Conf. Ath. Kircher. Oedip. T. I, p. 220. Wess.

ead. l. 11. Νομοθετῆσαι) Preſſius legem explicat Philo Iud. de Special. Leg. p. 780 A. de Aegyptiorum legislatore inter alia παρασχὼν ἄδειαν, inquiens, ἁπάσας ἀδελφὰς ἄγεσθαι, τάς τε ἰδίας τοῦ ἑτέρου τῶν γονέων, τοῦδε, ἢ τοῦδε, καὶ τὰς ἐξ ἀμφοῖν, καὶ τὰς οὐ νεωτέρας μόνον,

ἀλλὰ καὶ πρεσβυτέρας καὶ ἰσήλικας. *Permiſſa licentia ducendi ſorores ſive per alternum parentem ſive per utrumque cognatas, maiores pariter ac minores aequaleſve.* Quam eorum conſuetudinem cum ducta ſorore Arſinoë probaſſet Ptolemaeorum ſecundus, ἔγημεν αὐτὴν, dicebat Pauſan. I, 7, Μακεδόσιν οὐδαμῶς ποιῶν νομιζόμενα, Αἰγυπτίοις μέντοι, ὧν ἦρχε. Bene profecto. Macedonibus enim & Graecorum pleriſque hae nuptiae erant nefariae, γάμοι ἀνόσιοι Ariſtoph. Ran. 874. Mox κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων viſum eſt iuſtum, & paulo ante συμφωνεῖσθαι. Pendet enim oratio ex anterioribus. Wess.

Pag. 76. *l.* 4. Καταδεχθῆναι) Non dubito, qui καταδειχθῆναι ſcriptum fuerit, quod auctor *tradendi* ſeu *docendi* ſignificatione non raro uſurpat. Rhod.

ead. l. 7. Κυριεύειν τὴν γυναῖκα τἀνδρὸς) Gravius & iuſtius S. Paullus 1 Timoth. II, 13, οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, de femina. Sed diverſi Aegyptiorum mores, quibus ex pacto uxor marito imperabat, omniaque virilia officia foris obibat, dum ille tanquam claudus ſutor domi ſedens fuſumque tenens penſa traheret. Sophocl. Oedip. Colon. 332: Ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας Θακοῦσιν ἱστουργοῦντες· αἱ δὲ σύννομοι τὰ ἔξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί. Quibus gemina Nymphodorus a Schol. productus ſcribit. Confer Io. Marsham. Can. Chronol. p. 68. Wess.

ead. l. 9. Πειθαρχήσειν τῇ γαμουμένῃ. Οὐκ ἀγνοῶ) Obtemperavi libris manu exaratis, & quae intempeſtive inculcata erant, abeſſe iuſſi. Leguntur c. 22, unde a male officioſis, non ſine auctario, ut in Cod. Mutin. in hunc locum ſunt infarta. Wess.

ead. l. 12. Καὶ Νυσαῖον) Saepe Νυσήϊος, Νυσαῖος, Νύσιος Bacchus, ut in Schol. Comici Ran. 218, & Ovid. IV M. 13. Wess.

Pag. 77. *l.* 3. Πάσης τῆς χώρας) Titulus hic nimis arrogans videtur. Ideo τῆς ex margine pro πάσης ampleсtor, ut & alterum, quod ſubſequitur, ὅσα ἐγὼ ἐνομοθέτησα. Rhod. Praeſtat πάσης τῆς χώρας. Itaque articulum addidi. Wess.

ead. l. 4. Ἐγὼ ἐνομοθέτησα) Vulgatum καὶ ὅσα ἐγὼ δήσω olim mihi defendi poſſe videbatur hoc Sophocl. Antig. 1100:

Αὐτός τ' ἔδησα, καὶ παρὼν ἐκλύσομαι·

& verbis Ioſephi I B. I. 5, 2, Plutarchi T. I, p. 161, & Ariſtidis T. I, p. 53 & 58; quae, quod uſum illis Iac.

Elſnerum in Matth. XVI, 19, cum maxime animadvertam, non exſcribo. Sed vinculorum & ligationis cuiuſdam in omnibus illis cum ratio habeatur, & haec legum praecepta innuant, a Mſſ. auctoritate recedere nunc quidem haud placet: nam Chriſti noſtri ad Petrum, ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, etſi aliqua ex parte conveniat, plane geminum non eſt. Quod praeceſſit πάσης τῆς χώρας, ob ea, quae mox de Oſiride adduntur, non moveo. Wess.

ead. l. 8. Καρπὸν ἀνθρώποις) Conf. ſupra c. 14. Wess.

ead. l. 9. Ἐν τῷ ἄστρῳ τῷ κυνὶ) Athan. Kircher. Oedip. T. II, Part. II, p. 258: *Habet canicula duas ſtellas, unam in capite, quae Iſis vocatur, Porphyrio teſte, alteram in lingua, quae Sirius proprie & Canis nuncupatur. Unde Diodorus inter titulos Iſidis haec ponit*, Ἐγώ εἰμι ἡ ἐν τῷ ἄστρῳ τῷ κυνὶ ἐπιτέλλουσα. Bene, modo pro Porphyrio poſuiſſet Eratoſthenem: ille enim de Antro Nympharum, Σῶθιν, ἣν κυνὸς ἀστέρα Ἕλληνες φασὶ, habet; hic c. 33 Cataſter. Ἔχει δ' ἀστέρας ἐπὶ μὲν τῆς κεφαλῆς α', ὃς Ἶσις λέγεται. Ἐπὶ τῆς γλώττης α', ὃν καὶ Σείριον καλοῦσι. Neque diſſentiunt Plut. T. II, p. 376 A. & Horapollo c. 3. Conf. Had. Iunii I Animadv. 5. Wess.

ead. l. 10. Βούβαστος) Sic & XVI, 49, 51. Herodoto Βούβαστις II, 137. Urbis vicinum lacum Aelian. XII H. A. 29, ſitum Strabo XVII, p. 1158 B. deſcribit. Wess.

ead. l. 13. Κρόνος νεώτατος) Vide ſupra c. 13. Saturnus Deorum ante Oſirim & Iſidem natu minimus cenſebatur: eo enim aetate & regni auſpiciis priores Agathodaemon, Sol, Vulcanus, ex gentis annalibus apud Euſeb. Canon. p. 7. Wess.

Pag. 78. *l.* 5. Σώου σπέρματος) Hoc quid velit, divinare haud poſſum; ideo tanquam peregrinum & inutile praeterivi. At nec marginalis lectio integra ſanaque videtur. Rhod. Καὶ ἔβλαστον ἐκ κ. κ. εὐγενοῦς ὠοῦ, σπέρμα συγγενὲς) Ego vero inſcriptionis verba, uti oportuerat, levi unius literae mutatione, refinxi. Dicit, *ſe proſeminatum ex pulchro generoſoque ovo, & fuiſſe ſemen diei cognatum*; plane ut in Ariſtoph. Avibus 695: Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠόν· Ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστον Ἔρως ὁ ποθεινὸς, *omnium primum parit ventoſum furva Nox ovum, e quo temporibus exactis propullulavit Amor deſiderabilis:* ſunt enim ea ex priſcorum Theologia derivata. Aegyptiorum plures τὸν δημιουργὸν ſeu rerum principem cauſam

Cneph, eiuſque ex ore prodiiſſe ovum, quod ruptum effuderit τὸν Φθᾶ ſive *Vulcanum*, teſte Porphyrio in Euſeb. III P. E. 11, p. 115, alii Oſirim eodem ex ovo prognatum ferebant; quos Orpheus ſecutus, cuius πρωτόγονον ᾠὸν cum frangeretur, Phanetem, qui non alius atque Oſiris, uti dictum c. 11, excluſit, in Recognit. S. Clement. X, 18, & Homil. Clement. VI, 5, ac Damaſcio in Epiſt. ad Io. Mill. R. Bentlei p. 3. Iam cum Phanete ex ovo prosiliente τὸ πᾶν ἐξ αὐτοῦ ἔλαμψε, univerſaque radiis eius illuſtrarentur, neque alius in Theologia Orphica is ſit, auctore Proclo, ac Ἔρως ſive Cupido; ſatis utique apparet, cur Oſiris hac in inſcriptione ſeſe σπέρμα συγγενὲς ἡμέρας, *ſemen diei cognatum*, profiteatur, & quorſum Ariſtophanicum illud referri oporteat. WESS.

ead. l. 7. Ὧν ἐγὼ εὐεργέτης) Mallem εὑρετὴς, niſi obſtaret Iſocratis Buſiris τηλικούτων ἀγαθῶν εὐεργέτης γεγενημένος in Laudat. p. 333. Intelliguntur tamen leges, artes variae, vinum, fruges, earumque in horrea comportandarum modus; quorum omnium inventio Oſiridi tribuitur cap. 14, 15, 16. WESS.

ead. l. 14. Καὶ κινδύνων ἐπικειμένων) Legibus, puto, ut Athenis, ubi ſcitum τὸν ἐξειπόντα τὰ μυστήρια τεθνάναι, qua de lege Petitus Leg. Attic. p. 33, & perſuaſione vulgi, qua motus Herodotus cum his ſimilia exponeret, εὔστομα κείσθω inquiebat II, 171. Cum quibus autem quave conditione ſacra & diſciplinas occultiores communicare fuerint aſſueti, docet Clemens Alex. V Strom. p. 670. WESS.

Pag. 79. *l.* 5. Εἰς Βαβυλῶνα) Videntur his pugnare, quae I, 1; verum illic Cteſiam ſequitur, hic Aegyptiorum traditiones. Nam quod Io. Marshamus Can. Chron. p. 110 hanc Beli coloniam non Babylonem, ſed in Babyloniam videri deductam affirmat, id neque tenere poteſt, neque hic perſcribitur, ut bene Iac. Perizon. Orig. Babyl. c. 5. De ἀτελείᾳ ſacerdotum, qua publicorum onerum immunes erant, c. 73; & Chaldaeorum, II, 29. WESS.

ead. l. 12. Μιμουμένους τοὺς παρ' Αἰγυπτίοις) His ſimilia c. 83. Contra ea Aegyptios a Chaldaeis ſideralem ſcientiam accepiſſe Ioſeph. I A. I. 8, 2, & Alexander Polyhiſt. in Euſeb. IX P. E. 17, auctores ſunt. WESS.

ead. l. 14. Συνοικῆσαι τὴν ἀρχαιοτάτην) Repono hic συνοικίσαι, & οἰκίσαι linea ſequenti. STEPH. & RHOD. Συνοικίσαι τὴν) Parui viris egregiis: poſtulat enim utrumque ſer-

monis genius, & nihil crebrius eorum in ſcriptis libris pe mutatione. Vid. IV, 27; XII, 32; XV, 66. Wess.

ead. l. 16. Τῶν Κόλχων ἔθνος) Confer infra cap. 55, Herodot. II, 104. De Ἰσοῤῥαίων voce poſt deinceps dic tur. Wess.

Pag. 80. *l.* 1. Τὸ τῶν Ἰουδαίων) Margo Ἰσοῤῥαίων habe At quae gens hoc nomine veniat, indaget, quemcunqu πολυπραγμονεῖν iſtud iuvat. Locus ei fuerit, ſi Ἰτυραί ſcribatur. Sed nos merito contextus lectionem retinemu A Iudaeis autem ad Aegyptios aliosque circumciſione derivatam eſſe, admonere forſitan conducit, ſed confirm re opus non eſt. Legantur hac de re Biblia Gen. XVI 25, Ioſeph. I Archaeol. c. 11, 13, 16. Rhod.

ead. l. 4. Ἐξ Αἰγύπτου μετενηνεγμένου) Circumciden ritum ab Aegyptiis ad Hebraeos migraſſe, Herodot. II, 10 innuit, & diſerte Strabo XVII, p. 1180, & Celſus ap Origen. I, 22, p. 339, profitentur; quos potiſſimum ei opinionis auctores habuiſſe Io. Marſham. Can. Chron. 74, & Io. Spencer. I Rit. Heb. c. 4, p. 69, quis eſt q ignoret? Conf. Huetium in Origen. Homil. V in Ierer p. 85. Wess.

ead. l. 6. Ἀποίκους εἶναι Σαΐτῶν) Eadem Theopom fuit ſententia, & plurium aliorum, ſi fides Africano ap Euſeb. X P. E. XI. De Theopompo conſentit Proclus Timaeum p. 31; ſed & contra ea cenſuiſſe Calliſthene & Phanodemum, Athenienſium colonos fuiſſe Saïtas, π τέρας τῶν Σαΐτῶν γενέσθαι· quin Atticum, Platonicum pl loſophum, affirmaſſe, Theopompum obtrectandi ſtudio libidine veritatem corrupiſſe, ſuaque aetate Saïtarum l gatos Athenas veniſſe, ut vetera cognationis cum Ath nienſibus iura renovarent. Quae Attici perlevis ratio v luit ea aetate apud plures, habitique Saïtae Athenienſiu ſunt coloni; quare Apollonius Tyaneus Saïtis Epiſt. 7 Ἀθηναίων, inquit, ἀπόγονοί ἐστε· qui cum ſtatim annecti καθάπερ ἐν Τιμαίῳ Πλάτων φησι, id quidem difficulter pe ſuadebit. Philoſophus, uti recte ex Proclo Olearius, Ath nienſium dumtaxat amicos & cognatos facit; cuius tam omnem orationis complexum ſi ſtudioſe ſcruteris, faci animadvertes, eum litem hanc ſecundum Saïtas dediſ Vid. eius Timaeum. p. 21 F. Wess.

ead. l. 8. Τὴν πόλιν Ἄστυ καλεῖσθαι) Debile hoc & pl ne plumbeum viſum eſt Tan. Fabro in Lucian. Timo

rinc. & ea quidem de cauſa, quod antiquiſſimi Graecoum quamcunque urbem *ἄστυ* appellitent: cui & ego aſſentirer, niſi ineptiſſimae Grammaticorum originationes vocabulum *ἄστυ* peregre in Graeciam veniſſe, & a primis Athenienſibus ad univerſos Graeciae incolas propagatum uiſſe, arguerent. De urbe ſeu pago Aegypti Ἄστυ Steph. n Ἄστυ. WESS.

ead. l. 11. Εἰς τρία μέρη διανεμηθείσῃ) De Aegyptiorum epublica locuples teſtis Iſocrat. Laud. Buſirid. p. 328, & Noſt. c. 73, 74. Athenienſium vero confuſam ante multitudinem in tria genera deſcripſit Theſeus, *πρῶτος ἀποκρίνας χωρὶς εὐπατρίδας καὶ γεωμόρους καὶ δημιουργούς*, Plut. n Theſ. p. 11 C. a quo nihil admodum diſſentit Plato in Timaeo p. 24 A. WESS.

ead. l. 13. Οἵτινες ὑπῆρχον) Facit Codd. quorundam ſcriptura, ut fuiſſe hic ſuſpicer, *οἵτινες ἱεροποιοὶ ὑπῆρχον, ἐν παιδείᾳ μάλιστα διατετριφότες.* Praeerant enim ſacris Eupatridae, manſeruntque in ſera tempora Athenis *ἱεροποιοὶ*, ut ex Polluce VIII, 107, nemo ignorat. Munus, quod obibant, Ulpian. in Oratoris Midian. p. 352 ita deſignat, *ἱεροποιὸν δὲ καλοῦσι τὸν ἐποπτεύοντα τοὺς μάντεις ὅτε θύουσι, μήπου τὶ κακουργῶσιν ἐν ταῖς θυσίαις*, ſed nimis arte: pertinebat ad eorum curam praeter varia ſacrificia, ut ſacra rite fierent, nihilque abeſſet, aut ſecus, atque oportebat, adminiſtraretur, ſicuti monuit Deſ. Heraldus Animadv. in Ius Att. & Rom. II, 3, & ante eum auctor Lexici Rhetor. in Montfalconii Biblioth. Coisl. p. 492. Neque huic tamen ſuſpicioni multum tribuo, cum ipſi in diverſa abeant MSS. qui paulo ante τὸ τῶν Ἰσοῤῥαίων ἀνὰ μέσον Ἀῤῥαβίας. Ubi ſi Ἰτουραίων, quod a veſtigiis corruptae lectionis prope abeſt, refingas, oſtendendum erit, Ituraeos iam olim circumcidendi morem probaſſe, quem tamen victos ab Ariſtobulo non longe a Diodori aetate recepiſſe demum, ex Ioſepho XIII A. I. 11, 3, novimus. Verum ergo illic τῶν Ἰουδαίων· quod cum librariis eruditioribus haud lateret, pravam vocem in hunc locum inculcandam alii cenſuerunt. Mox *διατετριφότες* non movendum. Ioan. Chryſoſtom. *τότε δὲ πολὺν χρόνον δημοσίοις πράγμασιν ἐνδιατρίψας, ἴσως ἂν καὶ ῥύπον πολὺν προσετρίψατο*, Lib. ad Vidu. Iunior. T. I, p. 349 A. edit. Montfalc. WESS.

Pag. 81. *l.* 10. Τὸν γὰρ Πέτην) Exemplar unum Διϊπέτην habet, non Πέτην. Atqui Homerus in Boeotia v. 552,

υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεύς. Nam pro Πέτης dicitur etiam Π τεώς. Fortaſſe autem hinc natus error, quod ſcripſiſſet Dio dorus τὸν γὰρ δὴ Πέτην. STEPH.

ead. l. 13. Διφυοῦς δ' αὐτοῦ γεγονότος) Hic locus mi videtur vel mutilus, vel corruptus, vel luxatus. Quis enim unquam audivit, aut quis ſcripſit, Peteon, Meneſthei pa trem fuiſſe διφυῆ, duarum naturarum hominem? Certe d Cecrope I id omnes hiſtorici ſcripſerunt, & nihil notiu eſt in tota literatura. At Peteo ſive Peteus fuit Ornei fi lius, Erechthei nepos regis Athenarum, teſtibus Plut. i Theſeo (p. 15 B.) Pauſania in Attic. (Corinth. c. 25, p 168) Euſtathio in Iliad. B, & aliis, de quo nullus ſcripſi eum fuiſſe διφυῆ. Adde, quod inverſo ordine hoc loco me moratur: nam poſt illum de Erechtheo, multo antiquic re, tractat. Ego procul dubio locum hunc mendoſum eſſ vel luxatum credo. Sed ſine ope manuſcriptorum, qua mihi deſunt, eum ſanare aggredi non audeo. PALMER. A Palmerii ſententia nihil admodum recedit Io. Marsham. Ca non. Chronol. p. 111: *Tres*, inquit, *memorat Diodorus*, Pe teon Meneſthei patrem, *Cecropem*, & Erechtheum: *deſide ratur Cecropis nomen. Locus enim mutilus eſt: ſed res indicat* Τὸν γὰρ Πέτην (Πετεῶ) τὸν πατέρα Μενεσθέως τοῦ στρα τεύσαντος εἰς Τροίαν * * (*deſunt nonnulla*) * * φανερῶς Αἰ γύπτιον ὑπάρξαντα τυχεῖν ὕστερον Ἀθήνῃσι πολιτείας τε κα βασιλείας. Διφυοῦς δ' αὐτοῦ γεγονότος. *Iſta in editis ma coniuncta ſunt. Peteus enim Ornei filius, Erechthei regis nepos ab Aegeo Athenis pulſus, in Phocide conſenuit. Cecrops autem & διφυὴς fuit, & rex Athenarum.* Cui & ego adſtipulor. Nam in re obvia & omnibus notiſſima Diodorum tam turpite ſe dediſſe, quod Scaligero ad Euſeb. CCCCLXI in menten venit, impelli haud poſſum, ut credam. WESS.

ead. l. 14. Κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν) Confer ſup. cap 3. WESS.

ead. l. 16. Δυεῖν πολιτειῶν) Non muto. Δυεῖν ὡρῶν in III, 48; δυεῖν ἑταιρειῶν XV, 82; δυεῖν γυναικῶν XVI, 6 Nec hoc tantum genere, ſed & ἀρχιτεκτόνων δυεῖν Plut T. II, p. 802 A. στρατοπέδων δυεῖν Polyb. II, 25. Vid Iac. Gronovium ad eius libri c. 44, & Duker. in Thucyd IV, 8. Mox ſi ἐνομίσθη praeoptaveris, non intercedam Cecrops & dictus & cenſitus eſt διφυής. Eleganter Liba nius T. I, p. 9 D. Εἰκότως ἄρα θησαυροί τε ΕΝΟΜΙΣΘΗΣΑΝ Ἀλεξάνδρῳ καὶ ΩΝΟΜΑΣΘΗΣΑΝ οἱ φίλοι. WESS.

Pag. 82. *l.* 1. Ὠνομάσθη) Si ὠνομίσθη aptius videtur, ita vertendum eſt: *pro ſemifero*, i. e. qui ex una parte fera, ex altera homo fuerit, *ideo habitum*, *quod*. Paulo vero ante, ἐν μέσῳ κειμένου πᾶσιν, ad verbum, *cum omnibus in medio poſitum ſit.* RHOD.

ead. l. 4. Τὸ γένος Αἰγύπτιον) Diſſentiunt plerique rerum Atticarum ſcriptores. Poëtae tamen Iliad. B, 548, & Herodoto VIII, 55, γηγενὴς, *terrigena;* quo titulo cum paſſim illi ornentur, quorum incertior origo, haud omnino abſurde Aegyptii. Nam quae Grammatici ad eum Homeri verſum & Etymol. in Ἐρεχθεὺς garriunt, ea & turpia ſunt, & veri fidem excedunt. Conf. Io. Meurſium II Reg. Attic. c. 7. WESS.

ead. l. 7. Διὰ τὴν ἰδιότητα τῆς χώρας) Vide c. 10; & de Cereris apud Aegyptios myſteriis c. 14. WESS.

Pag. 83. *l.* 5. Ὁμολογεῖν δὲ καὶ τοὺς Ἀθηναίους) De Cereris in Atticam rege Erechtheo adventu, & myſteriorum ea tempeſtate initiis, paria Philochorus in Euſeb. Canon. p. 28, & marmor Parium, ad quod plura Io. Prideaux p. 182, & Marsham. p. 260. WESS.

ead. l. 12. Ἀπὸ τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερέων) A ſacerdotibus Aegyptiorum primi ordinis, quo de genere Ὠδὸς, Ἱερογραμματεὺς, Στολιστὴς, & *Propheta*, in Clement. Alex. VI Stromat. p. 758. His quodam modo ſimiles Eumolpidae, e quibus Athenis Ἱεροφάντης, & μυστηρίων ἐπιμεληταὶ, atque alii, de quibus Io. Meurſ. Eleuſin. cap. 13, 14. WESS.

ead. l. 13. Τοὺς δὲ Κήρυκας) Praeſtat & *Ceryces.* Inter enim antiquiſſimas gentes populi Athenienſium erat & gens Κηρύκων, *Ceryeum*, qui neque caduceatores, neque praecones, ſed ſacrorum miniſtri, popis & victimariis ſimiles, ut egregie Iſ. Caſaub. in Athen. VI, 6, XIV, 23, oſtendit. Atque his paene pares erant Aegyptiorum *Paſtophori*, templorum aeditui, quemadmodum Clemens Alex. III Paedag. 2, Horapollo I, 40, & Porphyr. IV Abſt. 8, indicant, a ferendis παστοῖς, *thalamis*, ſive Deorum aediculis, id nominis ſortiri. Nam παστοφρούρους eos facere, & novum hoc vocabuli genus ſcriptoribus cum Nic. Cauſſino obtrudere, quis ferat? ſed deſino; plura de Paſtophoris meditanti otium fecit G. Cuperi Harpoc. p. 130. WESS.

ead. l. 14. Μόνους τῶν Ἑλλήνων ὀμνύειν) Iſin Athenis, ſed ſerius, fuiſſe cultam, ex lapide Reineſ. Claſ. I, 135, atque

aliunde novimus. Ergone ſolemne illud νὴ τὼ θεὼ, *per Cererem & Proſerpinam*, in Ariſtoph. Lyſiſtr. eiuſque Schol 81, 148, reſpicit? Quod tamen Iſidi proprium cum nor ſit, fortaſſe circa Alexandri & ſucceſſorum aetatem pe eius numen iuieiurando adacti ſunt. Huc refero, & ad periuros quidem, quae Heſych. habet in Ἶσις. Wess.

Pag. 84. *l.* 2. Πλείστας ἀποικίας ἐκπέμψαι) Scripſera de *Aegyptiorum Coloniis* regnante Ptolemaeo Euergete *Iſte* apud Ethnicographum in Αἰγιαλὸς & Ὤλενος, cuius commentarios, ut aliorum, temporum iniuria nobis invidit Wess.

ead. l. 7. Μηδεμιᾶς ἀξιολόγου) Exemplar unum habet οὐκ ἐκρίναμεν γράφειν, ἀλλὰ τοσαῦθ' ἡμῖν εἰρῆσθαι μόνον στοχαζόμενοι τῆς συμμετρίας. Περὶ δὲ τῆς χωρ. Quae ſ cui placet lectio, reſtituenda fuerit, reponendo videlice εἰρήσθω & στοχαζομένοις· aut certe addendo infinitivum δεῖ vel προσήκειν ante γράφειν, qui ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetatu ante εἰρῆσθαι. Poteſt tamen ferri γράφειν non praecedente infinitivo; at εἰρῆσθαι, meo quidem iudicio, non poteſt Haec autem verba στοχαζόμενοι τῆς συμμετρίας antea po ſuit, cum alibi, tum p. 6 bis. Steph. Verior mihi videtur ſcriptura Cod. M. quicum Reg. & Cl. 2. paene conſentiunt. Vulgatum tamen reliqui, ne cui calumniandi anſam praeberem. Wess.

Pag. 85. *l.* 1. Ὀχυρότητι δὲ φυσικῇ) *Provincia aditu difficilis, & annonae foecunda*, Tacit. I Hiſt. 11. Iſocrati Laudat Buſir. p. 328, ἀθανάτῳ τείχει τῷ Νείλῳ τετειχισμένη. Quibus pleniora haec Ioſephi II B. I. XVI, 4, p. 190: Τετείχισται δὲ πάντοθεν ἢ δυσβάτοις ἐρημίαις, ἢ θαλάσσαις ἀλιμένοις, ἢ ποταμοῖς, ἢ ἕλεσιν. *munitur autem undique* Aegyptu *aut invia ſolitudine, aut mari importuoſo, aut fluviis, aut paludibus*; & IV, 10, 5. Quamobrem Nectanebos, cum Perſae bellum minarentur, ἐθάῤῥει μάλιστα τῇ τῆς χώρας ὀχυρότητι, δυσπροσίτου οὔσης Αἰγύπτου, infr. XV, 42; & Auguſtus *inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu ingredi ſenatoribus aut equitibus Romanis illuſtribus, eam ſepoſuit* II Annal. 59 Taciti. Wess.

ead. l. 9. Ἀπὸ τῆς Τρωγλοδύτιδος) Non movero hoc etſi alterum tritius, Noſtroque haud ſpretum III, 3 Σμύρναν τρωγλοδύτιν Galenus I Antidot. p. 433; Ἶριν τρωγλοδύτιν Africanus in Geopon. VII, 30, habent. Wess.

ead. l. 11. Σταδίων πεντακισχιλίων) Haec omittenda no

ſſe, calculus oſtendit. Si enim 5500 per ſtadia 32 ad milliaria Germanica revoces, ſumma 171 milliarium & 28 ſtadiorum in quoto habetur. Alias 500 tantum ſtadia 18 milliaria & 24 ſtadia efficerent. Quid ergo hic tantopere mirandum eſſet? RHOD. Σταδίων πεντακισχιλίων) Affirmant nos ſtadiorum numeros, quae infra c. 39 leguntur. WESS.

Pag. 86. *l.* 2. Βάραθρα) Erant haec *barathra* inter Peluſium & montem Caſium, Polyb. V, 80; quorum ſolum cum natura cavum & paluſtre eſſet, Nili effuſionibus magis uliginoſum & propterea adeuntibus difficile & formidoloſum reddebatur, Strabo XVI, p. 1076 D. & XVII, p. 1154 D. Conf. infra XX, 74. WESS.

ead. l. 4. Τῷ δὲ μήκει) Non diſſentit Strabo XVI, pag. 1107, qui tamen cum Serbonidem lacum cum Aſphaltite confundat, demiror egregium eius interpretem pravam lectionem βαθύτατον ἔχουσα ὕδωρ Noſtri verbis ſtabiliviſſe, paeneque Codicum manu exaratorum βαρύτατον ὕδωρ damnaſſe, quo tamen nihil eo loco verius, uti ex Galeno IV ſimp. Medic. facult. p. 52, ubi de gravi lacus Aſphaltitis aqua omnia eadem, clariſſime liquet, & quod ſequentia vehementer expoſtulant. Erat autem Serbonis inter Caſium & Rhinocolura, propius tamen Oſtracinen, Ariſtid. T. III, p. 591. WESS.

ead. l. 11. Τὸν δὲ τῆς λίμνης τόπον) Hic τύπον reſtituo, quod loco ſuo τόπος (*locus*) iſte in marginem emovit. RHOD. Τὸν δὲ τῆς λίμνης τύπον) Placet Rhodomanni iudicium. Ingeſtae autem arenae lacum paulatim exſiccarunt. Plinii aevo *palus* erat *modica* V H. N. 13; nunc, ſicuti teſtes oculati aſſeverant, multo minor. WESS.

ead. l. 14. Μετὰ στρατευμάτων) Vide inf. XVI, 46. WESS.

Pag. 87. *l.* 3. Παρακρούεται) *Fruſtratur* & *fallit.* Sic παρακρούεσθαι τὸν δῆμον Ariſtot. IV Polit. 12; τὰς δόξας τῶν ἀκροωμένων παρακρούεσθαι Iſocrat. Panegyr. extrem. & Proteus παρακρουόμενος ὄψεις τὰς ἀνθρωπίνας Dionyſ. T. II, p. 167. Vid. infra III, 63; IV, 9; XVI, 53. WESS.

ead. l. 12. Ἐπιβάλλοντες καὶ πελάζοντες) Gloſſema eſſe καὶ πελάζοντες, quis vel paulum attendens non videt? RHOD.

ead. l. 13. Οὐδεμίαν ἀντίληψιν βοηθείας ἔχουσι) Quod apprehendere, quove expedire ſe queant. Porphyr. in Eclog. Phyſ. Stobenſis pag. 129, στερεμνίαν δ' ὑπόστασιν οὐδεμίαν ἔχειν πρὸς ἀντίληψιν. Plut. T. I, p. 3 A. ὅπως ἂν μὴ παρέχοιεν ἐκ τῶν τριχῶν ἀντίληψιν τοῖς πολεμίοις.

Paulo diverſiore uſu ἀντίληψιν τῶν πραγμάτων Ioſeph XVIII A. I. 6, 9. Wess.

Pag. 88. *l.* 4. Ἀλιμένῳ θαλάττῃ προσκλυζομένη) Ioſephu de Aegypto ἐστὶ γὰρ, inquit, κατὰ τὴν γῆν δυσέμβολος καὶ τὰ πρὸς θαλάσσης ἀλίμενος· & tum τὸ καλούμενον Ai γύπτιον πέλαγος πᾶν ἄπορον ὅρμων IV, B. I. 10, 5, & II 16, 4. Mitto alia, quae illuſtrando Xenophonti Epheſi III, p. 53, erudite coacervavit T. Hemſterh. Miſcell. Ob ſerv. Vol. V, T. III, p. 69. Wess.

ead. l. 10. Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν ἀσφαλῆ λιμένα) Habuiſſe han oram portus *Gazam*, *Raphiam*, *Caſium*, & alios, ſed omne & difficillimi acceſſus & navium ſtationibus male fidos Ioſepho I B. I. 21, 5, & Noſtro XX, 75, credimus. Wes

ead. l. 11. Ταινία παρ' ὅλην) *Dorſum* eſt *arenoſum*, fluct bus haud profundis merſum, & propterea navigantibus ir ſidioſum. Straboni I, p. 85 B. ταινία ὕφαλος. Conf. Miſcel Obſ. Vol. V, T. III, pag. 70, & quae ad *Taeniam longa* Itiner. Anton. p. 10 ſcripſi. Alioqui & ταινία litoris por rectum tractum, quo aut peninſula continenti cohaere aut vicinae regiones diſparantur, indicat, ut III, 49. Wes

ead. l. 15. Ἐποκελλόντων τῶν σκαφῶν) Mallem *navibus* i *brevia impactis*, ut Polyb. I, 51, ἡ πρὸς τὴν γῆν φερόμεν (σκάφος) ἐπώκελλε. Noſter XII, 62, ἡ μὲν τριήρης ἐπώκε λεν· & diſtinctius XIII, 13, οὐκ ὀλίγαι τῶν τριήρων ἐν το βράχεσιν ἐπώκειλαν. Poſſet etiam Clar. 1. ἐποκειλάντων, quae neceſſitas urgeret, defendi ex XX, 88. Verum e nunc non utimur. Wess.

Pag. 89. *l.* 5. Δισχιλίων μὲν σταδίων) Herodot. II, (maritimae huic orae ſtadiorum III millia cum IↃC tribui ſed & eam orditur a ſinu Plinthinete, atque ad palude Serbonidem producit. Straboni eſt III millium & CCC, quidem a Peluſio ad oſtium Canobicum, XVII, p. 113 at p. 1140, ſtadiorum CIↃCCC; quo ſpatio cum & Noſt oram eam, quam Delta facit, c. 34 finiat, ego quide non dubito, quin prior Strabonis locus ex poſteriore Diodoro ſit corrigendus. Hic & quae extra Delta er Aegyptus in ſummam additur. Wess.

ead. l. 14. Κατακεχωρισμένον) Elegans verbi uſus de r bus, quae memoriae mandantur, & quibus locus in m numentis datur, ab Iſ. Caſaub. in Strabon. I, pag. 3 exemplis, Noſtro etiam V, 5, XIII, 114, ad partes v cato, affirmatur. Addo ex Ioſeph. XIV A. I. 10, 20, 7

·ε ἐπιστολὴν κατεχωρίσαμεν εἰς τὰ δημόσια ἡμῶν γράμμα-
τα· & Gemin. Elem. Aſtron. c. 14, ἀλλ' οἱ ἐκ τοῦ ὡς ἐπὶ
τῶν γινομένου τὸ σύμφωνον λαμβάνοντες εἰς τὰ παραπήγμα-
τα κατεχώρισαν. Mendum, quod in Heronis Automat. p.
63 animadvertis, hinc & Athenaei de Machin. p. 8 verbis
acile elues. Wess.

ead. l. 15. Πλείους τῶν τρισμυρίων) Marsham. Canon. ſui
. 420, ſecutus probabilem rationem, ita ſcripſerat: Mſſ.
iciunt, ne in coniectura poſthaec poſitum cenſeatur. Sub
tolemaeis ingens Aegyptus incrementum cepit, urbium-
ue & pagorum, cum Philadelphus regnaret, numerus
xx millia exceſſit. Hoc Theocritus clariſſime ſignifi-
at Idyl. XVII, 82. De Catone in Stephani Διόσπολις,
uem haec Ptolemaeorum tempora reſpexiſſe arbitratur
larshamus, dubites. Ante enim inductam a Perſis vaſti-
item tricies millia vicorum & triginta, hominum vero
ptuagies centena millia, quae mox Diodorus regioni
ıte Lagidarum imperium tribuit, Thebas, i. e. Aegyptum,
t bene Iſ. Voſſius in Melam I, 9, 80, numeraſſe ac poſ-
diſſe prodit. Wess.

Pag. 90. *l.* 1. Οὐκ ἐλάττους εἶναι τριακοσίων) Hoc ſi de-
rit Diodorus, oportet hominum numerus per bella re-
ım Aegypti civilia immanem in modum decreverit. At
ontra venit Ioſeph. II B. I. 16, 4, p. 190, in Aegyptio-
ım catalogum, Veſpaſiano principe, πεντήκοντα πρὸς ταῖς
τακοσίαις μυριάδας ἀνθρώπων, δίχα τῶν Ἀλεξάνδρειαν
ιτοικούντων, ſeptuagies quinquies centena hominum mil-
ı, non additis in ſummam Alexandrinis, qui Noſtri aetate
ures trecentis millibus erant, ſicuti ait XVII, 52, refe-
ns. Sed haec eorum diſcordia evaneſcet, ſi τριακοσίων
ocem, ab H. Stephano in omnibus exemplaribus haud re-
rtam, quam longiſſime hinc elimines. Wess.

ead. l. 10. Ἐκ τόπων ἀοράτων) Sic de ſua aetate Diodo-
s. Et Claudian. de Nilo, 10: *Fluctibus ignotis noſtrum pro-
rrit in orbem, Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani Quae-
ıdus ratione latet; nec contigit ulli Hoc vidiſſe caput.* Nobis
Luſitanorum navigationibus & libris loca ea explora-
cognitaque ſatis ſunt. Vid. Hieron. Lobi Hiſt. Abyſſ.
I, pag. 133, & Ath. Kircheri Oedip. T. I Syntag. I,
Wess.

Pag. 91. *l.* 2. Στάδια μάλιστά πως μύρια) Strabo I, p.
, plus decem millia ſtadiorum emetiri ait; ſed flexuum

Nili rationem habuiſſe non videtur. Adde L. eius XVI p. 1134. Wess.

ead. l. 3. Σὺν αἷς ποιεῖται καμπαῖς. κατὰ δὲ τοὺς) Qu vulgo inter haec inculcata legebantur de Meroë, ea omr Codicum ſubnixus auctoritate eieci. Sunt enim ab hoc l co aliena, neque omni ex parte vera, ſive ea de inſul ambitu, ſeu de fluvii ſpatio cum Poggio & margine M R. acceperis. Leguntur cap. ſeq. Wess.

ead. l. 6. Τὰς παρακειμένας ἠπείρους) Participium παρ κειμένας removeatur. Intelligit enim κατ' ἐξοχὴν Africa & Aſiam: quas duas orbis habitabilis continentes Nilu Aegyptum percurrens, diſterminat. Rhod.

ead. l. 9. Εἰσχεόμενον) Marginale ἐκχεόμενον in conte tum verſio mea recipit. Rhod. Εἰσχεόμενον) Ego de h ſcriptura nihil demuto. Ariſtid. T. III, p. 568: Ὅπερ τὴν θάλασσαν εἰσχεόμενον ἀδήλως ἀναλοῦσθαι. Heliod V, p. 229: καὶ καθάπερ διὰ στομίου εἰς τὸν Κρισσαῖον κ πον εἰσχεόμενον &c. Scio ἐκχεόμενον commodam dare ſ tentiam, nec meliorem tamen vulgato. Omnis fluvius div ſo adſpectu ἐκχεόμενος & εἰσχεόμενος recte dicetur. We

ead. l. 12. Τῇ δ' ἔλαττον τούτων) Non deerunt, quit ἐλάττων probabitur, a quorum opinione diſſentit Dioc rus, qui XVI, 86, de Philippo, ἔχων ἵππους οὐκ ἐλατ τῶν δισχιλίων· & XXIV, Eclog. 1 fin. τῶν δὲ ἑαλωκότ οὐκ ἔλαττον τούτων. Simili prorſus modo S. Paullus 1 moth. V, 9, χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκ τα· in quibus omnibus adverbii formam & uſum indu ſicuti ἐλάττω & πλείω c. 92, & XII, 98. Wess.

Pag. 92. *l.* 8. Ἐφ' ἱκανὸν τόπον) Poggii ridicule vert tis, *uſque ad locum Efficanum nomine*, errorem caſtigavit Leopard. V Emendat. 13. Wess.

ead. l. 13. Ἐν τοῖς καλουμένοις καταράκταις) Conf. Str XVII, p. 1172. Wess.

Pag. 93. *l.* 1. Πέτρους ἔχων πυκνοὺς) Loco huius r diſplicet in margine additum πρῶνας, quod maior in l emphaſis contineatur. Rupes enim exſtantes ſeu pro nentes ita nominantur; quae cum altius ſe attollunt, ſ puli efficiuntur. Rhod. Vulgatum non damno; tam enim Galeni aetate plerique τὰς πέτρας praeferrent, memorat IX ſimp. Medic. facult. p. 121; ſecus alii c ſebant, quos inter & Alciphr. III Epiſt. 59. Strabo πετ δη ὀφρὺν, *ſupercilium petroſum*, in cataractarum deſcripti

[X]VII, pag. 1172, Ariſtid. T. III, p. 580, πέτρας μεγάλας [h]abet. Neque tamen inelegans Clar. Codd. πρῶνας, ſed [p]oëtis frequentatius. Vid. Rittershuſ. in Oppian. III Cy[n]eg. 315. WESS.

[] *ead. l.* 5. Πᾶς δ' ὁ μεσάζων τόπος) Id pro νησίζων reti[n]endum puto. Intelligit enim illud 10 ſtadiorum in lon[g]itudine ſpatium, quod rupes ab initio Cataractarum ad [fi]nem uſque in medio complectuntur. An vero in his an[g]uſtiis, quas aquarum gurgites undique obtinent, & tam [c]eleri fluminis prolapſu, inſulare aliquid eſſe queat, lecto[ri] iudicandum relinquo. RHOD. Haud repugno, quo mi[n]us priſtinam ſedem recepta lectio tueatur: debilis tamen [e]ſt Rhodomanni diſputatio; paſſim enim videmus non lon[g]e a fluviorum cataractis inſulare aliquid aggeri & pau[la]tim coacervari. Quod & circa Nili cataractas, de qui[b]us auctor, uſu veniſſe, locuples teſtis eſt Ariſtid. T. III, [p]ag. 577, ubi ſuis ſe oculis νῆσον τῶν καταρακτῶν, *inſulam* [c]*ataractarum*, uſurpaſſe ait. WESS.

ead. l. 8. Κατὰ τοῦτο τὸ μέρος) Hoc etſi gloſſematis ſpe[c]iem habet, rationis tamen aliquid eſt, cur, ut genuinum, [po]ſſionem priſtinam obtineat. RHOD.

ead. l. 12. Πλήθει τοῦ ῥεύματος) Ῥείθρου in margine no[ta]tum eſt. RHOD.

ead. l. 16. Καταράκται μὲν οὖν εἰσι) Perſuaſit Aethiops, [n]omi nobilis, Ariſtidi, inter Pſelchin, quae in ipſis Aethio[pi]ae finibus, & Meroën ad triginta ſex numerari, T. III, [p.] 581. WESS.

Pag. 94. *l.* 5. Ὡς ἔφημεν) Προθεραπείαν hanc cur exclu[da]mus, nihil, meo iudicio, cauſae eſt. Nam & commode [i]n memoriam revocat, quod paulo ante dixit, & repeti[ti]onem eorundem excuſat. RHOD. Καὶ μίαν εὐμεγέθη) Ego [v]ero Codd. priſcos ſecutus delevi. Inſerta ab eo ſunt, cui [S]cholion, ſuperiori capiti inculcatum, debemus. WESS.

ead. l. 7. Ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μερόης) Ioſeph. II A. I. [1]0, 2, a ſorore Meroë, & Strabo XVII, p. 1139 A. ſed []e eſſe ait, qui uxoris nomen urbi atque inſulae regem [de]diſſe ferant: quorum opinio eadem ac prior videri po[ſſ]it, ſi illa & ſoror & coniux fuerit Cambyſis apud He[ro]dot. III, 31. De Cambyſis matre olim magna fuit diſ[co]rdia, ſed qui Meroën appellarit, neminem alium inve[ni]o. Vid. Athen. XIII, 1, Polyaen. VIII, 29. WESS.

ead. l. 9. Θυρεῷ παραπλησίαν) Straboni θυρεοειδής, eiuſ-

demque longitudinis & latitudinis, XVII, p. 1177 A. ne
diſſentit Heliodor. X, p. 461. Wess.

ead. l. 16. Μέγεθος ἀέριον) Tu videris, an magis conv
niat *ἄπειρον* in margine? Tametſi alterum illud ex iſtoru
numero eſt, quae peculiariter hic auctor uſurpat, & im
menſum, infinitum, ac ſimilia illi ſignificat. Rhod. Dic
doro, ut bene Rhodomannus, *ἀέριον* omne immane, & a
latiſſime patens, aut excelſiſſime in aërem exſurgens. S
II, 54, Arabia *διείληπται πεδίοις ἀμμώδεσιν, ἀερίοις*
μέγεθος, i. e. immenſae vaſtitatis; III, 44, *ἀέριοι θῖνες ἄμ*
μου· XVII, 49, *ἄμμου μέγεθος ἀέριον*. Conf. Stanleium
Aeſchyl. Perſ. 820, & Heſych. in Ἀερίιον. Wess.

Pag. 95. *l.* 2. Χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου) Aes cum au
plerumque invenitur coniunctum. An vero argentum
ferrum ſimul iſtic eruatur, ambigi poteſt. Ideo ſuſpicio
gloſſematis non caret haec parentheſis *ἀργύρου καὶ σιδ*
ρου καί. Rhod.

ead. l. 3. Λίθων τε πολυτελῶν γένη) Hoc *πολυτελῶν* etia
non immixtum contextui, tamen ſubauditur. Rhod. Utra
que viri docti animadverſionem ſubvertit & peſſum d
Strabo XVII, pag. 1177 A. Ἔστι δὲ, de Meroë loqu
tur, *καὶ χαλκωρυχεῖα, καὶ σιδηρουργεῖα, καὶ χρυσεῖα, κ*
λίθων γένη πολυτελῶν. Meminit & *ebeni*, ſed priſcis in e
tionibus; nam quae Amſtelodami provulgata eſt, *καὶ*
ἔβορος praefert. Wess.

ead. l. 8. Ὑπ' Αἰθιόπων ἐπαντλουμένας) An ſatis apta
haec metaphora, nondum liquet. Ideo ſuſpectum eſt h
participium. Quid ſi *ἀπαντλουμένας*, *exhauſtis lacunis*,
ἐκπονουμένας, *excultas?* ſed nihil temere mutandum. Rho
Explicabit Strabo XVII, pag. 1174 B. Νήσους δ' ὁ Νεῖ
κατεσπαρμένας ἔχει παμπόλλας, τὰς μὲν καλυπτομέ
ὅλας ἐν ταῖς ἀναβάσεσι, τὰς δ' ἐκ μέρους· ἐποχετεύε
δὲ τοῖς κοχλίαις τὰ λίαν ἔξαλα. *Nilus plures inſulas h*
inde ſparſas complectitur, quarum aliae excreſcentis fluvii aq
totae obteguntur, aliae ex parte: quae vero fluctibus altius
ſtant, cochliarum ope irrigantur. Τὰ ἔξαλα proprie, quae r
ri eminent, Aeliano XIII H. A. 20, & XV, 2; tum q
fluvio: quae ſi milio conferenda ſint, largiorem aq
copiam poſtulant, quod id limoſa & humida terra gaud
ut docent Geoponic. II, 38. Iam *γεωργεῖσθαι κέγχρ*
malueris, non intercedam; quamquam & vulgatum n
habet incommodi. Strabo XII, pag. 826, de Ponti

maritima ex Caſauboni emendatione, γεωργεῖται οὐ πολλά. Wess.

ead. l. 10. Καὶ κυνοκεφάλων) Copulam, quae ex Rhodomanniana exſulabat, & nupero interpreti Diodori Gallico errandi occaſio fuit, reſtitui. De Cynocephalis infra III, 35. Wess.

Pag. 96. *l.* 1. Τὰς ἐκβολὰς τοῦ ποταμοῦ) Bene hoc habet. Vide infra XV, 42, & praeter Strabon. XVII, pag. 1136 D. Achillem Tatium IV, p. 247. Wess.

ead. l. 4. Καλεῖται Πηλουσιακὸν) Oſtiorum hunc ordinem probant Strabo XVII, pag. 1153, Plinius V H. N. 10, Ptolemaeus IV Geogr. p. 116; alii aliter, de quibus Chriſt. Cellarius IV G. A. pag. 21. Quod autem Noſtro Φατμικὸν, ſive, ut Codd. edunt, Φατμνιτικὸν, id Straboni Φατνικὸν, Plinio *Phatniticon*, ſeu, quod in ſcriptis invenit Salmaſius in Solin. pag. 339, *Phatmiticon*, Ptolemaeo Παθμητικὸν, veteri eius interpreti Ulmenſis editionis *Patmiticon.* Unde Φατμιτικὸν hoc loco, aut certe Φατνιτικὸν, verius cenſeo: ad quam formam τὸ Νείλου στόμα Φαγνητικὸν in L. XX, 76, quod neque viro egregio H. Valeſio in Ammian. XXII, 15, latuit, corrigendum. Wess.

ead. l. 5. Φατμικὸν) Strabo L. XVII, p. 1153, Φατνικὸν habet, Plinius Lib. V, 10, *Phatniticum:* quam lectionem margo confirmat. Rhod.

ead. l. 8. Οὐδὲν κατεπείγει γράφειν) Scholion occupavit Cod. Coislin. e quo propagatae ſunt abſurdae Mutin. & Reg. ſcripturae. Vulgata Diodori eſt, recurritque II, 22; III, 3. Wess.

ead. l. 11. Φυλακαῖς εὐκαίροις διειλημμένη) Multum hoc praeſtat Codd. quorundam lectionem. Ioſeph. I B. I. 20, 5, τοῦτο δὲ πύργοις διείληπται μεγίστοις. Ariſtot. VII Politic. 12, τὰ δὲ τείχη διειλῆφθαι φυλακτηρίοις καὶ πύργοις κατὰ τόπους ἐπικαίρους· quibus in verbis muniendi & diſtinguendi poteſtatem induit, ut ſaepe in his libris; ſicuti I, 96, XII, 49, XIII, 14, XIV, 75. Strabo XII, p. 833, ἀποτόμοις φάραγξι καὶ κρημνοῖς διειλημμένη· cui geminum germanum eſt in huius libri capite ſuperiore. De urbibus autem utraque in ripa oſtiorum Nili poſitis agitur & XV, 42. Wess.

Pag. 97. *l.* 1. Νεκὼς ὁ Ψαμμητίχου) Sic & Herodot. II, 158. At Ariſtoteles I Meteorol. 14, pro Neco habet Seſo-

ſtrin. Strabo & Seſoſtris & Pſammetichi filii meminit XVII p. 1157 A. Alibi autem animum occupatum habuit Aeg Menagius, cum hoc ex loco Darium Perſam iſthmo Corinthiaco perfodiendo manus admoviſſe in Diogen. Laërt. I, 99, probat. Wess.

ead. l. 9. *Φιλοτέχνως*) Alienum videtur. Minus tamen ineptum, quam *καὶ πεντακοσίων*, quod poſt *ἑπτακοσίων* paulo poſt interiectum venit. Rhod. *Φιλότεχνον διάφραγμα*) Hoc probo propter *φιλότεχνον ὄργανον* V, 37, & *εὕρεμα φιλότεχνον* XVII, 44. Videtur autem illud *διάφραγμα* ex eorum genere fuiſſe, quibus in Belgii noſtri oris aquarum cataractae ex uſu clauduntur & aperiuntur. Nam quod Bernh. Montefalconius foſſam hanc ſtatim, poſtquam perfecta erat, a Ptolemaeo iterum obſtructam hinc patere arbitratur Praefat. in Coſmam Indicopleuſten c. 8, 1, id ſecus eſt. Wess.

ead. l. 12. *Ὀνομάζεται Πτολεμαῖος*) Aeliano XII H. A. 29, *Πτολεμαίων ποταμὸς*, eique Strabo quodam modo favet, reges Ptolemaeos Euripum hunc abſolviſſe memorans. Diodoro aſſentitur Tzetzes Chiliad. VII, 457. Foſſae initium erat ad Phacuſam Arabiae, terminabatur ad Arſinoën ſinus Arabici. Vid. Strabon. XVII, p. 1158. Wess.

Pag. 98. *l.* 2. *Ἑπτακοσίων καὶ πεντακοσίων*) Haec verba *καὶ πεντακοσίων*, quae in tribus exemplaribus non ſunt, ne hic quidem poſita fuiſſe cuperem: nam pro *χίλια καὶ διακόσια* quis *ἑπτακόσια καὶ πεντακόσια* dicit? Steph. *Ἑπτακοσίων καὶ πεντήκοντα*) Recte H. Stephan. Ambitum inſulae, quam Delta vocant, Strabo XVII, pag. 1137, trium millium ſtadiorum facit, neque adeo longe a Diodori numeris recedit. Wess.

ead. l. 6. *Ποταμόχωστος γὰρ οὖσα*) Plerique olim inferiorem Aegyptum Nili alluvionibus & aggeſto limo natam cenſuere. *Δῶρον τοῦ ποταμοῦ* propterea Herodoto II, 5; & Nilus Heliodoro IX, p. 444, *Αἰγύπτου τῆς μὲν ἄνω σωτὴρ, τῆς κάτω δὲ καὶ πατὴρ καὶ δημιουργός.* Quae uti elegantia ſe commendant, vereor ne ipſo rerum uſu & ſeculorum tot decurſu non confirmentur. Confer infra III, 33, & Brodaeum III Miſcell. 5. Wess.

ead. l. 11. *Ἀπὸ τοῦ σχήματος κοχλίας*) *Cochliam*, qua agros uberiore Nili aqua irrigabant, & cuius Strabo XVII, pag. 1160 & 1174, meminit, Archimedem, in Aegypto cum eſſet, inveniſſe docetur infra V, 37. Deſcribitur ele-

gantiſſime a Philone Iud. de Confuſ. Ling. p. 325 D. & Vitruvio X, 11. Wess.

ead. l. 16. Καρπῶν καὶ καυλῶν) Vide c. 80. Wess.

Pag. 99. *l.* 6. Λωτός τε γὰρ φύεται) Niloticam lotum, eleganti diſſertatione explicitam, in Nymphaearum claſſem retulit libro de plantis Aegypti p. 73, Proſp. Alpinus. Ex ea panem confieri, Theophraſtus IV Hiſt. plant. 10, & Plinius XXII H. N. 21, conſentiunt. Confer Tzetz. Chil. VI, 714. Wess.

ead. l. 9. Τό, τε κιβώριον) *Ciborium* videtur appellare ipſam plantam, quae fabam Aegyptiam fert: contra ea Strabo XVII, p. 1151, καὶ ὁ κύαμος Αἰγύπτιος, ἐξ οὗ τὸ κιβώριον. *Et faba*, inquit, *Aegyptia*, *e qua ciborium*, ſive fabae eius granum. Diodoro paria facit Dioſcorides III, 148; quod & monuit Salmaſius in Solin. pag. 679. Poſſet alioqui τὸ κιβώριον ipſum eſſe vaſculum, quod loculis ſuis fabarum earum fructum continet. Sed prius malim. De planta ipſa herbariae rei ſtudioſis necdum bene convenit. Vid. Io. Veſtingium Obſervat. in Proſp. Alpin. c. 33, & Io. Bodaeum a Stapel in Theophraſti IV, p. 445. Wess.

ead. l. 11. Καὶ φύσεις πλείους) Gloſſatoris alicuius aſſumentum. Rhod. Δένδρων γένη πλείω καὶ τούτων) Probo viri docti animadverſionem. Scripſi praeterea ἔστι ob Codd. Coisl. & Reg. Vulgatum εἰσὶ ſi quis tamen malit, tueri id poterit animadverſione Iſ. Caſauboni in Athen. VIII, 3, pag. 367. Wess.

ead. l. 12. Περσίαι) Dioſcorides I, 188, Περσέαν cum Theophraſto vocat. Quae lectio prae ceteris reſtituenda eſt. Rhod. Iterum accedo Rhodomanno. Tamen Aeliano ſemel atque iterum Περσαῖαι XI H. A. 11 & 40. Pauſaniae Περσεία V, 14. Eam vero ex Aethiopia in Aegyptum tranſplantatam agnoſcit Soſtratus in Schol. Nicandri Theriac. 764; alii ex Perſide. Callimachus Perſeum in Aegyptum tranſportaſſe, & ſibi cognominem feciſſe, in iiſdem Nicandri Schol. ad Alexipharm. 100 tradit. Tu vide Salmaſii Homonym. Hyles Iatric. c. 88. Wess.

ead. l. 15. Τῶν δὲ συκαμίνων) Duplicem Sycaminum Aegypto tribuit, quarum altera moris uber, vulgo μορέα & συκόμορος, altera Aegyptia, cuius fructus, ficui perſimiles, ipſo ex caudice prorumpebant, Theophraſt. I H. Pl. 24, & IV, 2, ubi copioſe, ut ſolet, Bod. a Stapel, & Proſp. Alpin. Plant. Aegypt. c. 6. Praeter fructus abun-

dantem copiam & aliud commodum Sycaminus Aegypto praeſtabat; aggeres enim Niloticos radicibus ſuis colligans, ut pertinacius cohaererent, efficiebat; quamobrem & extra ordinem in eos animadvertebatur, qui arborem ſuccidèrent, in L. 10 D. de Extraord. Criminib. Wess.

ibid. Τὸν τῶν μόρων καρπὸν) Haec verior lectio eſt, quam marginalis. Quod autem paulo inferius ſequitur μυξάρια, nihil ſani habet. Rhod.

Pag. 100. *l.* 4. Καλούμενα μυξάρια) Parum abeſt, quin huic voci dicam impingam. Graecis, qui ſeriore aetate ſcripſerunt, bellarii quoddam genus notavit: id ſuadent exempla a Carolo du Freſne in Gloſſ. Append. producta; nam quod vir doctiſſimus ea de piſcibus accepit, Imp. Antonini verbis, ſed perperam intellectis, factum eſt: eius enim μυξάριον, uti egregie oſtendit Gataker. in Imp. IV, 48, muccus eſt, nec quidquam iuvat, etſi ita cenſuerit P. Leopard. XVI Emend. 22, haec Diodori Muxaria. Ne prorſus tamen hinc extruderem, Heſychio debetur, qui in Μυοξία habet μυωξάρια, ſive, ut Iunio viſum, μυξάρια, ὡς σῦκα βιβρωσκόμενα. Videtur enim Grammaticus vocem ubi ubi inveniſſe. Itaque ſi genuina hoc loco fuerint, fructum arboris *Muzae* apud Proſp. Alpinum de Plant. Aegypt. cap. 40 notabunt; nec alium intelligit Salmaſius in Solin. p. 931. Wess.

ead. l. 9. Ὃ καλοῦσι ζύθος) Sic praeſtat. Τὸ ζύθος Strabo XVII, pag. 1179 C. τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον ζῦθος Theophraſtus VI Cauſſ. Plant. 15, & infra IV, 2. Adde Hadr. Iunii II Animadv. 12. Wess.

ead. l. 11. Προσαγορευόμενον δὲ Κίκι) Straboni κίκκι XVII, pag. 1179 C. ceteris κίκι, unde κίκινον ἔλαιον Galeno V ſimp. Medicam. facult. p. 82. Soli Gronovii Herodoto II, 94, Τήκι, quod ſchedae Mediceae, fidae quidem in multis, ſed ſchedae tamen, a viro doctiſſimo impetrarunt, ut omnium auctoritati praeponeretur. De Diodori autem verbis nihil utique addidiſſet, ſi H. Stephani editionem in conſilium mittere ſuſtinuiſſet. Wess.

Pag. 101. *l.* 4. Τοῖς χηνείοις παραπλήσια) Haud aliter Herodot. II, 68; Ariſtot. V H. A. 32; Plinius VIII H. N. 25; verum ille XVII cubitorum longitudinem, iſte XV, hic duodeviginti beſtiae tribuit. Aelian. XVII H. A. 6, crocodilum rege Pſammeticho cubitorum XXV, & Amaſide palmorum quatuor ſupra XXVI cubita, Proſp.

autem Alpin. IV Rer. Aegypt. 5, XXX cubitorum, in Aegypto conſpectum refert. WESS.

ead. l. 6. Ὡς κατ' ἄνθρωπον) Mallem, *vitam tam longe prorogat ac homo.* Ζῶσιν οἱ πλεῖστοι καθάπερ ὁ μακρόβιος ἄνθρωπος, quo modo alibi de elephantis. Plutarchus T. II, p. 381 C. & Aelian. X H. A. 21, crocodilos pleroſque ſexagenarios mori perhibent. De lingua quod additur, id caute accipiendum. *Linguae uſu caret*, prudenter Plinius: habet enim linguam, ſed exiguam & immobilem. Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Solinus, Ammianus, quique alii praeterea linguam crocodilo negant, ex vulgi rumore locuti videntur, ut S. Bochartus V Hierozoic. 16, pag. 771, & O. Borrich. Herm. c. 10, egregie docuerunt. WESS.

ead. l. 8. Δέρμα αὐτοῦ πᾶν φολιδωτόν ἐστιν) Aelian. X H. A. 24: λεπίσι μὲν γάρ τε καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ὥπλισται. καὶ ἐοίκασιν ὀστράκοις καρτέροις ἢ κόγχαις· quae crocodili tergum, ſquamis aſperum, & cruſtis quaſi munitum, eleganter depingunt; nec minus Ariſt. II H. A. 10. Parum autem intererit, ſive tu διαφέρον σκληρότητι ſeu διάφορον legas: utroque promiſcue utitur: διαφέρουσα τῷ κάλλει II, 4; at cap. 16, διάφορος τῷ κάλλει. WESS.

ead. l. 11. Δύο δὲ οἱ χαυλιόδοντες) Plinius: *unum ſuperiore mobili maxilla imprimit morſum, alias terribilem, pectinatim ſtipante ſe dentium ſerie:* quod paulo diverſum; neque χαυλιόδοντες ſunt ſerrati, ſive inſtar ſerrae diviſi dentes, ut Plinio adſcripſit Harduinus, ſed exſerti & prominentes, ſicuti in elephantis & apris. Ioan. Diacon. in Scut. Heſiodi 303: χαυλιόδοντα μὲν λέγεται, ὅσα ἔχουσι τοὺς ὀδόντας ἐξεστηκότας τοῦ στόματος, οἷον ἐλέφας καὶ ὁ χοῖρος. Diodoro praeter Herodotum conſentit Ariſtot. II H. A. 10. WESS.

ead. l. 15. Ἁδρὰ καὶ χαλεπὰ) Hoc, ut ἐμφατικὸν atque elegans, retinemus: quod gloſſator per μεγάλα in margine explicare voluit. RHOD.

Pag. 102. *l.* 3. Ὑείας σάρκας) Diſtinctius Herodot. II, 70. WESS.

ead. l. 6. Πλῆθος δ' αὐτῶν ἀμύθητόν ἐστι) Philo Iud. παρ' οἷς μὲν γὰρ τιμᾶται, πληθύνει μάλιστα. παρὰ δὲ τοῖς λυμαινομένοις οὐδ' ὄναρ φαίνεται, in Euſeb. VIII P. E. 14, p. 398 C. Quare plures erant apud Ombitas, rariores in finibus Tentyritarum, quippe crocodilis infeſtorum, Aelian.

X H. A. 21; unde & *immortale odium & nunquam ſanabile vulnus* inter hos finitimos, de quo eleganter Iuvenal. Satir. XV, 33. Wess.

ead. l. 15. Παραπλήσιος ὢν μικρῷ κυνὶ) *Animal parvum eſt muſtelae magnitudine atque figura, ſed longe breviori corpore quam muſtela viſitur, & alvo ampliori, caput parvum habet, roſtrum nigrum, acutum, ore parvo, dentibus murinis conſtat, oculis parvis, admodum vivacibus, itidem viſitur breviſſimo collo, ventre craſſo, pedibus parvis, unguibuſque uncinatis, caudam vero habet longam, ſerpentis modo in tenuitatem abeuntem, colore cinereo fulveſcente.* Sic Proſp. Alpin. IV R. Aegypt. 9; cuius accurata animalis deſcriptio longe ſuperat Nicandream Theriac. 195; neque verum eſt, quod poëta & Strabo XVII, p. 1166, & Aelian. VI H. A. 38, de aſpidum ovis, ab ichneumone frangi ſolitis, memorant: viviparum enim id ſerpentis genus eſt. Cf. infr. c. 87. Wess.

Pag. 103. *l.* 6. Καὶ δίχηλος) Ariſtot. II H. A. 7, δίχηλόν ἐστι ὥσπερ βοῦς· & ante eum Herodot. II, 71; quorum opinionem Plinius VIII H. N. 26, & Achilles Tat. IV, p. 223, affirmant. Tamen Proſp. Alpinus omnes eos falſi arguit, & diviſos quidem eius pedes, ſed bifidos negat, IV R. Aegypt. c. 12. Contra eum & ſententiae conſortes veniunt Ezech. Spanhem. Diſſert. IV de Uſu & Pr. Numiſ. p. 172, & Harduinus in VIII, 28 Plinii, ob Philippi Imp. nummum; ſed is, niſi oculi fallunt, bifidos & bovi ſimiles pedes haud oſtendit. Wess.

ead. l. 8. Κέρκον καὶ φωνὴν) Sic & Herodot. II, 71. Verius Plinius, ſecutus Ariſtotelem, eſſe *roſtro reſimo, cauda & dentibus aprorum aduncis*, prodit. Herodoti & Diodori errorem notavit S. Bochartus V Hierozoic. 14, pag. 757. Wess.

ead. l. 12. Γυμναζόμενον κατὰ βάθους) Scaligeri & Voſſii εὐναζόμενον, *quieſcens*, Codices vetuſti ſpernunt & ipſa ratio. Suffocatur ſub undis Hippopotamus, niſi per intervalla reſpiret, uti Philoſophus ſcribit VIII H. A. 2. Quo ergo modo poterit diem in imo fluvii fundo dormiens conſumere? Ad haec *inter arundines celſas & nimia denſitate ſqualentes* bellua *haec cubilia* ponit, progrediturque ex illis ad ſegetes depaſcendas, Ammian. XXII, 15. Degit itaque interdiu in Nilo per limum reptans, ſubinde emergens, ſeque exercens, ut marina illa ταῖς συνέχεσι πληγαῖς γυμναζόμενα, quae fluctibus ſe quodam modo exercent in

Philon. Iud. de Opif. Mund. p. 13 D. Iam, quod Codd. Coislin. & Mutin. τὰς μὲν ἡμέρας ποιεῖ habent, id puto Scholion eſſe. Novi ποιεῖν χρόνον ex S. Lucae Actis A. XV, 33, XVIII, 23, idque perperam a Ioan. Brodaeo in Lucillii Epigram. II Antholog. 37, p. 235, ſollicitari; ſed cultius eſt vulgatum & Ariſtoteli probatum II H. A. 10. WESS.

Pag. 104. *l.* 1. Τὰς γεωργίας τὰς κατ' Αἴγυπτον) Rectius verteris cum Bocharto, *agris, qui ſunt per Aegyptum;* v. Hierozoic. 15, p. 762, quo etiam loco de voraciſſima beſtia abunde tibi ſatisfaciet. WESS.

ead. l. 5. Ὥσπερ τισὶ κοπεῦσι) Vocabuli auctoritatem lectori ſtudioſo inquirendam relinquo. Mihi enim nihil occurrit hactenus. Ut vero ſe res habeat, inſtrumentum aliquod, verberando vel tundendo aut incidendo aptum, qualia cetera, ſignificatur. Et perſpicua eſt etymologia a κόπτειν, id eſt, *pulſando.* RHOD. Habet κοπέας, *malleolos*, inter ſtatuarii inſtrumenta Lucian. Somnii c. 13; qui hamis ferreis coniuncti duplici ictu nocere poterant. Poſſes alioqui κοπίσιν ſcribere, & de venatoris aut lanii cultro accipere, ut XII, 24, & in Aelian. XIII H. A. 6; verum eo, uti neque Voſſii ἐπισιδήροις, voce novi commatis, nunc quidem non indigemus. WESS.

ead. l. 7. Ἀρχὰς στυπίνας) S. Bocharto, cui in mentem venerat ἀρτάνας vel σπάρτας corrigere, V Hieroz. 15, p. 762, haud poſſum aſſentiri. Ἀρχαὶ στυπίναι ſunt capita ſive principia ſtupeorum vinculorum, ut paſſim quarumcunque rerum, uti funium, trabium & aliarum. Plutarchus T. I, p. 777 E. Cato καλώδιον ἑκάστῳ μικρὸν προσήρτησεν, οὗ τῇ ἀρχῇ προσείχετο φελλὸς εὐμεγέθης. Philo Iud. I Vit. Moſ. p. 638 D. καὶ δοκίδος ἐκ μέσων ἀπαιωρήσαντες, ἧς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν, τῷ δὲ ἔνθεν ἐπιθέντες &c. Atque ita Act. A. X, 16. WESS.

ead. l. 9. Τῶν δ' ἐντοσθεν) Hoc malui. Veniunt eadem ab origine τὰ ἐντόσθια, *inteſtina*, ſive τὰ ἔσωθεν τοῦ σώματος κείμενα, uti Etymolog. explicat, & ἐντοσθίδια Philoſophi IV Part. Animal. 9. WESS.

ead. l. 15. Πλῆθος εἰς ταριχείαν) Vide Xenocratem de Alim. ex piſcib. c. 36, & infra I, 52. WESS.

Pag. 105. *l.* 3. Ἀπὸ θερινῶν τροπῶν) Diſtinctius Plinius a Luna nova, quaecunque poſt ſolſtitium eſt. Alii a Sirii ortu, e cuius etiam exorientis hilariore colore de futura

aquae copia ominabantur, teſte Hephaeſtione, de cuius verbis plura Salmaſ. in Solin. p. 303 &c. Conf. Iſ. Voſſ. de Nili Origin. c. 48, & ſupra c. 19. Wess.

ead. l. 9. Μικροῖς χώμασι) Straboni XVII, p. 1136 B. παραχώματα· quos aggeres, aquam Niloticam commodiſſime diſpenſantes, qui proterve rumperet, extra ordinem plectebatur. Ulpian. L. 10 D. Extraord. Crimin. *In Aegypto qui chomata rumpit vel diſſolvit, (hi ſunt aggeres, qui quidem ſolent aquam Niloticam continere) aeque plectitur extra ordinem & pro conditione ſua* &c. Adde L. unic. C. Theodoſ. de Agger. Nili non Corrump. & quae ad eam erudite Gothofredus: id tamen prave, quod *Cataractas* & *Catadupos* Ciceronis & Strabonis eoſdem atque hos aggeres cenſuerit. Wess.

ead. l. 15. Ἐπάγειν τὰ βοσκήματα) Herodot. II, 14: *τότε σπείρας ἕκαστος τὴν ἑωϋτου ἄρουραν, ἐσβάλλει ἐς αὐτὴν ὗς, tunc in ſuum quiſque rus iacto ſemine ſues immittit.* Quam verſionem, & Plutarch. IV Sympoſ. 5, p. 670 A. eadem docentem, improbat Th. Gale. Sues enim immiſſas in ſementem haud dubie omne frumentum in ventres potius, quam limum, reconditura. Aliam propterea interpretationis viam ineundam ex Heſychii Ὗς, ἄλειφαρ, βοῦς. Hinc patere, Herodotum vaccas & iuvencas intellexiſſe, quae pedibus ſemen molli humo inculcarent atque obruerent. Sic ille; qui ſi recordatus eſſet eorum, quae Aelian. X H. A. 16, de porcis in ſementem conculcandam ab Aegyptiis compulſis ex Eudoxo refert, haud dubie una litura & Herodoto & Plutarcho ſatisfeciſſet: in Heſychio nihil quoque praeſidii; corrupta enim eius verba: niſi erro, ſcribi debent, ὗς, ἄλειφαρ ὑὸς, quo Scythas inungi ſolitos addit, & uſi olim Graeci ſunt ex Perſide reduces in Xenophontis IV Exp. Cyr. p. 257. Wess.

Pag. 106. *l.* 1. Κούφοις ἀρότροις ἐπαγαγόντας) Eleganter Columella II R. R. 2, 25: In Aegypto *plerumque arboribus viduum ſolum frumentis ſeminatur: atque eiuſmodi terram, pinguibus arenis putrem, veluti cinerem ſolutam, quamvis leviſſimo dente moveri ſatis eſt.* Wess.

ead. l. 4. Ὅλως γὰρ πᾶσα γεωργία) Huc ſpectant, quae apud Athen. V, 8, p. 203 C. & Herodot. II, 14. Wess.

ead. l. 8. Ἥ τε ἀμπελόφυτος) Vide, quae diximus c. 15. Wess.

ead. l. 11. Ἀνέντες μηλόβοτον) *Pecoribus depaſcendam.* Stra-

bo V, p. 326 A *τὴν δὲ χώραν μηλόβοτον τοῖς περιοικοῦσι κατέλιπον·* & VII, pag. 485 A. *μικρὰν δ' ἐποίησε Νασικᾶς καὶ τὸ πεδίον μηλόβοτον·* quibus in locis poenae genus eſt, quo hoſtium agri vaſtitate inducta paſtioni pecudum dumtaxat relinquebantur, uti & infra XV, 63. Non item hoc loco, & in Plutarchi T. II, p. 831 E. *Ἀναξαγόρας δὲ τὴν χώραν κατέλιπε μηλόβοτον.* Vid. Menag. & Mer. Caſaub. in Laërt. II, 6. WESS.

ead. l. 12. *Τὰ πρόβατα*) Articulus redundat. RHOD.

Pag. 107. *l.* 7. *Τὸν ἴσον χρόνον ταπεινοῦται*) Omnium optime haec illuſtrabit Herodotus, ex ſchedis Mediceis ab eruditiſſimo I. Gronovio correctus, II, 19, & poſt eum Plinius V N. H. 9. WESS.

ead. l. 12. *Ταῖς Κυκλάσι νήσοις*) Iterum ex Herodoto II, 97. Pulchre Seneca IV Q. N. 2: *Illa facies pulcherrima eſt, cum iam ſe in agros Nilus ingeſſit. Latent campi, opertaeque ſunt valles; oppida inſularum modo exſtant. Nullum in mediterraneis niſi per navigia commercium eſt. Maiorque eſt laetitia gentibus, quo minus terrarum ſuarum vident.* Et Strabo XV, pag. 1014 B. & XVII, p. 1137 B. Id quoque bene, quod collibus partim nativis, partim manu factis, villas atque oppida imponat. Seſoſtris enim in excelſas aggerum moles, quas captivorum manibus coacervaverat, eas civitates, quae humiliorem ſedem occupaverant, tranſmigrare iuſſerat I, 57. WESS.

Pag. 108. *l.* 4. *Εἰς ἄνεσιν τρέπονται*) Feſtos eos dies, a Nilo Νειλῷα Heliodoro IX, pag. 423, dictos, comiſſando, piſcando, navigando hilares conſumebant, Aelian. X H. A. 43. WESS.

ead. l. 8. *Νειλοσκοπεῖον*) Straboni XVII, p. 1171 D. & qui eum ſequitur, Heliodoro IX, p. 443, Νειλομέτριον. Ad quod ego exemplum *Niloſcopium* malim, quam *Nili ſpeculam*: neque enim *ſpeculam* recte dixeris eum puteum, cuius menſurae notis fluvii auctus deprehendebantur. Quid autem aliud *Nilometrium*, ſive *Niloſcopium?* WESS.

ead. l. 12. *Πόσους πήχεις ἢ δακτύλους*) Hoc probo. A cubitis, quibus fluvii incrementa metiebantur, & Nili auctus & inſtrumentum, quo aſcendentis aquas explorabant & menſurabant, ſerior aetas *πήχεις* appellavit: prioris uſus index exſiſtit Himerius in Biblioth. Photii Cod. CCXLII, p. 1127; poſterioris Socrates I H. E. 18, & Sozomen. I H. E. 8; de cuius utriuſque verbis plura Steph.

Le Moyne T. II Var. Sac. p. 324. Solitos autem Aegypti praefectos literis quaqua verſum miſſis Nili increſcentis copiam ſignificare, liquido innuit Imper. Iulian. Epiſt. 50. Wess.

ead. l. 16. Τὸ πλῆθος τῶν ἐσομένων καρπῶν) *In duodecim* enim fluvii augeſcentis *cubitis* Aegyptus *famem* ſentit, *in tredecim etiamnum eſurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim ſecuritatem, ſedecim delicias*, teſte Plinio V N. H. 9. Quae longo uſu cum eſſent animadverſa, poterant utique ex fluvii incrementis de frugum abundantia coniecturam facere. Vid. M. Frid. Wendelini Admiranda Nili c. 7. Wess.

Pag. 109. *l.* 1. Ἐκ πολλῶν χρόνων) Nihil hic mutandum cenſeo, ut nec in proxime ſequente nota. Rhod. Vid. ſup. c. 14. Wess.

ead. l. 9. Ὅλως γὰρ ὑπὲρ τῆς ἀναβάσεως) Omnem hanc Diodori de Nili fontibus & auctibus diſputationem, nulla eius mentione facta, exſcripſit, & pro ſua, pauciſſimis mutatis, uſurpavit Theophylactus Simocata VII Hiſtor. Mauric. 17. Wess.

Pag. 110. *l.* 5. Ὁ πολυπράγμων) Etſi Herodoto ſubinde acerbus ſit Diodorus, hic tamen titulus ob rerum plurimarum uſum & inquiſitionem laudi eius cedit, uti & Cteſiae infra II, 32. Conf. D. Heinſium Lect. Theocrit. c. 5. Nili originem & incrementa habes in Herodoti II, 19 &c. Wess.

ead. l. 11. Τῶν τόπων τῶν κατ' Αἴγυπτον) De Thucydide hoc ſcriptum nollem. Quae de Inaro is & Athenienſibus commemorat I, 104, 109, omnia alia docent. Wess.

Pag. 111. *l.* 3. Ἀλλ' οὐδὲ μέχρι τῶν ὅρων) Ipſe Diodorus his plane adverſa ſcribit I, 67. Wess.

ead. l. 4. Ἄξενα πάντα ἦν τὰ περὶ τοὺς) Iuſtum hoc & legitimum eſt. Sic XVII, 82: ἄξενα καὶ ἀνεπίβατα πάντα τὰ μέρη τῆς χώρας ὑπῆρχεν. Wess.

ead. l. 7. Πρώτου στρατεύσαντος) *Primus* Ptolemaeus Philadelphus *Troglodyticen excuſſit*, ut Plinius ait, & in finibus Aethiopiae Ptolemaidem ad venatus elephantorum condidit, VI H. N. 29. Elephantorum enim cauſa eam expeditionem ingreſſum eſſe, filius Evergetes indicat in marmore Adulitano apud Coſmam Indicopleuſt. II Coſmograph. p. 141. Wess.

ead. l. 13. Μέχρι τῶνδε τῶν ἱστοριογράφων) Appoſita

margini lectio mihi potior videtur, quod & alibi ita loquatur, ſi bene memini. Retinendo alteram ex τῶνδε facerem τοῦδε, ſubaudiendo χρόνου· ut dicitur ἐξ οὗ & ἀφ' οὗ, ſubaudiendo χρόνου, potius quam ἐξ ὧν & ἀφ' ὧν, ſubaudiendo χρόνων. STEPH. Reſtituo cum H. Stephano τοῦδε, ut intelligatur τοῦ χρόνου, vel καιροῦ. Itemque ἀκούειν, pro ἀκοὴν, ut ſit enallage pro ἀκοῦσαι. Et aliquanto poſt, pro εἰς πίστιν αὐτῶν, lege cum eodem εἰς πίστιν αὐτὸν, ut referatur ad προσδεόμενον. RHOD. Μέχρι τῶνδε τῶν ἱστοριῶν γραφομένων) Sequor H. Stephani & Codicum vetuſtorum iudicium. Contra Diodorum tamen venit Ariſtoteles in Biblioth. Photii Cod. CCXLIX, pag. 1322, & Eratoſthenes apud Proclum in Timaeum pag. 37. WESS.

ead. l. 14. Οὐδ' ἀκοὴν ἀπεφήνατο) Fortaſſe ἀκοῦσαι ſcripſerat Diodorus, ut ἑωρακέναι· alioqui ἀκούειν vicinius eſt accuſativo ἀκοήν. STEPH. Nihil hic, tametſi Clar. 2. coniecturam Stephani iuvet, muto. Vulgatum cultius eſt, & idem plane ſignificat, atque illud, quod eius in locum intruditur. Ariſtides T. III, p. 579, *ſi Herodotus unquam Elephantinen, ut ait, veniſſet,* ἐσθ' ὅπως πρῶτον μὲν ἀκοὴν διηγεῖτο, περὶ ὧν εἶδεν; *fierine potuit, ut ex auditu ea narraret, quae viderat ipſe?* Simile eſt in Attica lege, quam Demoſthen. II cont. Stephan. pag. 634, exſcripſit, ἀκοὴν εἶναι μαρτυρεῖν τεθνεῶτος, *licere de mortuo, id quod auditu acceperis, teſtari.* Pro quo ἀκοῇ μαρτυρεῖν nunc quidem legitur in Oratione Iſaei de Philoctem. Hered. p. 61; ſed, uti oportet, in ea deCiron. Hered. p. 70 & 72. WESS.

ead. l. 17. Ἀπὸ τοῦ περιῤῥέοντος) Perſtringit hanc opinionem Herodot. II, 21 & 23. WESS.

Pag. 112. *l.* 2. Ὑγιὲς οὐδὲν λέγοντες) Frequens hoc de nugacibus mendacibuſque. Demoſthen. de Coron. p. 137, οὐδ' οὗτος ὑγιὲς περὶ τούτων εἴρηκεν· & Legat. falſ. p. 238, αὐτοὶ δ' οὐδοτιοῦν ὑγιὲς γράψαντες. Conf. Ti. Hemſterh. in Luciani D. Mort. XXVIII, 3. WESS.

ead. l. 3. Εἰς πίστιν αὐτῶν) In omnibus noſtris Codicibus αὐτῶν· ſed omnibus fidem hic derogo, ac repono αὐτὸν, ut ſit ſenſus, *rationem afferentes ad probandum, quae ipſamet probatione indiget.* Sic autem ſaepe pronomen hoc uſurpatur. Nec tamen ignoro, αὐτῶν poſſe ab accuſativo πίστιν regi: ſed quid referet hic genitivus? STEPH. Non refragor viro doctiſſimo; poſſes alioqui delere, ut ſane

fecit Theophylactus. Retinui tamen illud *αὐτῶν*, quo[d] Codd. ſcriptis haud improbaretur. WESS.

ead. l. 5. Προσαγορευόμενοι δὲ Μόλγιοι) Habet Κυναμόλγους III, 31, ſed Aethiopas: Μολίβας Ptolem. IV Geogr. 8. Utri horum cum *Molgiis* ſeu *Bolgiis* conveniant, an commune nihil habeant, haud temere dixerim. WESS.

ead. l. 9. Διὸ καὶ πολυγονώτατον) Conf. c. 40. WESS.

ead. l. 13. Τῆς εὑρεσιλογίας πολὺ κεχωρισμένοι) Ordinem verborum ſi ſpectes, non diſſimile hoc Demadis orationis quae illi tribuitur, principio, ἂν δ' εὑρίσκωμαι τῶν ἐγκεκλημένων κεχωρισμένος. Sed nobis hic negotium faceſſi[t] εὑρεσιλογία, quae parili modo ſcripta invenitur XII, 16: at XVII, 116, εὑρησιλογία, ſed invito Cod. Reg. & εὑρεσιλογίαν probante. Polybius tamen Excerpt. Legat. pag. 1108, τὴν πρὸς ἀλλήλους εὑρησιλογίαν, *mutuas verborum altercationes*, habet; Philo vero Iud. Quod Om. Prob. Lib. pag. 867 E. ἀνελόντες οὖν ἐκποδὼν τὰς προφασιστικὰς εὑρεσιολογίας. Ita enim Cod. Auguſtan. non, uti vulgo, ἐλευθερίας. In verbo eadem diſcordia, quam H. Stephanus intactam haud praeteriit ad Diogen. Laërt. II, 134. Mih[i] exempli cauſa Porphyrii Commentarius extremus de Antro Nymph. ſatis erit: Οὐ δεῖ δὲ τὰς τοιαύτας ἐξηγήσει[ς] βεβιασμένας ἡγεῖσθαι, καὶ εὑρησιλογούντων πιθανότητας. Optime enim Noſtri verbis reſpondet, & plauſibilium nugarum commenta complectitur. In tanto vero ſcripturae diſſidio a ſcriptis libris non diſcedam, εὑρεσιλογίαν ver[o] & analogiae ſimiliorem arbitratus. WESS.

Pag. 113. *l.* 3. Ἀστάπουν προσηγορεύκασιν) Nilus *medio. Aethiopas ſecat, cognominatus Aſtapus, quod illarum gentium lingua ſignificat aquam e tenebris profluentem*, V H. N. 9 Plinius. Alii Aſtapum a Nilo diſtinguunt, de quibus Ch. Cellar. IV Geogr. 8, p. 241. WESS.

ead. l. 4. Εἰς τὴν Ἑλλήνων διάλεκτον) Tautologiam eſſ[e] ſuſpicor, at tolerandam. RHOD. Poſſe haec ſine damn[o] abeſſe, nemo, qui vel N. T. libros uſu triverit, diffitebitur. Noſtri tamen eſt cap. 11 huius libri, μεθερμηνευομένων γὰρ τούτων εἰς τὸν Ἑλληνικὸν τῆς διαλέκτου τρόπον. WESS.

ead. l. 8. Ὁ πλεῖστον ἀπέχων) Articulus, hic in parenthesi concluſus, neceſſario requiritur. RHOD.

ead. l. 11. Ἀνατίθησι Λίβυσι) Haec negabit Herodot. II 32, longe ea in narratione Diodoro circumſpectior. WESS

Pag. 114. *l.* 6. Φησὶ τοὺς ἐτησίας) Schol. Apollonii Rhod. IV, 269, opinionem hanc Thaletis, ſed minus dextre, exponit: melius Diogen. Laërt. I, 37: elegantiſſime vero Philo Iud. cui eadem ſententia placuit, I Vit. Moſ. pag. 620 A. Wess.

ead. l. 12. Οἱ ποταμοὶ πάντες) Sequitur Herodot. II, 20. Wess.

Pag. 115. *l.* 3. Εὐριπίδης μαθητὴς) Conf. ſupra c. 7, & Vitruvium Praefat. L. VII. Euripidis verſus ſunt ex Archelao tragoedia, leguntur que auctiores in Anonymi Commentario de Nilo cum eiuſdem argumenti aliis ex Helenae Euripid. principio & Aeſchylo, nec mendis plane liberi, ut ex Iſ. Voſſio in Melam I, 9, 27, videbis. Eoſdem ex Helena exſcripſit Schol. Apollonii Rhod. IV, 269, & Ariſtid. T. III, p. 559, ſed male habitos; quod cum de Ariſtide multis abhinc annis admonuerit G. Iungermannus, haud iniuria mireris Iebbium intactos eos praetereuntem. Wess.

ead. l. 10. Ἀδύνατον χιόνα πίπτειν) Lucan. X, 219: *Vana fides veterum, Nilo, quod creſcat in arva, Aethiopum prodeſſe nives. Non Arctos in illis Montibus aut Boreas. Teſtis tibi ſole peruſti Ipſe color populi, calidique vaporibus Auſtri.* Quae ad patrui Senecae IV Q. N. 2, verba exacta eſſe in confeſſo eſt; nec omni tamen ex parte vera: celſiora enim Aethiopiae loca, ut pleraque montium cacumina, frigent, nec deeſt illis nix neque grando, etſi rarior, uti docet Iob. Ludolf. I H. Aethiop. cap. 5, & ante eum Hieron. Lobus Hiſtor. Abyſſin. p. 141. Wess.

Pag. 116. *l.* 3. Οὔτε νέφους ὑποστάσεις) Atqui Theſſaliae fluvius eſt, *Quique nec humentes nebulas nec rore madentem Aëra, nec tenues ventos ſuſpirat Anauros*, Lucan. VI, 369; & *in Aegypto minus odorati flores, quia nubiloſus & roſcidus aër eſt a Nilo flumine*, auctore Plinio XXI N. H. 7, ſed ſibi V, 9, & pleriſque omnibus veterum obloquente; quorum ſententiam eo colore excuſari poſſe, ſi vapores craſſiores fluvio negentur, oſtendit poſt Brodaeum III Miſcell. 30, M. F. Wendelin. Admirand. Nili c. 11. Wess.

ead. l. 5. Ἡρόδοτος δέ φησι) Lib. II, 25. Wess.

ead. l. 8. Ὑγρασίαν ἐκ τοῦ Νείλου) Etiam haec verba ad explicandam auctoris ſententiam neceſſario pertinent. Idcirco pro genuinis habenda. Rhod.

ead. l. 15. Οὐ γὰρ ἐν τοῖς καύμασι) Scite reponit H. Ste-

phan. *ἐν μὲν τοῖς καύμ.* ſed poſt Νεῖλον, quod antecedit comma ſubſtituendum, loco puncti. RHOD. Non aſſentio viris doctiſſimis. Id ſi Diodorus ſcripſiſſet, profecto Herodoti ſententiam, qua fluvium aeſtate maiores auctus capere negat, perperam expoſuiſſet. Verte ergo mecum, *nequ enim aeſtate augeri, ſed hieme ob dictam ante cauſam minui* WESS.

Pag. 117. *l.* 12. Πλῆθος τῶν γενομένων ὄμβρων) Scholiaſtes, in margine ὑδάτων apponens, etiam ipſe σχεδιάζει &, ut ſolet, impudenter nugatur. Quo numero etiam ſequentia eius duo Scholia cenſenda. RHOD.

ead. l. 17. Τὸ δὲ πλῆθος τῆς σωρευομένης χιόνος) Democriti opinionem pervertit Schol. Apollon. Rhod. IV, 269 Eteſias ex ubere nivis ſub ſeptemtrionem liquefactae copia naſci, indicat Ariſtoteles II Meteorol. 5, & firmat Ulpian. in Demoſth. Philip. I, p. 35, in Democriti ſententiam de Nili origine aperte tranſgreſſus. De Eteſiis non longe abeunt noſtrae aetatis philoſophi. Cf. Pet. Muſſchenbroekii Phyſicam ſegm. 1752. WESS.

Pag. 118. *l.* 15. Οὔπω τῶν ἐτησίων πνεόντων) Herodotus ſaepenumero nondum ſpirantibus Eteſiis in arva Nilum aſcendere ait II, 20; unde iuſta concluſione conficias, eos nonnunquam aequales eſſe fluvii incrementis. Prodromi ſaltem fluvii auctibus erant priores, Plinius II N. H. 47 cui Salmaſium in Solin. p. 304 iunge. WESS.

Pag. 119. *l.* 8. Ἀργέσται) Nihil fere diſſentit Philoſophus II Meteorol. 6, neque A. Gellius II N. A. 22, ex alia atque alia coeli parte Eteſias ſpirare aſſeverans. Quare bene Heſychius, Ἀργέσται, οἱ Ἐτήσιοι. WESS.

ead. l. 11. Ἀλλ' οὐδὲ τὴν πίστιν ἔχει) Nunc citra dubium ea res eſt. Aethiopia enim excelſiſſimis montibus eſt diſtincta, ſicuti oſtendit Iob. Ludolf. I H. Aeth. 6. Reſtat autem multum dubii in ſcriptura huius loci; cui enim bono ἐνέργεια illa? Ne dicam dolo, fuiſſe arbitror, διὰ τῆς ἐναργείας συγχωρουμένην, *ipſa evidentia comprobatam*, id quod res ipſa expoſtulat. Video quidem cap. 40, καὶ γὰρ ἐάν τις βιάζηται τὴν ἐνέργειαν· & ἢ τὴν ἐνέργειαν παρέχεσθαι μαρτυροῦσαν· praeterea cap. 41, ἄλλως τε καὶ τῆς ἐνεργείας αὐτῆς μαρτυρουμένης ὑπὸ τῶν &c. ſed ea omnia mihi ſuſpecta ſunt, & in plerisque manu exarati Codices ἐναργείας vocem malunt, quam ſatis conſtat haud raro ab altera loco & ſede ſua deiectam fuiſſe, ſicuti in Stra

bone I, p. 45 A. & Philon. Iud. de Cherub. pag. 117 D. & Dionyſio Halicarn. T. II, pag. 83, ubi plura doctiſſimus Sylburg. Wess.

ead. l. 12. Ἔφορος δὲ καινοτάτην) Ingreſſus erat Ephorus, quemadmodum hoc loco Diodorus, longam de Nilo, eius fontibus & incrementi cauſis, diſputationem Lib. XI Hiſtor. confutaveratque aliorum ea de re opiniones, auctore Theone Progymnaſm. c. 2, p. 16. Cuiuſmodi diſſertationis cum ſine dubio pars ſit illud de Nilo fragmentum, quod ex Anonymo ſcriptore excerptum primus H. Stephanus vulgavit, & Herodoto, poſt praebitum a Iungermanno exemplum, iungi ſolet; haud iniuſta fortaſſe ſuſpicio erit, Ephoro deberi, & a Grammaticis propter eius elegantiam deſcriptum ſervatumque eſſe: quae tamen coniectura tum demum iure facta videbitur, ſi quod aliunde illi robur & pondus acceſſerit. Wess.

Pag. 120. *l.* 2. Ἔτι δὲ κισσηρώδη) Codicis Clar. 2. ſcriptura huius eſt παραδιόρθωσις. Aegyptus κισσηρώδης ob ſoli ingenium, quod pumicem quodammodo referebat, ut inſula Thera ex eadem cauſa κισσηρώδης καὶ πολυφόρος in Schol. Pindari Pyth. IV, 11. Wess.

ead. l. 10. Μηδὲ παρὰ τῶν εἰδότων) Hoc quidem ſatis acerbe. Et tamen, niſi falſum tradidit Porphyrius, Aegyptii veteres cenſebant, τὸ ὕδωρ κάτωθεν ἀναβλυσταίνειν τῇ ἀναβάσει τοῦ Νείλου, aquam e terra in Nili incrementis ſcaturire, proptereaque Nilum ἱδρῶτα τῆς γῆς, *terrae ſudorem*, recte dici in Comment. Procli in Timaeum p. 37, ubi & ea ſententia rationibus, his Noſtri non multum diſſimilibus, infringitur. Wess.

ead. l. 15. Πλείω τῶν ἑξακισχιλίων) Confer ſupra c. 30. Mox πρὶν ἢ malui, quod & alias, ſcriptis addicentibus libris, non ſpernam. Wess.

Pag. 121. *l.* 5. Τοσοῦτο πλῆθος) Relativum id exaggeratorium loco movendum non eſſe arbitror: reſpectum enim habet ad mirificam Nili exundationem, quae maiorem aquarum copiam depoſcit, quam quae cavernis terrae contineatur. Rhod.

ead. l. 13. Τὸ ψεῦδος τῆς τε ποταμοχώστου γῆς) Haec, preſſius ſi urſeris, non bene illis convenient, quae cap. 34 profeſſus eſt. Voluit, puto, aggeſtae huic terrae cavitates & meatus, in quibus aqua comprehenſa lateret, negare. Wess.

ead. l. 15. Τῶν ἐν τούτοις ἐλέγχων) Articulum hic otioſum eſſe, facile conceſſeris. Rhod.

Pag. 122. *l.* 1. Πολλὴν χώραν πεποίηκε) Maeandri campum, *Μαιάνδρου πεδίον* Herodot. II, 10, ex aggeſto limo natum, Strabo XII, p. 868. Prienen, mari olim accubantem, continuis Maeandri alluvionibus in ſolo mediterraneo collocatam ſignificat. Wess.

ead. l. 5. Ὁ Ἀχελῶος ποταμὸς) Echinades eum inſulas & feciſſe, & conditas paene continenti iunxiſſe, docent Thucydides II, 102, Pauſan. VIII, 24, p. 647, & Strabo X, p. 703 A. quem & de Cephiſo vide IX, p. 624 B. Id vero, quod de Maeandro, Acheloo & Cephiſo hic proditur, omnibus eſſe fluviis commune, res ipſa monet, & ab eodem oſtenditur L. I, p. 91. Wess.

ead. l. 10. Ὠλιγωρηκότα τῆς ἀληθείας) Nihil Seneca diſſentiens, *Ephorus*, inquit, *non religioſiſſimae fidei, ſaepe decipit, ſaepe decipitur,* VII Q. N. 16. Quod utriuſque iudicium confirmat G. Io. Voſſius I H. Graec. 7. Wess.

Pag. 123. *l.* 1. Ἀντιπεπονθὸς ταῖς ὥραις) Bene Rhodom. Theophraſtus de Lapid. p. 393: *καὶ ἐκεῖνος μὲν τούτῳ (τῷ λίθῳ) ὥσπερ ἀντιπεπονθῶς, & hic quidem lapis illi contrarium habet ingenium.* Alio uſu Pythagorei adhibebant, affirmantes, *τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ εἶναι*, in Philoſophi Ethic. Euthydem. IV, 3. Iuſtum enim talione quadam abſolvi, & aequiſſimum eſſe, ut ea patiaris, quae prior ipſe feciſſes. *Οὐ μέντοι ὡς οἱ Πυθαγόρειοι (τὸ ἀντιπεπονθὸς) ἔλεγον. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ᾤοντο δίκαιον εἶναι, ἅ ἐποίησέ τις, ταῦτα ἀντιπαθεῖν*, in eiuſdem Ethic. Maior. I, 34, p. 31. Hanc vero de Nili origine opinionem Eudoxus ſacerdotum eſſe Aegyptiorum ait in Plutarchi IV Plac. Phil. 1, Nicagorae vero Critici in Apollon. Rhod. IV, 269. Conf. O. Borrichium Hermet. c. 8. Wess.

ead. l. 2. Διὰ καῦμα ἀοίκητον) Valuerat olim opinio, regiones, zonae torridae ſubiectas, propter vehementem ſolis aeſtum incolas non pati: quam falſam eſſe, nunc quidem vix quiſquam dubitat. De Aethiopiae locorumque, per quae Nilus in Aegyptum evolvitur, temperato aëre Hieron. Lobus Hiſtor. Abyſſin. p. 85. Wess.

ead. l. 9. Τὸ πλεονάζον τῶν ὑδάτων) Haec procul dubio germana eſt lectio. Quae enim alias foret ſyntaxis? cum *φέρεσθαι* non ad *χειμῶνας*, ſed ad *ὑδάτων τὸ πλεονάζον* referatur. Rhod.

ead. l. 12. Δύνασθαι παρελθεῖν) Utraque lectio ſtare poteſt. Sed voluit Gloſſator forte ambiguitatem, quae eſt in παρελθεῖν, ſuo iſto explicare. RHOD. Sic II, 14, παρῆλθεν εἰς Ἄμμωνα, χρησομένη τῷ θεῷ· pluribuſque aliis in locis, ut mutare temerarium ſit. WESS.

Pag. 124. *l.* 3. Φανερὰν καὶ πρόχειρον ἀντίῤῥησιν) Tametſi προφανὲς ἅπασι illud recte dicatur, quod omnibus cognitum exploratumque eſt, III, 2; arbitror tamen a librario veniſſe, quod Codices M. & Coislin. prae ſe ferunt. Quod vero Diodorus ex rotundiore terrae figura philoſophos concluſione quadam urget, & Nilum ex oppoſita zona progredi poſſe negat, id perperam ab eo inſtitui, atque a vero longiſſime recedere, admonuerunt viri doctiſſimi Latin. Latinius Biblioth. ſuae pag. 76, & M. Frid. Wendelin. Admirand. Nili c. 8. WESS.

ead. l. 8. Βιάζηται τὴν ἐνέργειαν) Nova haec loquendi forma, & auctori noſtro propria, diutius me ſuſpenſum tenuit; donec ſententiam, quam vides, elicuerim. Quod ſi tibi, candide eruditeque lector, forte ſatisfactum non eſt hoc in loco & compluribus aliis, ignoſcas quaeſo τῷ πλείοσιν ἐνασχολουμένῳ, & cum aliis, tum exemplorum etiam manu ſcriptorum adiumentis deſtituto: meque, ſi velis, de meliore ſenſu humaniter erudias, etiam atque etiam oro. Nam ut ad φιλομάθειαν natus ſum & aſſuefactus, ſic a peritioribus me edoceri, tam abeſt, ut aegre feram, ut ad gratiarum debita illis exſolvenda me ſemper obſtrictum fatear. RHOD. Βιάζηται τὴν ἐνάργειαν) Sequor ſchedas Coislinianas. Τὴν ἐνάργειαν βιάζεσθαι eſt vim illi facere, & contra res evidentes quaeſitis ſermonibus venire, ſive, ut cap. ſeq. καταμάχεσθαι τὴν ἀλήθειαν. Ad quem modum βιάζεσθαι θεοῦ βούλησιν, contra Dei voluntatem niti, Ioſeph. IV A. I. 6, 5; & τὴν πάροδον βιάζεσθαι, vi tranſitum aperire, Zoſim. V, 29, ſimiliaque. WESS.

Pag. 125. *l.* 3. Εἰκὸς γὰρ εἶναι) Theophylactus εἰκὸς γὰρ εἶναι καὶ ἑτέρους ἐκεῖ ποταμοὺς, ſive coniectura ductus, ſeu quod id in eo eſſet libro, quem exſcribebat, legit. Utcunque decernas, ſententiam Diodori melius Rhodomanno percepit. Verte ergo: *vero enim ſimile eſſe, plures illic fluvios, ſicuti & apud nos, inveniri.* WESS.

ead. l. 6. Πολύγονος οὐκ ἂν ἦν) *Foetifer potu Nilus* dicitur Plinio VII H. N. 3, & eius aqua ὕδωρ πολυγονώτατον καὶ γλυκύτατον Theophraſto in Athen. II, 4, pag. 41. Non

addo, aquis eius foecundiores feminas fieri, & ſobolem ovium caprarumque mirifice adaugeri. Vide Euſtath. in Homer. pag. 1499, & Stanleium in Aeſchyl. Supplic. 570. Quae ſequuntur, examinat M. Fr. Wendelin. Admirand. Nili cap. 10. Wess.

ead. l. 13. *Οἰνοπίδης δὲ ὁ Χῖος*) Floruit Oenopides eadem paene aetate, qua Anaxagoras, cui & iungitur in Platonis Amator. pag. 132; nactuſque eſt magnum, poſtquam Aegyptum adierat, infra c. 98, ob peritiam rerum coeleſtium nomen, quod praeteritum non eſt a viris egregiis Aeg. Menagio in Diogen. IX, 37, & Iac. Perizonio ad Aelian. X V. H. 7. Wess.

Pag. 126. *l.* 2. *Ἥκιστα τὸ ὕδωρ ψυχρὸν*) Recte Seneca reſcribit, *Non calorem hieme ſub terris eſſe maiorem. Aqua & ſpecus & putei tepent, quia aëra rigentem extrinſecus non recipiunt. Ita non calorem habent, ſed frigus excludunt. Ex eadem cauſa aeſtate refrigeſcunt: quia illo remotus ſeductuſque aër calefactus non pervenit*, IV Q. Natur. 2. Wess.

ead. l. 7. *Πολὺ τῆς ὑγρᾶς οὐσίας*) Mihi, ut ſimplicius, ita elegantius videtur, *ὑγρασίας*. Rhod. Non accedo viro doctiſſimo. Codex Cl. 2. quo & H. Stephanum olim uſum fuiſſe mihi liquido conſtat, non infringet ceterorum & Theophylacti conſenſum. *Ὑγρὰ οὐσία* aeque profecto humorem exprimere apta eſt, ac *ὑγρὰ φύσις* in cap. 7. Wess.

ead. l. 14. *Τὰς ῥεύσεις ποιούμενοι*) Nihil admodum intererit, hoccine probes, an Theophylacti *ῥύσεις*. Tamen Diodorus I, 34, *πραεῖαν τοῦ Νείλου τὴν ῥύσιν ποιουμένου·* & de Pado Polyb. II, 16, *ποιούμενος τὴν ῥύσιν ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν*. Mitto Strabonem IV, pag. 284 B. XII, pag. 852 A. Wess.

Pag. 127. *l.* 3. *Ἐν τοῖς κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν*) Docet Strabo XVII, p. 1138, ſub regibus Ptolemaeis id reapſe fuiſſe cognitum atque exploratum Aegyptiis; Eratoſthenes vero, non oportere ea de re quemquam in dubio eſſe, quandoquidem ad Nili fontes quidam adierint, & largiſſimos imbres ſuis oculis uſurparint: *Σαφῶς καὶ ἀφικομένων τινῶν εἰς τὰς τοῦ Νείλου πηγὰς, καὶ τοὺς ὄμβρους τοὺς γινομένους ἑωρακότων*, in Procli Comment. in Platon. Timaeum pag. 37. Quod profecto iuſtius nunc oggeri dubitantibus poteſt, cum Petrus Paiſius, Hieronymus Lobus, & plures Luſitanorum eoſdem Nili fontes & copioſiſſimos Aethiopiae & luſtrarint & experti fuerint imbres. Conf. Ath.

Kircheri Oedip. T. I, Syntagm. 1, 7, & Iob. Ludolfi I H. Aethiop. 8. WESS.

ead. l. 11. Οὐ προσήκειν ἀθετεῖσθαι) Cum obliqua oratione μιμητικῶς ἢ κατὰ προσωποποιΐαν verba Agatharchidis hiſtorici, noſtro quoque iudicio graviſſima, recitentur, προσήκειν ſcribendum exiſtimo. RHOD. Ego reſtitui, uti oportebat, ſecutus Rhodomanni opinionem: nec aliud ſua in verſione Poggius expreſſit, ut ſuo in libro ita inveniſſe putes. WESS.

Pag. 128. *l.* 3. Νιφετοὺς ἐξαισίους) Notae ſunt *Scythicae nives* ex Plinio VI, 17. Credo tamen ob oculos habuiſſe, quae circa Paropamiſum, quem Caucaſum aut Caucaſo cohaerentem putabant, contingere narrat XVII, 82. Nives autem has ἐξαισίους appellat, ſolito ſibi vocabulo, quo omnia ingentia & conſueto multis partibus maiora deſignat, ut ψόφον ἐξαίσιον, IV, 13; ὕψος ἐξαίσιον XIII, 82; ἐξαίσιον βοὴν XIV, 74 &c. WESS.

ead. l. 7. Ἀρχομένου θέρους) Perperam haec exſulant ex Coisliniano. Ὕεται γὰρ ἡ Ἰνδῶν γῆ τὸ θέρος, *aeſtate pluviis madet Indorum regio*, ſicuti Arrianus ait Indic. cap. 6, ex Nearcho; e quo non diſſimilia Strabo XV, p. 1013 C. & 1020 B. ſed qui fluvium Ὑδάσπην *Hydaſpem* vocat, qua terminatione & Noſter XVII, 96; unde vitium hic eſſe ſuſpicor. In Theophylacto certe egregium exſtat: nam eius περὶ τῶν ποταμῶν τῶν ὑδάτων ex melioribus his, ſicuti bene Iungerm. nata ſunt. WESS.

Pag. 129. *l.* 6. Καὶ παντελῶς ἀσθενεῖς) En novum ſarcinatoris centonem. RHOD. Non auſus ſum delere, etſi viri eruditi iudicium haud omnino diſplicet. Ex Grammatici interpretatione ſi in hanc ſedem migraverint, oportet ſatis cito fuerint inculcata. Eadem enim in ſuo reperit Theophylactus. Iungit has voces, ſed commodiore loco, Ioſeph. IV Ant. I. 6, 5. WESS.

ead. l. 12. Τὴν πρώτην μερίδα περιγράψομεν) Sine controverſia hoc rectum eſt, tametſi παραγράφειν τοὺς χρόνους II, 31, & παραγράψομεν τὴν βίβλον extremo eo libro, quomodo & hic Cod. Vat. ſunt enim in mendo, quod hoc in verbo longe frequentiſſimum eſt. Ne temere dixiſſe videar, paucis defungar exemplis. Ioſeph. de Alexandra XV Ant. I. 3, 4, καὶ πολλάκις μὲν ἦλθεν, inquit, παραγράψασθαι αὐτοχειρίᾳ τὸν βίον. Immo vero περιγράψασθαι, quod in eo genere vitaeque violentiore exitu uſi-

tatum. Plutarchus, ſeu quis auctor libri de Flumin. pag. 1153, βρόχῳ τὸν βίον περιέγραψεν, *laqueo vitam finivit:* pro quo pag. 1158 C. perperam παρέγραψεν. Atque hoc primum. Alterum dabit Heliodorus, qui Siſimithrem inter alia Aethiopibus perſuaſiſſe refert, ut piis operarentur ſacris, victimis humanis εἰς τὸν ἑξῆς αἰῶνα παραγράψαντες, *in perpetuum ſublatis*, X Hiſt. Aethiop. p. 517. Atqui hoc περιγράψαντες indicat, quod in abolendo delendoque uſu teritur, ut bene Iſ. Caſaubon. in Athen. IV, 27, p. 204. Recte ergo de pravis impii Iuliani conſiliis Io. Chryſoſtom. Orat. V in Iud. p. 646 D. Tom. I: ὁμοῦ ἐλπίζων ὁ μεμηνὼς καὶ ἀνόητος τοῦ Χριστοῦ περιγράφειν τὴν ἀπόφασιν, τὴν οὐκ ἐῶσαν ἀναστῆναι τὸν ναὸν ἐκεῖνον. Perperam vero in Agatharchide de Rubro Mari pag. 21, τοὺς δὲ περὶ Ἡγησίαν καὶ τὰ περὶ ἐκείνων παραγράφεται. Sed deſino. Hoc, quod prae manibus eſt, ſatis affirmabit Plutarch. T. II, p. 14 A. βραχέα δὲ προσθεὶς αὐτοῖς περιγράψω τὰς ὑποθήκας, *his pauca ſi addidero, finem praeceptis imponam;* & Euſeb. VI P. Evang. 10, pag. 280, ἑνὸς δ' ἔτι μνησθεὶς περιγράψω τὸν λόγον. WESS.

Pag. 130. *l.* 5. Τῆς πρώτης τῶν Διοδώρου) Summaria, quae ex Coislin. habes, etſi citra dubium induſtriae Grammatici accepta ſint ferenda, propter Codicis eius auctoritatem, utque illis reſponderent, quae ante exſcripta dedi, excerpenda fuerunt. Scriptor ipſe huius libri capita multis partibus breviora ſignavit principio L. II. WESS.

Pag. 131. *l.* 13. Τὰ συνεχῆ διέξιμεν) Futuri ſignificatione & uſu ſatis hoc frequens; nam & ſupra cap. 9, περὶ πρώτων τῶν βαρβάρων διέξιμεν· & III, 76, διόπερ διέξιμεν ἐν κεφαλαίοις &c. Neque hoc tantum, ſed & εἶμι in Euripid. Rheſ. 450, & ἄπειμι in Ariſtophan. Pluto 70, cum Kuſteri nota. WESS.

Pag. 132. *l.* 8. Τοὺς καυλοὺς καὶ τὰς ῥίζας) Confer ſupra c. 9 & 10. WESS.

ead. l. 10. Καὶ μάλιστα προσενέγκασθαι) Et praecipue comediſſe, ut cap. 8, καὶ προσφέρεσθαι τῆς βοτάνης τὴν προσηνεστάτην. Plutarch. VI Sympoſ. 10, p. 684 F. ὥστε καὶ τὸν ἄρτον ἄναλον προσφέρεσθαι. Vid. infra III, 18; V, 3. WESS.

ead. l. 11. Ἄγρωστιν) Puto eam ἄγρωστιν intelligere, quam ἐδώδιμον, *edulem*, & cuius radicem, dum mollis eſt, dulcem admodum perhibet Galenus V Simp. Medic.

Facult. p. 71, & ante eum Theophraſtus VI Cauſ. Plant. 16. Forſan & iniuſtum eſt diſcrimen inter πόαν & ἄγρωστιν, quo illa quadrupedibus & foeniſecio relinquitur, haec gramen medicum eſſe decernitur a Io. Bodaeo a Stapel in Theophraſti I H. Plant. 10. Diodorus & hic, & III, 43, ἄγρωστιν, ſive *gramen*, pecudum paſtioni largitur. Addo, non aliud hoc videri, atque Ἀχὶ, *Achi*, quod eſui hominibus pecudibuſque in Aegypto erat, ab Alexandrinis interpretibus Geneſ. XLI, 2, Eſai. XIX, 7, atque alibi, adhibitum. WESS.

Pag. 133. *l.* 1. Τῇ χειρὶ ταύτης λαμβάνοντας) Videtur mos ille perennaſſe ex veteri inſtituto, quo Aegyptii nec myrrha, nec caſia, neque thure ſacra faciebant, ſed herba virente, veluti quandam naturae fertilis lanuginem manibus complexi, ἀλλὰ χλόης, οἷον εἴ τινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι, Porphyrius II Abſtin. 5. Verbenas herbamque Sabinam ex ſimili cauſa in Italia priſco tempore in ſacris & geſtaſſe & adoleviſſe homines, oſtendit Nic. Loënſis IX Miſcell. 7. WESS.

ead. l. 2. Τὸν ἄνθρωπον) Haec propter ſententiae perſpicuitatem omittenda non videntur, ut nec ratio, quae ſubiicitur. RHOD.

ead. l. 5. Ὑγρᾶς μᾶλλον ἢ τῆς ξηρᾶς) Quaerit Ariſtoteles, cum cetera animalia frequentius ſicco, quam humido, victu utantur, cur homo humido magis, quam ſicco, delectetur, ὁ δὲ ἄνθρωπος τὴν ὑγρὰν τροφὴν ἢ τὴν ξηρὰν προσάγεται, Problemat. Sect. X, 49. Quae mihi abunde probant Noſtri haec verba. WESS.

ead. l. 10. Καὶ ταῖς δοραῖς ἐσθῆσι χρῆσθαι) De Locrorum Ozolarum maioribus, quos indigenas, αὐτόχθονας, ferebant, Pauſanias: σκέπην πρὸς τὸ ῥῖγος θηρίων δέρματα ἐποιοῦντο ἀδέψητα. τὸ δασὺ τῶν δερμάτων ἐς τὸ ἐκτὸς ὑπὲρ εὐπρεπείας τρέποντες, *velabant corpus ad frigus defendendum ferarum recentibus coriis, pilo extrorſum verſo, quo veſtitus plus decoris haberet*, X, 38. Qui mos ab ipſo generis humani conditore propagatus rudi aevo, etſi necdum plane eviluerit, multis placuit, Indis II, 38, Afris III, 49, & pluribus aliis. WESS.

ead. l. 15. Ἐκ τῶν καλάμων) Heliodor. I Aethiop. p. 64, Aegyptiorum tenuioribus καλύβας λεπτοῖς καλάμοις καὶ τούτοις ἑλείοις διαπλόκους, *tuguria tenui arundine & paluſtri texta*, tribuit. Silius Italic. XVII, 80, *Caſtra levi calamo*,

cannaque intexta paluſtri, Qualia Maurus amat diſperſa mapalia paſtor. Sic enim recte legunt viri docti. Wess.

Pag. 134. *l.* 3. Ἐκ τοῦ λωτοῦ ἄρτον) Cf. ſupr. c. 34. Wess.

ead. l. 7. Τὸν Ἑρμῆν) De eo cap. 16, & copioſe Olaus Borrichius in Hermet. c. 1, 2, 3 &c. Wess.

ead. l. 10. Τοῖς πλεῖστα εὐεργετοῦσι) Non male hi ſacerdotes: res enim ipſa & veteris aevi monumenta perſuadent, primos regum & ob excellentem animi indolem, & egregia in cives beneficia, arteſque inventas & cultas, a volentibus eſſe creatos. Bene Philoſophus, τοῦ πλήθους εὐεργέται κατὰ τέχνας ἢ πόλεμον, ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν, ἢ πορίσαι χώραν, ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι, III Politic. 10. Wess.

ead. l. 11. Εἴτε προσκαλουμένων) Rectius προκαλουμένων, quod provocandi ſeu *invitandi* ſignificationem habet, cum illud *advocare* ſit. Rhod. Εἴτε προκαλουμένων) Reſtitui, quod ſermonis uſus poſtulabat; neque enim ferendum putavi, ut inter diverſas veterum librorum ſcripturas immixtum lateret. Conf. & c. 21, & Baſilium M. T. II, p. 146 B. ubi in vetuſtis ſchedis eandem Iulian. Gernerius ſcriptionis differentiam reperit. Wess.

ead. l. 14. Ἐν ταῖς ἱεραῖς ἀναγραφαῖς) Sacri hi commentarii, ſive αἱ ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγραφαὶ, ut cap. ſeq. quibus in Aegyptiorum rebus ſaepe teſtimonium denuntiat, duplicis generis, partim columnis, partim libris inſcripti, erant. Dio Pruſaeus Orat. XI, p. 161 D. de ſacerdote Aegyptio, ἔφη δὲ πᾶσαν τὴν πρότερον ἱστορίαν γεγράφθαι παρ' αὐτοῖς, τὴν μὲν, ἐν τοῖς ἱεροῖς, τὴν δὲ, ἐν στήλαις τισί. *Dicebat autem, omnem prioris temporis hiſtoriam apud ipſos ſcriptam eſſe partim quidem in templis, partim in columnis quibuſdam.* Quibus Dionis nihil diſſentit Ariſtides T. III, p. 609, nedum Noſter XVI, 52. Wess.

Pag. 135. *l.* 3. Μυρίων καὶ ὀκτακισχιλίων) Vide ſupra cap. 26. Wess.

ead. l. 5. Βεβασιλεῦσθαι φασὶν ἀπὸ μυριάδος) Exercuit hic locus induſtriam doctiſſimorum virorum Iac. Capelli & Iac. Perizonii, quorum ille in Hiſtor. Sacr. & Exot. ad an. m. 1682, mendum ſubeſſe ratus, pro πεντακισχιλίων legere πεντακοσίων, & exponere *annos circiter novem millia quingentos* inſtituit: ſed temere, neque ſatis ex Graecorum loquendi more, haud iniuria propterea correptus a Perizonio; quamquam & iſte, ſi verum amamus, haud feli-

cius ſeſe expediit. Τὰ ἀπὸ μυριάδος ἔτη ſunt illi *anni excurrentes a decem millibus*, Origin. Aegypt. c. 11; quo pacto *anni* indicabuntur *a decem millibus excurrentes paulo minus quinque millibus*. Verum ea ratione coniunguntur, quae Diodorus diſparata voluit. Regnatum ait ἀπὸ μυριάδος uſque in Olympiadem CLXXX, ſignato liquidiſſime & numerandi principio & fine. Verte iam, *regnatum eſſe ab hominibus annis a decem millibus excurrentibus paulo minus quinque millibus*, & fruſtra quaeres terminum, unde numerandi principium. Non addam plura, ne quid acerbius in ſententiam viri, optime olim de me meriti, excidat, idque agam potius, ut ſcriptoris opinio declaretur. Iuvant quodam modo manu exarati Codices, quorum aliqui βεβασιλεῦσθαι ἀπὸ Μοίριδος aut Μύριδος, *regnatum eſſe a Moeride annis paulo minus quinque millibus uſque in Olympiadem* CLXXX. Hoc convenit Graeci ſermonis conſuetudini, & illis, quae cap. 26 ſcripſerat: οἱ δ' ἱερεῖς τῶν Αἰγυπτίων τὸν χρόνον ΑΠΟ τῆς ἡλίου βασιλείας συλλογιζόμενοι ΜΕΧΡΙ τῆς Ἀλεξάνδρου διαβάσεως εἰς Ἀσίαν, φασὶν ὑπάρχειν ἐτῶν μάλιστά πως δισμυρίων καὶ τρισχιλίων. Adde enim in ſummam annorum haec circiter quinque millia, quae a regibus hominibus regnando abſumta, XVIII illis millibus, quae Diis & ſemidiis tribuuntur, & ratio paene conſtabit. Eſt tamen, quod eam Codd. ſcripturam graviſſime urget & plane infringit. Cur enim a rege Moeride annos, quos in Aegypti regno homines tranſegerunt, orditur? qui Mena, primo ex hominibus rege, duobus fere annorum millibus fuit poſterior, ſicuti cap. 45, 50 & 52, haud obſcure ſignificat; quique ne totis quidem nongentis Herodoti aetatem praeceſſit, quemadmodum ille ait II, 13. Et quamquam eius & Diodori rationes haud bene concinant, fieri non poterit, ut annorum circiter quinque millia a Moeride uſque in Olymp. CLXXX abierint. Quare, ne longum faciam, ſic habeto: locum mihi videri vitioſum, vixque illi ſuccurri poſſe, niſi ſi aut deleas voces ἀπὸ μυριάδος, quibus ſublatis & oratio & annorum numeri convenient; aut, quia violentius hoc, ἀπὸ Μηνᾶ, *a rege Mena uſque*, qui primus hominum regum, & cuius a regno anni illi decurrunt, ſcribas. WESS.

ead. l. 9. Ὁ νέος Διόνυσος χρηματίζων) Ptolemaeus Auletes eſt, quem Porphyrius in Excerpt. Scaligeri Euſebianis pag. 226, eodem *novi Bacchi* titulo ornat, egregie ex-

plicito ab Ezech. Spanhem. Diſſert. VII de Uſu & Praeſt Num. pag. 436. Patris ſtultitiam aemulata eſt Cleopatra εἰς πλῆθος ἐξιοῦσα, στολὴν ἱερὰν Ἴσιδος ἐλάμβανε καὶ ΝΕΑ ΙΣΙΣ ἐχρηματίσε, *in publicum ſacra Iſidis veſte ornata prodibat, Nova Iſis appellata*, Plutarch. T. I, p. 941. Wess.

ead. l. 12. Αἰθίοπας τέσσαρας) Herodotus Aethiopum in Aegypto reges multis partibus plures habet II, 100. Wess

ead. l. 16. Πέντε πρὸς τοῖς ἑκατὸν καὶ τριάκοντα) Niſi diſtincte annos cxxxv, quibus Perſae Aegyptiis imperarunt, & ea temporum intervalla, quibus eorum imperium detrectarunt Aegyptii, intellexeris, in his error erit. Cambyſes Aegyptum bello aggreſſus eſt tertio Olymp. lxiii anno, ut eſt cap. 68, & ſequenti in ditionem ſuam redegit. Eandem Alexander altero Olymp. cxii anno occupavit, infra XVII, 49; ſuntque adeo inter Cambyſis & Alexandri expeditiones Olympiades xlviii cum duobus annis. Quare, ſi in ſummam additi ſint anni defectionum Aegyptiacarum, erunt cxciv. Wess.

Pag. 136. *l.* 2. Τὴν εἰς τοὺς ἐγχωρίους θεοὺς ἀσέβειαν) Perſae nulla olim ſimulacra, nulla templa, nullas aras dedicabant, alios, quibus id ſolemne, ſtultitiae non ſolum accuſabant, auctore Herodoto I, 130, ſed & eorum imagines ſacraſque aedes incendio delebant, quod illis vitio vertit Iſocrates Panegyr. p. 106. Praeter ceteras vero ſuperſtitioni Aegyptiae acerbiſſimos Herodot. III, 29, Aelian. V. H. VI, 8, & Noſter cap. 46, & XVI, 52, fuiſſe teſtantur. Wess.

ead. l. 6. Ἄνδρας μὲν ἑβδομήκοντα) Iterum in alia omnia it Herodot. II, 100 & 142. Conf. infra c. 69. Wess.

Pag. 137. *l.* 2. Μηνᾶν) Conſentiunt plerique omnes veterum in primo hoc ex hominibus rege, quamquam parum in nomine eius concordes. Herodotus Μῆνα olim, nunc ex Iac. Gronovii cura Μῖνα & Μεῖνα, II, 4 & 99, etſi Μῆνα in eo quoque legerit Euſebius Chron. p. 14, vocat, a quo non longe abeſt Claromont. 2. nec Plutarchi T. II, pag. 354 A. περὶ Μείνιος τοῦ βασιλέως. Ceteris Μήνης *Menes*, aut Μῆνις, ſicuti Aelian. XI H. A. cap. ult. De aetate hominis vera maior rixa eſt; ſed quae huic loco parum convenit. Tu vide Iac. Perizon. Origin. Aegypt. c. 5, & Iſ. Newtoni Chronol. p. 258. Wess.

ead. l. 6. Καὶ πολυτελῆ βίον εἰσηγήσασθαι) Non diſpliceret πολυτέλειαν εἰς βίον, ſi pro εἰσηγήσασθαι ſcriptum

foret εἰσαγαγέσθαι. Rhod. Nihil muto. Solemne hoc Noſtro, ut V, 55, 66, 73 &c. Athenaeo Athenienſes rerum optimarum primi auctores πάντων τῶν καλλίστων εἰσηγηταὶ τῷ τῶν ἀνθρώπων βίῳ, L. XV, 13, pag. 691. Et Moſes in Homilia quadam, quae Io. Chryſoſtomo perperam tribuitur, T. II, pag. 793 A. ὁ πρῶτος εἰσηγητὴς τῶν συμφερόντων τῷ βίῳ. Wess.

ead. l. 7. Τνέφαχθον) Non diſplicet Γνεφαχθῶ, licet *on* terminationem retinuerim. Regem vero hunc, ut & alios quoſdam, Herodotus omiſit; qui contra nonnullos habet, a Diodoro haud nominatos. Rhod. In regis huius nomine magna eſt diſcordia. Plutarcho T. II, p. 354, Τέχνατις, Athenaeo X, 4, p. 418 F. Νεόχαβις, hic Γνεφαχθῶ aut Τνέφαχθος· quorum quodnam verius ſit, quis praeſtabit? De Bocchoride infra c. 94. Wess.

ead. l. 9. Τῶν ἐπιτηδείων ἐκλειπόντων) Rectius ἐκλιπόντων legeretur. Steph.

Pag. 138. *l.* 3. Τὴν κατάραν ἀναγράψαι) Eleganter Plutarchus T. II, p. 354 B. στηλιτεῦσαι τὴν κατάραν, *columnae inſcripſiſſe imprecationem:* qua nota cum malos cives inurerent, hinc Demoſthen. Philip. III, p. 70, ἐκόλαζον δ' οὕτω καὶ ἐτιμωροῦντο, οὓς ἂν αἴσθοιντο δωροδοκοῦντας, ὥστε καὶ στηλίτας ποιεῖν. Quod diſertiſſimi oratoris, ut multa, imitatur Libanius T. I, p. 453 B. & T. II, p. 164. Wess.

ead. l. 9. Καὶ τετρακοσίων) Si Scholion in margine verum eſt, regibus ſingulis 20 tantum anni praeciſe tribuuntur. Rhod.

ead. l. 11. Βουσίριδος) De rege Buſiride incerta omnia. Strabo XVII, p. 1154 B. hoc nomine regem Aegypto imperaſſe negat; neque diſſentit Diodor. c. 88. Et talia profecto ſunt, quae de eo traduntur, ut certum in ordinem ne cogi quidem poſſint. Vide ſup. c. 17. Wess.

ead. l. 14. Διὸς πόλιν τὴν μεγάλην) Titulum haud iniuria addit; erat enim eadem in Thebaïde prope Abydum *Dioſpolis parva*, Straboni XVII, p. 1169 A. memorata. De magna conf. c. 15. Wess.

ead. l. 16. Σταδίων ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα) Nobiliſſimae urbis amplitudinem non eodem omnes modo deſcribunt. Strabo longitudinem eius in ſtadia lxxx extendit, XVII, p. 1170; quam Cato in Ethnicographi Διὸς πόλις ſtadiorum facit cccc, & Euſtath. additis xx auget ad Dio-

nyſii Periegeſ. 248, quae profecto vero parum ſimilia. Tu vide S. Bochardi IV Phaleg. c. 27. Wess.

Pag. 139. *l.* 7. Περὶ αὐτὴν εὐπορίας) Erunt fortaſſe, quibus ὑπερβολὴ τῆς ἐμπορίας ob ea, quae ſequuntur, probabitur; qui me adſtipulatore non utentur: neque enim mercaturae locus hic commodus; quod peregrinis ante Homeri aetatem Aegypti aditus eſſet intercluſus. Fama opulentiae longe longeque didita poëtae ea ſcribendi occaſionem praebuere. Ὑπερβολὴν εὐπορίας habent excerpta Valeſii p. 362. Wess.

ead. l. 10. Οὐδ' ὅσα Θήβης) Iliad. IX, 381, in reſponſione Achillis ad legatos Agamemnonis. Sed exemplaria, quotquot videre nobis licuit, ut Euſtathii quoque Parecbolae, ἀν' ἑκάστην habent; ut nota marginalis otioſa ſit. Rhod.

Pag. 140. *l.* 2. Καθαπερεὶ πολύπυλον) Pari modo Cretam a poëta ἑκατόμπολιν dictam Grammatici cenſebant, non quod centum urbes, ſed multas, ambitu ſuo complecteretur, οὐχ ὡρισμένως ἑκατὸν πόλεις ἔχουσαν, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ πολλάς. Scholiaſtes in Odyſſ. T, 174. Adde Pompon. Melam I, 9. Wess.

ead. l. 4. Ἐκπορεύεσθαι) Plus ſoni & emphaſis habet, quam ἐξιέναι in margine. Rhod.

ead. l. 7. Τὰ θεμέλια δείκνυσθαι) Hoc affirmat vetus Itinerarium, quod Antonini dicitur, quodque *Hipponon* manſionem ad eam fluvii ripam habet p. 166, & *Ala Apriana*, quam *Hippone* locat Notit. Imp. Orient. p. 204. Quod autem paulo ante Θήβας τὰς κατὰ Λιβύην, *Thebas Libycas*, vocat, id factum propterea, quod urbs utramque fluvii ripam & Arabicam & Libycam occuparet, Strab. XVII, p. 1170. Wess.

ead. l. 13. Καὶ κολοσσικῶν ἀνδριάντων) Non moveor ſcriptura Codicis Clar. 1. ut hinc quid demutem: habet ſane κολοσσιαῖον ἀνδριάντα, XI, 72; ſed & εἰκόνα κολοσσικὴν II, 34, & *ſignum coloſſicum* XXXIV H. N. 8, Plinius. Wess.

Pag. 141. *l.* 7. Περιττῶς εἰργασμένον) Cum mollius hoc ſonet, quam περιττότερον, locum ſuum tueatur. Et paulo poſt λίθων ſuo in loco maneat, pro λιθείας, quod Favorino Camerti πολυτέλειαν quandam ſignificat. Quam inepta igitur & ridicula hic foret tautologia! Rhod. Περιττότερον εἰργασμένον) Diodoro hoc mollius viſum; nam & cap. ſeq. περιττότερον εἰργασμένον, ut hic, & III, 44, ἱερὸν περιτ-

τότερον τιμώμενον habet: quamquam nec alterum plane ſpernit. Wess.

ead. l. 10. Λιθείας πολυτέλειαν) Et hoc ut reciperetur, tametſi λίθου πολυτέλεια defendi poſſit cap. 64, vetuſtis libris dedi: nam vulgo quod cenſent, λιθείαν & λιθίαν de pretioſis dumtaxat dici poſſe lapillis, eum errorem Cl. Salmaſius in Solin. p. 395 dudum redarguit. Strabo quidem certe vulgares lapides marmorumque cruſtas λιθίας nomine deſcribit IX, p. 668 A. XII, p. 812, XIII, p. 879; nec alio uſu Ioſephus VIII A. Iud. 2, 9. Solitos autem Aegyptios fuiſſe templa λίθοις τοῖς πολυτελέσιν, *lapidibus ſumtuoſis*, exſtruere, teſtis Lucianus eſt Imagin. princip. Wess.

ead. l. 15. Ἐν Περσεπόλει) Tam notum & nobile hoc eſt nomen, ut nulla gloſſatoris explicatione indigeat, quae ex certo individuo incertam nobis ſpeciem facit; niſi unam tantum Perſas urbem habuiſſe exiſtimet. Rhod. Diodoro urbis haec ſcriptura tritiſſima, ut XVII, 70, ubi de regiae immanibus divitiis; XIX, 21. Straboni XV, p. 1058, & Aeliano I H. A. 59, Περσαίπολις· quae differentia & in Latinis, quorum Curtius & Iuſtinus *Perſepolin*, Plinius *Perſaepolin* probant. Cave vero, Perſepolis & Suſorum regias poſt Cambyſis aetatem demum exſtructas opineris: nam priorem Cyro ſuam originem debere, Aelianus eo loco, quem citavi; poſteriorem multo antiquiorem fuiſſe, ſequenti libro, c. 22, a Noſtro docetur. Quare κατασκευάσαι erit *inſtruxiſſe* & *magis exornaſſe*: ſicuti τὰς ναῦς κατασκευάσειν XIII, 47, & δύναμις κατεσκευασμένη XX, 61, & κόλπος κατεσκευασμένος πόλεσι, *ſinus accubantibus urbibus egregie ornatus*, in Strabon. V, p. 379 C. Wess.

ead. l. 16. Τοσοῦτον δὲ πλῆθος χρημάτων) Vulgatumne, an Clarom. 2. τοσοῦτο, eligas, perinde erit. Utuntur utroque promiſcue, quemadmodum IV, 55, XII, 50, & τοιοῦτον ac τοσοῦτον πλῆθος infra cap. 52. Adde Ioſ. Barneſ. in Euripid. Troad. 972. Opes autem horum Thebanorum, tametſi ingentem earum copiam Perſae abſtulerint, non fuiſſe contemnendas in aetatem uſque Ptolemaei Philometoris, Pauſan. I, 9, oſtendit. Wess.

Pag. 142. *l.* 10. Ἑπτὰ πρὸς τοῖς τετταράκοντα) Strabo περὶ τετταράκοντα, non finito numero, in ſuam aetatem duxiſſe refert XVII, p. 1171. Wess.

Pag. 143. *l.* 2. Ὧν ἐστι καὶ Ἑκαταῖος) Alius eſt, atque

ille, cuius c. 37 meminerat: ille Mileſius, Darii Hyſtaſp dae aequalis; hic domo Abderita, cuius ſcripta, ſicuti & hoc de rebus Aegyptiis, recenſet G. Io. Voſſius I H. G 10. Wess.

ead. l. 5. Τὰς παλλακίδας τεθάφθαι) Iovis impuros amc res etſi haec reſpicere videantur, credo puellas indicari quae genere & forma praeſtantiſſimae Thebis Aegypti eius ſacris operabantur, Παλλάδες, *Pallades*, quidem Grae cis dictae, ſed parum caſtae, floremque aetatis, done naturali fluxu purgarentur, volentibus proſtituere aſſue tae apud Strabon. XVII, p. 1171. Wess.

ead. l. 7. Ὀσυμανδύου) Legitimam hanc eſſe termina tionem, nominativus Ὀσυμανδύας infra oſtendit. Iterum er go luſum gloſſatoris agnoſcis. Rhod. Straboni ſi fides Memnonem Aegyptii *Iſmanden* vocabant, XVII, p. 116 D. Id quidem Diodoro haud conſtitiſſe colligas ex II, 22 abſurdum tamen non erit, modo Memnonis res geſta probentur; quae utrum & quatenus poſſint, non imme rito quaerit Iac. Perizonius Origin. Aegypt. c. 17. Wes

ead. l. 12. Ὑπηρεῖσθαι δὲ ἀντὶ κιόνων ζώδια) Non video quid aptius reponi poſſit pro ὑπηρεῖσθαι, quam ὑπερη ρεῖσθαι. Steph. Ὑπερηρεῖσθαι ſubſtituendum cenſet H. Ste phanus per duplicationem Atticam initialium thematis l terarum: quod grammaticorum calculo facile approbab tur; niſi quis ambiguitatis vitandae cauſa auctorem com muni dialecto uti maluiſſe arbitretur. Quod autem prox mo verſu ſequitur ἀρχαῖον τρόπον cur in ἀρχαιότατον mu tetur, parum habet rationis. Rhod. Ὑπηρεῖσθαι ſi mutar dum eſt, tueri ſe non poterit Polybii III, 66, τὰς δυνά μεις εἰς ἀσφαλὲς ἀπηρεῖσθαι νομίζων, neque c. 109, πᾶσα γὰρ αὐτῆς προθυμίαν εἰς ὑμᾶς ἀπήρεισται. Par enim utriu que ratio. Sed neuter Atticorum in hoc verbo conſuetu dinem ſecutus eſt, ut nec Strabo XVII, p. 1165 C. ἐξῆ ὁρᾶν κειμένας, ὑπὸ μονολίθων κιόνων ὑπηρεισμένας. Nam ὑπε ρισμένας, quod nunc legitur, ipſe ſuum non agnoſcet. Wes

Pag. 144. *l.* 1. Ἐν κυανῷ καταπεποικιλμένην) Non plac mihi καταπεποικιλμένην cum accuſativo, praeſertim cu ipſemet alibi dativo iungat; ut p. 42, καὶ γραφαῖς διαφ ροις πεποικιλμένη. Steph. Ego vero mutare non ſuſtine Tametſi enim probata ab H. Stephano ſtructura ſit vu gatior, altera ex earum genere eſt, in quo ſibi Grae multa indulgent. Habet Dio Chryſoſt. θρόνον μυρίας ἄλλο

χοντα γλυφὰς, καὶ διαθέσεις χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος, καὶ λέκτρου καὶ ἐβένου καὶ παντοδαπῶν χρωμάτων πεποικιλ-ένον, Orat. I, p. 16 C. qui locus non plane quidem huic milis eſt, facit tamen ut citra Codicum auctoritatem ni-il moveam. Wess.

ead. l. 6. Ἐξ ἑνὸς λίθου Μέμνονος τοῦ Συκνίτου) Celeber-mam Memnonis ſtatuam deſignari opinatus Io. Marsham. anon. Chronol. p. 427, in τοῦ Συκνίτου vocabulo adhae-ſcit, quod ſe capere negat, neque ſcire an patris ſit no-en. Ego vero Memnonis hanc eſſe non putavero: nam iodorus Oſymanduae clariſſime tribuit, & quae de Me-nonis illa ſtatua a Srrabone XVII, p. 1170 C. & Pauſa-ia I, 42, narrantur, ea longe ab hac ſtatuae deſcriptione eunt. Aliud viſum Rhodomanno, in cuius ſententiam, metſi ſuo eam calculo firmaverit diligentiſſimus Fr. Iu-us Catalog. Architect. p. 120, quo minus concedam, pedit orationis ſtructura, quae, ſi *Memnon* ſtatuarius in-eretur, in Graecis requireret ἔργον Μέμνονος, & dubia *lemnonis* eius memoria. Memnon enim, quem Cyro regi yginus Fab. CCXX domum Ecbatanis condidiſſe refert, multo recentior eſt, & fortaſſe ex eo Memnone natus, ius Suſis regia fuit celeberrima infr. II, 22. Quare cum c Memnonis mirificae illi ſtatuae, neque Memnoni ſta-ario ſuus hic ſit locus, acceſſero Cl. Salmaſio in Solin. 337, haec vitii coarguenti, corrigentique ἐξ ἑνὸς τοὺς ντας λίθου τεμνομένους τοῦ Συηνίτου, *ex uno omnes lapi- Syenite caeſas;* quam eius emendationem iuvant illi li-i, in quibus Συνίτου & Συμηνίτου, & Plinii lapis *Syeni-*, ob ignei coloris guttas, quibus erat diſtinctus, a Grae- *Pyropoecilos* vocatus XXXVI N. H. 8. Wess.

Pag. 145. *l.* 2. Βασιλεὺς βασιλέων) Frequens olim regum tiumque domitoribus titulus, quem Seſoſtris auxit, βα-λεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν infr. c. 55 voca-. Aegyptiorum faſtum aemulati ſunt Perſae atque alii entis plagae principes, de quibus Ezech. Spanhem. Diſſ. II de Praeſt. Numiſ. p. 364. Wess.

ad. l. 6. Τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς) Nollem *tres re-as* capiti huius ſtatuae Rhodom. impoſuiſſet. Recte Sal-ſius in Solin. p. 337, Βασιλεία, inquit, *apud Diodorum* στέμμα βασιλικὸν, *Lib. I,* Ἔχουσαν τρεῖς βασιλείας ἐπὶ κεφαλῆς &c. *Inepte vir doctiſſimus vertit*, in capite tres inae: *ad verbum eſſet*, tria regna; *nam &* regnum *recen-*

tiores Latini pro corona regis uſurparunt. Et hoc ſenſu ſaepe o *currit apud Anaſtaſium de Vitis Pontificum.* A quo nihil di ſentiens Gisb. Cuperus, ut eius ex literis ad Io. Clericum quarum mihi copiam fecit Io. Iac. Wetſtenius, inte lexi, firmat rariorem vocis uſum veteri lapide, praet alia inſcripto: ITEM ORNAMENTA IN BASILIO UNIO E MARGARITA N. VI. Quibus ego ex Plutarcho T. II, 358, adiungo, Horum perhiberi matri Iſidi manus inieci ſe, *καὶ ἀποσπάσαι τῆς κεφαλῆς τὸ βασίλειον, & capiti ei coronam detraxiſſe*, & ex Porphyrio *βασίλειον, κέρατα τρ γεια ἔχον*, in Euſeb. III P. Evang. 12. WESS.

ead. l. 7. Καὶ θυγάτηρ καὶ γυνὴ καὶ μήτηρ βασιλέως) E plicat haec G. Cuperus iiſdem in literis ex eo more, qu qui plura olim regna ſibi ſubiecerant, plura diademata ſ mebant, ut Artabanus Parthorum rex in Herodian. VI, & Ptolemaeus apud Ioſeph. XIII A. I. 4, 7. Neque id pr fecto, tametſi non prorſus ſimile videtur, male. Elega ter de tyrannide Dio Chryſoſt. Orat. I, p. 16 C. *πολ μὲν σκῆπτρα, πολλαὶ δὲ τιάραι καὶ διαδήματα ἐπὶ τῆς κ φαλῆς·* & Orat. IV, p. 63 A. quae egregie illuſtrant m gnificam Chriſti noſtri in Apocalypſi XIX, 12, expicta deſcriptionem. WESS.

ead. l. 11. Ἐν τοῖς Βάκτροις) In his vitii aliquid late ſuſpicabatur Iac. Perizon. Origin. Aegypt. cap. 17. Bact enim longius remota ab Aegypto eſſe, neque diu ea Aeg ptiorum regibus videri ſubiecta: quod cum hic non aff metur, & Strabo inſcriptiones regum Aegypti memo XVII, p. 1171, indices Aegyptiorum imperii in Bactri nam verſus prolati, non ſubſcribo viri eruditiſſimi ſent tiae. Paulo poſt ἐστρατεῦσθαι recepi ob cap. 18 prin pium. WESS.

Pag. 146. *l.* 2. Τεῖχος ὑπὸ ποταμοῦ περίῤῥυτον) Fluviu qui murum, ſive caſtellum potius, circumfluebat, ſine bio eſſe *Eulaeum*, de quo Plinius, Suſianen *ab Elymaïde terminat amnis Eulaeus, circuit arcem Suſorum*, VI H. N. arbitratur Io. Marsham. Canon. Chronol. pag. 429. M non ea confidentia. Malim vero de caſtello, quam *mu* haec accipere, quod & rei ſeries id poſtulat, & vocis u permittat. Vide ad Hieroclis Synecdemum p. 681. WES

ead. l. 10. Διὰ τῆς τοῦ λέοντος ἐσήμαινεν) Leo Aegyp roboris & fortitudinis figura erat. Ἀλκῆς μὲν καὶ ῥω σύμβολον αὐτοῖς ὁ λέων, inquit Clemens Alex. V Strom

). 671; quibus non admodum diſſimilia habet Horapollo [Hieroglyph. 18. Non addo frequentes, quibus ſacrae no- ɔis literae perfunguntur, translationes: fecit copioſiſſime S. Bochartus III Hierozoic. 6 &c. WESS.

ead. l. 15. Ταῖς ψυχαῖς ἄνανδροι) Manus atque illae par- :es, quibus viri cenſemur, ſollertiam & robur, & ſi abeſ- ſent, contraria omnia occultiore gentis ſcriptura indica- ɔant. Conf. infra c. 55, & Artemidorum I, 44 & 47. WESS.

Pag. 147. *l.* 3. Βουθυσίας τοῦ βασιλέως) Atqui bovem Aegyptiis immolare nefas erat. Ergone βουθυσία hic ſo- emnius ſacrificium, uti *buthuſia* in Suetonii Neron. c. 12, & βουθυτεῖν Ariſtoph. Plut. 820? Vide tamen Herodot. II, 41. WESS.

ead. l. 5. Βωμὸν κατεσκευάσθαι) Maneat. Nam quod ad- litur in margine, Scholion eſt. RHOD.

ead. l. 11. Ὠδείου τρόπον) Theatri erat inſtar, Athenis ı Periclis aetate celeberrimum. De eo Scholiaſtes in Co- nici Veſpas v. 1104, & Vitruvius V Architect. 9. WESS.

Pag. 148. *l.* 1. Τριάκοντα τὸν ἀριθμὸν) Tot in controver- ſiis dari iudices ſolebant, deni ex civitatibus Heliopoli, Thebis & Memphi, ſicuti infra c. 75 docet, ubi de ſummi udicis ex pectore demiſſa veritatis imagine uberius. WESS.

ead. l. 11. Γλυφαῖς ἐντυχεῖν εἶναι) Legitur pro ἐντυχεῖν :tiam ἐντυχαῖς· quae corrupta lectio fortaſſe occulta reti- ıet ſincerae veſtigia, & ex ea per depravationem facta eſt. Videtur autem poſt γλυφαῖς exſpectandum adiectivum no- nen, quod cum eo iungatur. STEPH. Γλυφαῖς ἐντυχεῖν) H. Stephanus adiectivum pro hoc reſtituendum putat. Sit gitur ἐντύκτοις, dum melius aut genuinum magis occur- at. RHOD. Malim, ſi εὔτυκος de re affabre facta in uſu uerit, uti cenſet Iſ. Caſaubon. in Athen. XIV, 8, atque ıaud obſcure ſignificat Euſtath. in Homer. p. 967, γλυφαῖς ὐτύκαις. Heſychii certe quidem εὐτυχὲς; ἐνεργὲς, olim uit εὐτυκές. Hoc vero ſi tu nolis, per me licebit, ut Rho- lomanni ſententiae ſubſcribas. Εὔτυκτος κυνέη de egregie laborata eſt in Iliad. Γ, 336; apud Herodotum vero I, 19, εὔτυκτα δὲ ποιησάμενος, εἶχεν ἕτοιμα, *carnes probe aratas habuit in promtu*: quae Suidas ſpectans, εὔτυκτα, in- quit, παρὰ Ἡροδότῳ ἀντὶ τοῦ, ῥᾴδια, ἕτοιμα, εἰργασμένα, καλῶς κατεσκευασμένα· poſterius bene, illud male, ut ne- no non videt. Iam χρώμασιν ἐπηνθισμένον cum regem ait, legans & floridius picturae genus innuit, ſicuti & Pauſan.

VII, 26, p. 593, τῷ Διονύσῳ ὑπὸ κινναβάρεως τὸ ἄγαλμ ἐστιν ἐπηνθισμένον. Unde veſtes palmatae & floridiore cc lorum diſcrimine inſignes ἄκρως ἐπηνθισμέναι Philoni Iu de Merc. Meret. p. 861 E. Adde Io. G. Graevium in Lu cian. Hiſtor. Scrib. c. 13. WESS.

Pag. 149. *l.* 2. Ψυχῆς ἰατρεῖον) Quod de luſu & quiet Ariſtoteles VIII Politic. 5, τῆς γὰρ διὰ τῶν πόνων λύπι ἰατρεία τίς ἐστι, medicinam quandam eſſe ait triſtitiae quae naſcitur ex laboribus, id de libris & bibliotheca me rito affirmaveris: commode ergo ψυχῆς ἰατρεῖον, *medicina* ſeu *officina medici*, nam *medicatorium* interpretis haud pla cet, *in qua animus perſanari poſſit.* Verius tamen Io. Chry ſoſtomus Homil. de non Evulgandis alior. Delict. T. III p. 344 A. καὶ γὰρ ἰατρεῖον θαυμαστὸν τῆς ἐκκλησίας τὸ δ. δασκαλεῖον ἐστιν, ἰατρεῖον οὐχὶ σωμάτων, ἀλλὰ ψυχῶ *Mirabilis enim quaedam medici officina Eccleſiae ſchola eſt: o ficina non corporum, ſed animorum.* Et qui Ioannis eius nc men mentitur Homiliae auctor in Natal. Ioan. T. X, pa 812, de S. Lucae Evangelio: ἠκούσατε γὰρ τοῦ εὐαγγε λιστοῦ Λουκᾶ, τοῦ ἀνοίξαντος ἡμῖν σήμερον τὸ ψυχωφελὲ ἰατρεῖον. WESS.

ead. l. 6. Τοὺς κάτω παρέδρους) Inferos intelligit, praeſi dis Oſiridis, qui Graecorum Pluto ſupr. c. 25, aſſeſſore Lyſias Orat. XXXI, 3: τοὺς δὲ κάτω τὰ αὐτῶν οὐ κομί ζεσθαι, ἱερῶν δὲ μὴ γενομένων τοὺς ἄνω θεοὺς ἀσεβεῖσθα ubi οἱ κάτω & οἱ ἄνω θεοὶ Dii inferi & ſuperi. Hinc & ἐν τῶν κάτω *mortuum* Epiſt. 7 L. III Alciphron, & τὰς κάτ ποινὰς *furias infernas* Syneſius Epiſt. XLIV, p. 184 A. WES

ead. l. 8. Ὁμόστοιχον βιβλιοθήκῃ) Hoc in ὁμότοιχον, ex cluſa tantum literula, mutandum videtur, ut ſit, *in eode pariete.* Nam ὁμόστοιχον pro ὁμόστιχον ſi retinetur, *in ec dem ordine* ſignificat. RHOD. Ὁμότοιχον δὲ τῇ βιβλιοθήκῃ Firmant Rhodomanni coniecturam ſcripti libri. Ὁμότοιχο οἰκίαν praeter Iſaeum Orat. de Philoctemon. Hered. p. 60 dabit ipſe Diodorus in Excerpt. Valeſ. p. 397. WESS.

ead. l. 13. Καθιερωμένων ζώων) De illis c. 83 &c. WESS.

ead. l. 15. Ὑπάρχειν κύκλον χρυσοῦν) Merito aureum hun circulum & ceteras Aegyptiorum immanes opes ſtupet C Borrichius Hermet. c. 3, p. 66. Nollem tamen concluſion quadam addidiſſet: *unde illud aurum Heroicis Aegyptiorum tem poribus? dices, ex aurariis officinis, quas in Thebaïde inventas tra dit Diodorus vivo Oſiride & Hermete, profluxiſſe. Ceterum o*

ficinas aurarias id temporis agnoſcit Diodorus ad fabricanda vaſa & inſtrumenta, *non fodinas*, *non* χρυσωρυχεῖα· *unde autem in officinas tranſiit*, *niſi ex ergaſteriis Chemicis?* Sumit enim ſibi & citra dubium ſtatuit, quod falſum eſt. Auri fodinas Thebaïdis liquido memorat Diodor. I, 15; quo loco cum *officinas* vertiſſet Rhodoman. errandi occaſionem viro doctiſſimo praebuit. Habet praeterea c. 33 μέταλλα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, *auri argentique fodinas*, in inſula Meroë, Aegyptiorum imperio olim ſubdita; & hoc ipſo capite, *aurum & argentum*, *quod ſingulis annis ex omni Aegypto ex argenti & auri fodinis redibat*, ἐκ τῶν ἀργυρείων καὶ χρυσείων μετάλλων. Quare, ut leniſſime dicam, nimis calide ſuperioribus O. Borrichius adſtruit, *at de fodinis Aegyptiis id temporis altum apud omnes ſilentium.* Wess.

Pag. 150. *l.* 6. Καὶ τῶν ἐπισημασιῶν) Utrum imbres, an ventus, an graviores aëris mutationes eſſent futurae: has enim ἐπισημασίας, *ſignificationes*, in faſtis diligenter notabant, non ex certis artis praeceptis, ſed uſu quodam, & quod ſaepe orientibus aſtris contingere ſolerent, ut docet Gemin. Iſag. Aſtron. c. 14, qui propterea iſtas ἐπισημασίας c. 16 exſequitur, & ſingulari libro Ptolemaeus, quem Gemino additum D. Petavius vulgavit, anteque eos ampo Meton, ut docemur XII, 36. Alioqui ἐπισημασίαι παρὰ τοῦ δαιμονίου ſunt irati numinis praeſentia argumenta XX, 102, de quo vocis uſu alias. Wess.

ead. l. 14. Ἀρχαιοτάτους ἀνθρώπων) Confer ſupr. cap. 10. Wess.

ead. l. 16. Τὴν ἐπ' ἀκριβὲς ἀστρολογίαν) Strabo & philoſophiae & aſtronomiae accuratiorem notitiam ſacerdotibus Thebanis non negat XVII, p. 1171 C. habitum autem purioris coeli locique in aſtrorum diligentiore obſervatione haud parum illis profuiſſe teſtis eſt Proclus in Timaeum Platon. p. 31. Wess.

Pag. 151. *l.* 4. Τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι &c.) Diligentiſſimus Camuſatus adſcripſit haec Iſmaël. Bullialdi: *Haec verba* τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι *mihi valde ſuſpecta*, *& removenda*, *ut ita legatur:* διατέτακται. οὐ γὰρ ἄγουσι. *Ad lunam enim nullus unquam dies duxit: noctis enim mater diem non genuit.* Quae ego viro doctiſſimo excidiſſe nollem. Ecquid enim in anno lunari frequentius, quam ἄγειν ἡμέρας κατὰ σελήνην, dies ad lunae motum exigere atque obſervare? quod Athenienſibus ſuis lata lege Solonem edixiſſe, Dio-

genes I, 59, refert. Explicat autem Geminus Element. Aſtronom. cap. 6: Τὸ δὲ κατὰ σελήνην ἄγειν τὰς ἡμέρας τοιοῦτόν ἐστι· τὸ ἀκολούθως τοῖς τῆς σελήνης φωτισμοῖς τὰς προσηγορίας τῶν ἡμερῶν γίνεσθαι· *ſecundum lunam vero dies agere eſt tale, ut congruant cum lunae illuminationibus dierum appellationes.* Cuius moris contrarium apud Thebanos valebat, quorum annus ſolſtitiali orbe circumagebatur & ſolis erat; quare Strabo XVII, p. 1171 B. τοιούτων δ' ἐστὶ τὸ τὰς ἡμέρας μὴ κατὰ σελήνην ἄγειν, ἀλλὰ κατὰ ἥλιον. WESS.

ead. l. 7. Καὶ τέταρτον ἐπάγουσι) Addo μέρος, vel ſcribo τεταρτημόριον, ſcilicet τῆς ἡμέρας. Hic quadrans in anno Aegyptiaco & Iuliano ſcrupulis nonnullis redundans, quot annorum intervallo in diem integrum excreſcat, Aſtronomorum calculus demonſtrat: unde iſta tot dierum in Calendario non reformato anticipatio: cui medelam quandam Calendarii Gregoriani artifices adhibuere. RHOD. Emendatione L. Rhodomanni opus non erit, ſi μέρος ſubintelligas, quomodo τέταρτον ἡμέρας προστίθεσθαι de hac intercalatione Horapollo I, 5. Addebant autem in ſingulos annos quinque dies & quadrantem, ſed tacita quadam intercalatione, ita ut rationibus ſolis eum quadrantem imputarent; neque enim quarto quoque anno olim intercalare ſolebant, ut bene ex Gemini Iſagoge c. 6 D. Petavius III Doct. Temp. c. 2. Atque hoc ſi in memoriam ſibi redegiſſet Cornel. Pauw, ab his Diodori caſtigandis ad Horapol. p. 278 manum, puto, abſtinuiſſet. WESS.

ead. l. 8. Ἐμβολίμους δὲ μῆνας &c.) Utrumque valebat in pleriſque Graeciae civitatibus; quarum anno quoniam dies aliquot, ne curſui ſolis reſponderet, deficiebant, opus fuit menſibus intercalaribus, utque menſes alternis eſſent pleni & cavi, diebus, ut ſic dicam, *exemtilibus*, ἐξαιρεσίμοις, ſicuti docet de Siculis Cicero II in Verr. c. 52; de ceteris Geminus Iſag. c. 6, p. 23, & ex eo D. Petavius IV Auctar. c. 10, & H. Dodwel. Diſſert. I Cycl. 14. WESS.

ead. l. 13. Ἀδιαπτώτως) *Sine errore.* Ἕξις καὶ διάθεσις φυλάττουσα τὸ ἀδιάπτωτον, quae, ne erret, cavet, Plutarch. T. II, p. 1124 B. τρόπος ἐκμετρήσεως εὐχερὴς καὶ ἀδιάπτωτος, *modus capiendae menſurae facilis & certus*, Polyb. V, 98. Contra ἁμαρτία καὶ διάπτωσις Plutarch. T. II, p. 1125 C. Βούλευμα διαπεπτωκὸς, quod vanum atque irritum eſt, Pauſan. IV, 23. De re ipſa O. Borrichius Hermet. c. 8. WESS.

ead. l. 14. Ἀπογόνων ὄγδοος) Adſcripſerat Iſ. Voſſius

libri ſui margini, Diodorum a ſe ipſo diſſentire; auctorem enim eſſe c. 54, Buſiridis poſterorum octavum itidem Buſiridem fuiſſe cognominatum: quod verum quidem eſt, nec ulla tamen hic pugna, modo ex Buſiridis II gente octavum hunc *Uchorea* ſtatuas. Utrum autem is eiuſdem nominis patrem habuerit, in ea librorum diſcordia & veterum ſilentio, nam *Achoreus* Syncelli pag. 96 alia ex familia eſt, haud temere dixerim. Id quidem certe conſtat, de Memphis origine Aegyptios in diverſa abiiſſe: Herodotus *Meni* II, 99, Schol. Statii IV Theb. 737, *Epapho*, ſicuti & Euſeb. Canon. p. 26, & Syncellus p. 152, quamquam paulo ante *Api*, Phoronei filio, p. 149, tribuerat, adſcribunt. WESS.

Pag. 152. *l.* 3. Ὅπου σχιζόμενος) Nilus ſcinditur infra Memphim XV paſſuum millibus, ut Plinius V, 9, ſive tribus ſchoenis, quorum ſinguli ſtadiorum XL, ſive millium paſſuum V, quemadmodum Strabo XVII, p. 1160 C. Ipſi fluvii ſciſſurae accubabat oppidum Cercaſorum, de quo Herodot. II, 15 & 97. WESS.

ead. l. 8. Τὴν δὲ ὀχυρότητα) Videtur legendum τήν τε ὀχυρότητα, aut κατεσκεύασε, retinendo δέ. STEPH. Τήν τε ὀχυρότητα) Vera eſt H. Stephani coniectura, quam, quod paſſim voculae illae inter ſe commutentur in ſcriptis Codicibus, recipiendam cenſui. WESS.

ead. l. 15. Ὤρυξε λίμνην μεγάλην) Meminit & Strabo lacuum circa Memphim XVII, p. 1161 B. Paulo poſt vulgatum ὅπου τὸ χῶμα improbo: neque enim aggerem aqua inundabat, aggeſtum ut fluvium agris prohiberet. Rectius, modo parum adiuvetur, Vaticanus πλὴν ἢ, *praeterquam ubi agger.* Novi πλὴν ἢ Herodoti II, 111, ſed huic loco id alienum. WESS.

Pag. 153. *l.* 6. Τά τε βασίλεια ποιεῖσθαι) Hinc & Straboni Memphis τὸ βασίλειον τῶν Αἰγυπτίων, *Aegyptiorum regia*, XVII, p. 1160 C. & Plinio V, 9, *quondam arx Aegypti regum.* WESS.

ead. l. 9. Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως) Etſi τοῦ Μακεδόνος in margine Alexandrum commode ab aliis ὁμωνύμοις diſtinguit; tamen quod in contextu habetur, genuinum eſſe arbitror. RHOD. Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος) Hoc Diodori cauſa malo: nam & c. 55, ἐπ' Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, & II, 37, Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδών, & ſaepe alias. WESS.

ead. l. 13. Οἱ μὲν γὰρ βασιλείοις &c.) Conf. infra XVII, cap. 52. Weſs.

Pag. 154. *l.* 1. Πρώτην ἢ δευτέραν ἀριθμεῖσθαι) Principem plerique locum reginae urbium Romae, ſecundum Alexandriae dabant. Dio Chryſoſtom. Orat. XXXII, p. 372 A. Ἡ γὰρ πόλις ὑμῶν, inquit in corona Alexandrinorum, τῷ μεγέθει καὶ τῷ τόπῳ πλεῖστον ὅσον διαφέρει, καὶ περιφανῶς ἀποδέδεικται δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον. *Urbs enim veſtra magnitudine & loco immenſum quantum differt, & ſecundas obtinet partes inter omnes, quae ſunt ſub ſole.* Nec deerant tamen, qui Alexandriam Romae praeferrent, ut Noſter ſignificat XVII, 52. Cumque ea in controverſia aut patriae aut ſectae ſtudio multi abriperentur, mirum nemini accidet, Carthaginem & Antiochiam in partem huius gloriae veniſſe. Agit de ea Ezech. Spanhemius Not. in Iulian. Caeſar. p. 73. Weſs.

ead. l. 15. Ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν) Non male de ſepulcro, quod DOMUM AETERNAM & DOMUM AETERNALEM inſcripti lapides Theſaur. Gruter. pag. IↃCLXVIII, 6, IↃCCXC, 5, & Salomon Eccleſiaſt. XII, 5, ap. LXX, οἶκον αἰῶνος, appellant. Alioqui αἰώνιον οἴκησιν & ἀΐδιον οἴκησιν, quod morte obita quidquid ſupereſſet temporis illic abſumendum putarent, *inferos* vocant, ut Xenophon Ageſil. cap. ult. & infr. c. 93. Tantam autem curam ſepulturae agebant, ut anima multo tempore perduraret, & corpori eſſet obnoxia, nec cito ad alios tranſiret, arbitrati, animam tam diu durare, quamdiu durat & corpus: Servius in Aeneid. III, 68, de Aegyptiis. Weſs.

Pag. 155. *l.* 6. Ὁμοιωθέντα ταύρῳ) Pingebant olim & fingebant fluvios taurino vultu. Ἐζωγράφουν τοὺς ποταμοὺς ταυροκράνους, ait Schol. in Euripid. Oreſt. 1380. Hinc ea fabula. Weſs.

ead. l. 7. Ἀφ' οὗ καὶ τὴν χώραν) Vide cap. 19 adſcripta. Weſs.

ead. l. 15. Μοῖρις) Hoc praeſtat, quod & Herodotus, Strabo, Mela, Plinius probant. Conf. Iſ. Caſaub. in Strabon. I, p. 87, & Iac. Gronov. Herodot. II, 4. Weſs.

ibid. Τὰ βόρεια προπύλαια) Sequitur Herodot. II, 101. Weſs.

Pag. 156. *l.* 1. Ἀπὸ δέκα σχοίνων) *Schoeni* non eadem in Aegypto menſura: Herodotus LX ſtad. circumſcribit II, 6; quam eius amplitudinem ab Thebaïde Syenen uſque

haberi, ex Artemidoro Strabo XVII, p. 1156, docet, a Peluſio vero Memphin verſus ſtadiorum XXX, & hinc uſque in Thebaïdem ſtad. CXX. Plinius vero, *Schoenus*, inquit XII N. H. 14, *patet Eratoſthenis ratione ſtadia XL.* Qua in diſcrepantia vulgo valuit, ut ſchoënus XXX ſtad. ſeu millia paſſuum quatuor, aequaret, ſicuti ad Anton. Itiner. p. 152 oſtenſum eſt. WESS.

ead. l. 4. Σταδίων τρισχιλίων καὶ ἑξακοσίων) Conſentit Herodotus II, 149. Plinius vero V H. N. 9: *Inter Arſinoïten autem ac Memphiten lacus fuit circuitu CCL M. paſſuum: aut, ut Mucianus tradit, CCCCL M. & altitudinis quinquaginta paſſuum, manu factus; a rege, qui fecerat, Moeridis appellatus.* Ubi bene Mucianus pro Herodoti & Diodori rationibus; aequant enim eius CCCCL M. paſſuum CIƆCIƆCIƆIƆ ſtadiorum, & L paſſus totidem ὀργυιὰς, ſicuti poſterius id oſtendit Iac. Perizon. ad Aeliani XII V. H. 22. Mela I, 9, in vetuſtis editionibus XX M. in circuitu patere, in Voſſii & Gronovii, *quingenta millia* prodit; quae ultima bene ſi habeant, modo ſtadia ſeptem cum ſemiſſe unis paſſuum millibus contribueris, non longe ab Herodoto & Diodoro aberunt. Atque ita inter eos haud male conveniet: ſed lacum adeo fuiſſe capacem, & inferioris Aegypti latitudine non minorem, vero non eſſe ſimile, bene advertit Iſaac. Voſſius in Melae I, 9. Vid. Paul. Lucam Itin. Aegypt. L. V, p. 15. WESS.

ead. l. 9. Καὶ κοινωφέλειαν) Huic Scholion de hereditaria ſede litem nullam movet. Hic admonitus eſto, lector, me, quia multitudine gloſſematum in margine ſingulatim examinandorum commentarius excreſcere videtur, marginalia, quae auctoris non eſſe iudicavero, ſilentio praeteriturum. Contrarium de his, quae in contextu aſteriſco & ſemilunula, parentheſeos ſignis, notata ſunt, intellectum volo. Quae enim aliena vel mendoſa deprehendero, in haec animadvertam. RHOD.

Pag. 157. *l.* 5. Τρίπλεθρον δὲ τὸ πλάτος) *Id eſt, CCC pedes latam*, bene Rhodom. cuius verſionis auctorem habet Suidam, & eo locupletiores Polyb. V, 25, ac Heronem in Analect. Benedictin. pag. 314. Latini ſaepe iugero πλέθρον aequant, iurene, diſquirit Iac. Perizon. in Aelian. III V. H. 1. WESS.

Pag. 158. *l.* 3. Σταδιαίας τὸ ὕψος) Utramque Herodot. II, 149, aqua eminere ait πεντήκοντα ὀργυιὰς, parique

ſpatio infra eam eſſe depreſſas: qui centum paſſus conficiunt demum ſtadium IↃC pedum. Bene ergo, ita ſi acceperis, *σταδιαῖαι τὸ ὕψος.* Wess.

ead. l. 6. *Τὴν ἐπ' ἀγαθῷ μνήμην*) Vide cap. 2. Wess.

ead. l. 8. *Πρὸς μύρα* &c.) Erat in more Aegypti regibus, ad corporis ornatum uxoribus urbium regionumque reditus deſcribere: Herodot. II, 98, de urbe Anthylla, *εἰς ὑποδήματα ἐξαίρετος δίδοται τοῦ αἰεὶ βασιλεύοντος Αἰγύπτου τῇ γυναικὶ*, *datur*, inquit, *peculiaris in calceamenta uxori eius, qui Aegypto imperat.* Idem Perſis deinceps placuiſſe, ex Platon. Alcibiad. I, p. 123, & Cicerone III in Verr. 33, docuit Bar. Briſſon. I Regn. Perſar. 108. Atque eo ſine dubitatione referri oportuerat Philoſtrati II Vit. Apollon. 31, *κώμας, ἃς ἐπέδωκε τῇ ἀδελφῇ ὁ βασιλεὺς εἰς ζώνην.* Nam plane ita Xenophon I Exp. Cyri p. 200, *αἱ δὲ κῶμαι Παρυσάτιδος ἦσαν, εἰς ζώνην δεδομέναι·* quae quin Muretus & Iungermannus recte ita refinxerint, nemini obſcurum eſt. Wess.

ead. l. 9. *Φερούσης ἀργυρίου τάλαντον*) Diſtinctius Herodot. II, 149. Sale vero conditi piſces ſeriore aetate magna copia ex Aegypto in Graeciam atque Italiam aſportabantur, *τὰ Νειλῷα ταρίχη* Luciano in Navigio. Wess.

Pag. 159. *l.* 1. *Σεσόωσιν δὲ φασὶν*) Legitur & *Σέσωσιν*, itidem poſtea *Σεσώσιος* & *Σέσωσιν* pro *Σεσοώσιος* & *Σεσόωσιν.* At Herodotus hunc *Σέσωστριν* appellat. Unum ex noſtris exemplaribus, cum antea paſſim *Σεσόωσις* & *Σεσοώσιος* & *Σεσόωσιν* ſcriptum habuiſſent cum *οω* ubique, ubi ventum eſt ad hiſtoriam illam, quae narratur p. 37, toties *Σεσώστριδος* habet, quoties cetera *Σεσοώσιος.* Suidas dicit, *Σεσόωσιν* proprium eſſe nomen, non addens cuius: at *Σέσωστρις* illi eſt rex Aegypti. Steph. *Σεσόωσιν*) Vitioſam eſſe hanc ſcripturam ut iudicem cum H. Stephano, auctoritas Herodoti me movet. Si quis tamen cum Fr. Sylburgio, viro praeclare de literis eruditis merito, ex Iuſtino Mart. *τὸ Σεσόγχωσιν* praeferat, aſſenſum meum non difficulter habebit. Rhod. Faveret viris doctiſſimis Cod. Vatican. ſibi ſi conſtaret. *Seſonchoſi*, a Iuſtino Mart. Paraeneſ. ad Graec. p. 10 E. ex cap. 94 huius libri producto, auxilio venit Dicaearchus in Schol. Apollon. Rhod. IV, 272; quod ego tamen nomen Diodoro invitis Codd. obtrudere non ſuſtineo. Io. Tzetzes *Σεσόωσιν, Seſooſin*, ſua aetate hoc loco invenit, ut ipſe indicat Chiliad. II, 84.

Eſtque in regibus Aegypti haud inſolens, ut *διώνυμοι καὶ τριώνυμοι*, duplici triplicique nomine inſignes reperiantur, teſte Syncello p. 63 A. praecipueque in hoc *Seſoſtri*, qui & *Rameſſes* & *Sethoſis* vocatus fuit, Scaligero ad Euſeb. num. IↃXXXIV docente. WESS.

ead. l. 3. *Τάξεις ἐπιτελέσασθαι καὶ πράξεις*) Omnino *τάξεις* exterminandum cum *καὶ* poſt *ἐπιτελέσασθαι*· quid enim *τάξεις*; Sed paronomaſia ſeu rhythmus puerilis gloſſatori tantopere arriſit. RHOD. *Ἐπιτελέσασθαι πράξεις*) Recte Rhodomannus. Similem maculam eluimus capite 4. WESS.

ead. l. 6. *Οἱ διὰ τῆς ᾠδῆς ἐγκωμιάζοντες*) Haud ſcio, an ad *ᾠδὸν*, *cantorem*, ea pertineant, cui praeter Deorum hymnos regum etiam acta, ut recitarentur, curae erant apud Clement. Alex. VI Stromat. p. 757. Alioqui referri oportet ad cantilenas, quibus veteri aevo rerum egregie geſtarum memoriam perpetuare ſolebant, erudite explicitas a Iac. Perizon. Animadv. H. c. 6. WESS.

Pag. 160. *l.* 4. *Ἐν γυμνασίοις καὶ πόνοις*) *Κακοπαθείαις* in textum recipi malim. RHOD. *Καὶ κακοπαθείαις*) Non intercedo. Sunt Diodoro *κακοπάθειαι* aerumnae graveſque labores, quibus ruſtici & viri militares exercentur, c. 36, II, 1 & 25, III, 64 &c. WESS.

ead. l. 8. *Ὑπῆρξαν ἀθληταὶ*) *Uſu periti.* Solent Graeci omnes eos, qui multo uſu confirmati in rebus gerendis excellunt, *ἀθλητὰς* vocare. *Ἔργων πολεμικῶν ἀθληταὶ* XII, 75; *ἀθληταὶ τῶν κατὰ πόλεμον ἔργων* XVIII, 9; *ἀθληταὶ πολέμων* Philon. Iud. I Vit. Moſ. p. 642 D. ſunt rei militaris peritiſſimi. Ad quem modum *ἀθληταὶ τῆς ἀληθινῆς λέξεως* Dionyſ. Halicarn. T. II, 173; *ἀθλητὴς τῶν κατὰ σοφίαν πραγμάτων* Philoſtr. Heroic. II, 11, p. 685; *ἀθληταὶ τῶν καλῶν ἔργων* Demoſtheni in Ariſtogit. I, pag. 495. Adde Iſ. Caſaub. in Polyb. I, 6. WESS.

ead. l. 15. *Τὸ γένος ἅπαν τὸ τῶν βαρβάρων*) Nimium hoc eſt. Puto ſcriptum fuiſſe *τῶν Ἀράβων*, quorum gentem domuit, non omne barbaricum genus. Simili vitio XV, 20, *βασιλεὺς βαρβάρων*, qui ſine controverſia *Arabum* rex dicendus erat. WESS.

ibid. *Ἀδούλωτον τὸν προτοῦ χρόνον*) Nini, Aſſyriorum regis, aetate, necdum domiti fuere, II, 1; neque poſtea aut Aſſyriorum, aut Perſarum, aut Macedonum, tametſi omnes illi Arabum libertati acerbi fuerint, iugum ſubiere,

II, 48, XIX, 97. De Arabia tamen a Seſoſtri in ditionem redacta & Strabo XVI, p. 1114 A. WESS.

Pag. 161. *l.* 12. Καὶ τῆς ἐγκοιμήσεως &c.) Tritiſſimum hoc de ſomniis, quae aut medicinae cauſa, aut ut de futuris edocerentur, in templis captabantur. Ἐγκοιμᾶσθαι ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων Strabo XIV, p. 961 A. XVI, p. 1104 B. XVII, p. 1152 C. unde μαντεῖον ἐγκοιμωμένων, quod illi iure reſtituit Iſ. Caſaub. XI, pag. 775. Rarius eſt hoc Ariſtidis T. I, p. 71, νύκτῃ τινὶ τῶν ἐφ' ἡμῶν ἐγκαθεύδοντι προειπεῖν λέγεται τὸν θεόν. Vid. Plutarch. T. II, p. 109 C. & ſupr. c. 25. WESS.

ead. l. 14. Διότι ὁ πατὴρ δόξαι) Impeditior paulo haec ſtructura videtur, ſimilis tamen Polybianae II, 68, διότι τὸ μὲν μειράκιον ἡγεμόνος ἔργον ἀγαθοῦ ποιήσαι συνθεασάμενον τὸν καιρόν. Conf. infra c. 65. WESS.

Pag. 162. *l.* 2. Τοὺς συνηλικιώτας ἀθροῖσαι) Non damno συνηλικιώτας, quantumvis rarius obvios, inque copioſiſſimis linguae Theſauris praeteritos; praeter enim Philoxeni Gloſſ. Συνηλικιώτης, *aequalis*, Alciphron I Epiſt. 12, Ἔναγχος δὲ Παμφίλου μετὰ τῶν συνηλικιωτῶν μισθουμένου τὸ σκαφείδιον. WESS.

ead. l. 4. Εἰς τὴν τῶν ὅλων ἐπίθεσιν) Uſus eſt voce propria in ſumma re & imperio, quod τὴν τῶν ὅλων δυναστείαν paulo ante dixit. Quare & κίνδυνος περὶ τῶν ὅλων eſt periculum de ſumma re Appiano Mithrid. pag. 326; & illud adire κινδυνεύειν περὶ τῶν ὅλων infra XIII, 7; & διακριθῆναι περὶ τῶν ὅλων eiuſdem libri cap. 10; pro quo deinceps cap. 111, κρίνεσθαι περὶ τῶν ὅλων. Polybius paulo plenius περὶ τῶν ὅλων πραγμάτων I, 12, ubi Iſ. Caſaubon. WESS.

ead. l. 16. Πάντας δὲ ταῖς ὁμιλίαις &c.) Latius patet, nec ſola *alloquia*, ſed & uſum intimamque familiaritatem complectitur: qua cum Philippus, Alexandri pater, Graecorum multos a recto tramite tranſverſos ageret, ταῖς πονηραῖς ὁμιλίαις διέφθειρε τὰ ἤθη τῶν ἀνθρώπων, Noſter ait, verbis, ad nobile Menandri dictum conformatis, XVI, 56. Plura Caſaub. in Theophraſti Charact. 3, p. 112. WESS.

Pag. 163. *l.* 5. Ἓξ καὶ τριάκοντα μέρη διελών) Thebaïs & Delta, ſingulae in denas, quaeque inter utramque erant poſita, in XVI praefecturas erant deſcripta: atque haec antiquiſſima Aegypti diviſio, Straboni XVII, pag. 1135 D. non praeterita. Serior aetas, ut fit, multa mutavit, pluri-

bus Nomis, a Plinio V, 9, & Ptolemaeo IV Geograph. 5, recenſitis, ex regum arbitrio conſtitutis. *Nomus* ipſe praefecturam indicat, ſeu urbem primae dignitatis & vicina illi oppida cum adiacente agro ac pagis, Euſebio in Eſai. XIX, 3, & Epiphan. Haereſ. XXIV, 1, teſtibus: qui vero illi praeerat Νομάρχης, etiam ſub Romanis, apud Strabon. ex certiſſima Paul. Leopardi & Iſ. Caſaub. emendatione XVII, p. 1149, erat & dicebatur. Conf. infra cap. 73. Neſcio autem, an acceſſurus ſis Artapano, Moſi deſcriptionem hanc in XXXVI nomos tribuenti in Euſebii IX P. E. 27; mihi quidem certe commentum haud placet. WESS.

ead. l. 6. Ἃ καλοῦσιν Αἰγύπτιοι νομοὺς) Quam hic vocem Aegyptiam, pag. 46 tradit eſſe Graecam. Euſtathius Libycum vocabulum eſſe ſcribit. Plinius Lib. V, 9: *ſumma pars contermina Aethiopiae Thebaïs vocatur. Dividitur in praefecturas oppidorum, quas nomos vocant, duodecim.* Ego Graecam eſſe vocem vix mihi perſuaſero. STEPH.

ead. l. 13. Ζεύγη δὲ πολεμιστήρια &c.) Ex curribus pugnare vetuſtiſſimi moris fuit; quo pugnae genere Homerici Heroës & Afrorum plures uſi ſunt, Polluce I, 141, indice: Aegyptii quoque Exod. XIV, 7, 26. Currus erant nudi, ἅρματα ψιλὰ Arriano Tact. pag. 10; nam τὰ δρεπανηφόρα, ſive falcati, deinceps reperti, inſtructi viris duobus, uno propugnatore, altero auriga. Ἔχοντος τοῦ ἅρματος ἡνίοχον καὶ παραβάτην, inquit infra V, 29. Vid. Io. Scheffer. II R. Vehic. 15, & Noſtri V, 21. WESS.

Pag. 164. *l.* 1. Ἐνηθληκότας μὲν ἤδη τοῖς πολεμίοις) Pro πολεμίοις repono πολέμοις. STEPH. & RHOD. Non ſubſcribo virorum praeſtantium iudicio. Saepe enim τὰ πολέμια rem militarem exprimunt. Thucyd. I, 18, εὖ παρεσκευάσαντο τὰ πολέμια, *res bellicas praeclare inſtruxerunt;* & IV, 126, ἀγαθοῖς γὰρ εἶναι ὑμῖν προσήκει τὰ πολέμια, *vos enim in rebus bellicis ſtrenuos eſſe decet.* Ad quem priorem locum H. Steph. multo aliter atque hic inſtituit, diligentiſſimeque cavit, ne qui temere iſti vocabulo dicam impingeret. Quare non omni culpa immunis eſt doctiſſimus Hutchinſon, quod Xenophonti I Exped. Cyr. pag. 203 obtruſerit τὰ πολεμικὰ λεγόμενος ἐν τοῖς ἀρίστοις Περσῶν, pro Codd. veterum τὰ πολέμια· quorum ſcripturam Aelian. IV H. A. 1, & Philoſtrat. Heroic. 15, pag. 724, ſatis ſuperque firmant. WESS.

ead. l. 5. Κατεκληρούχησε τὴν ἀρίστην τῆς χώρας) Herodot. II, 109, finita expeditione, & Aſia ſub imperium & ditionem redacta, Seſoſtrim agros diviſiſſe ſuis refert. Ego Diodoro acceſſerim, cuius narratio ambitioni regis & prudentiae, militum favorem ita colligentis, melius reſpondet. WESS.

ead. l. 9. Ἐπὶ πρώτους Αἰθίοπας) Non diſſimilia de hoc rege Strabo XVI, pag. 1114 A. & XVII, pag. 1138 C. & Plinius VI N. H. 29. WESS.

ead. l. 12. Τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν) Vide cap. 19. WESS.

Pag. 165. *l.* 7. Καὶ γὰρ τὸν Γάγγην) Eum Alexander militum contumacia prohibitus, ut reliquam Indiam domaret, tranſire haud potuit, XVII, 94. WESS.

ead. l. 10. Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας &c.) Et a victo quidem Seſoſtri, ſi fides Valer. Flacco V, 420: *ut prima Seſoſtris Intulerit rex bella Getis: ut clade ſuorum Territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem; Phaſidis hos imponat agris Colchoſque vocari Imperet.* Quam in Colchis acceptam cladem Plinius XXXIII, 3, haud praeteriit. Id vero parum recte, quod Colchorum gentem Diodor. paludi Maeotidi affinem fecit, longius ab ea remotam. Vide S. Bochart. IV Phal. 31. WESS.

ead. l. 12. Ὅτι Αἰγυπτιακόν ἐστι) Herodotum II, 104, ſequitur, cui tu iunge Apollon. Rhod. IV, 275, & ſupra cap. 28. WESS.

Pag. 166. *l.* 9. Τοῖς ἱεροῖς λεγομένοις) Vid. infra cap. 81. WESS.

ead. l. 10. Ὅπλοις κατεστρέψατο) Herodot. II, 106, ὤμοισι τοῖσιν ἐμοῖσι, *humeris meis*, quam ſcripturam hac longe deteriorem cenſet Th. Galaeus; haud ſcio an iniuria: columellarum enim inſcriptiones huius fuiſſe perſimiles cap. 103 docet; a quibus cum illa, quae in Ionia erat, paulo fuerit diverſior, & ὦμοι, *humeri*, robur ac vires egregie ex Artemidori I, 42, ſententia expingant, cur tandem mutemus? WESS.

ead. l. 12. Ἔχουσαν αἰδοῖον) Eadem Africanus & Euſeb. in Syncelli Chronogr. pag. 59 & 60, ex Manethone. Mox κυριωτέρου malui, quod τὰ κυριώτατα τῶν μερῶν eae ſint corporis partes, ſine quibus homini vita conſtare nequit, Philon. Iud. in Flacc. p. 974 D. Plutarcho T. II, p. 159, & Iamblicho Myſter. Sect. III, 16. WESS.

Pag. 167. *l.* 4. Ἠλίκος αὐτὸς ἐτύγχανεν) Euſeb. ex Ma-

nethone de Seſoſtri, ὃς λέγεται γεγονέναι πηχῶν δ', παλαιστῶν γ', δακτύλων β', *quem corporis proceritate cubitos IV, palmos III, digitos II, aequaſſe ferunt*, in Syncelli Chronogr. p. 60. Aliter Herodot. II, 106. WESS.

ead. l. 6. Ἐν ἔτεσιν ἐννέα) Conſentiunt African. & Euſeb. apud Syncell. p. 59. WESS.

ead. l. 11. Τῶν πρὸ αὐτοῦ κατειργασμένος) Iuſtum hoc eſt: non reges tantum, ſed omnes, qui unquam cum imperio fuerunt, Seſoſtris multis partibus antecelluit cap. 58. WESS.

ead. l. 13. Καὶ σκύλοις ἐκόσμησε) Antiquiſſimum morem ſpolia hoſtium in templis dedicandi diligenter perſequitur, Diodoro haud neglecto, Stanleius in Aeſchyl. VII cont. Theb. 284. Facit & huc Davidis exemplum, qui proſtrati a ſe Goliathi gladium & ſcuta exercitui Hadad Eſeris erepta conſecravit 1 Samuël. XXI, 10; Ioſeph. VII Antiq. I. 5, 3; quod imitatus Herodes M. circum templi Hieroſolymitani muros σκῦλα βαρβαρικὰ ſuſpendit apud eundem Ioſeph. XV A. I. 11, 3. WESS.

Pag. 168. *l.* 4. Παντοίας ὠφελείας ἐμπλησθῆναι) De *manubiis* accipio, quas Polybii II, 3, 22, III, 19, exemplo hac voce exprimere aſſuevit, uti III, 49, XI, 21, XII, 50. Nec aliter Plutarch. in Eumene T. I, pag. 588 E. μὴ καταπλησθέντες ὠφελείας καὶ λαφύρων οἱ σὺν αὐτῷ &c. ut perperam ea falce adhibita ſecare ac corrigere Moſ. Solanus inſtituerit. WESS.

ead. l. 6. Ἀποστήσας ἀπὸ τῶν πολεμικῶν) Praepoſitio, ut otioſa, removeri poteſt, ac forte debet. RHOD. Poteſt profecto ſine damno abeſſe, ut cap. 80; nec delevi tamen in eo Codd. diſſenſu ob XI, 27, ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων ἀπέστησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς στρατηγίας. WESS.

ead. l. 13. Εἰς ἅπαντα ἀσφάλειαν &c.) Induxi, quam intempeſtive ingeſſerant librarii, interpretationem gloſſamque. Ἀσφάλεια μετὰ ῥαστώνης & ſecuritatem & commoda, quae in ſequentibus exſequitur, complectitur. WESS.

Pag. 169. *l.* 6. Ἐκ τῆς Βαβυλωνίας) Hoc melius: totam enim provinciam, Babyloni ſubiectam, una cum urbe denotat; niſi κατάχρησιν ſynècdochicam eſſe dixeris. RHOD.

ead. l. 8. Καταλαβομένους χωρίον καρτερὸν) In Heliopolite Nomo ad Bubaſticum amnem. Strabo XVII, p. 1160, φρούριον ἐρυμνὸν, caſtellum munitum & a Babyloniis, qui deſciverant, conditum perhibet: qua in re Diodoro aſſen-

titur; non item Ioſephus, qui II Ant. I. 15, 1, Cambyſi urbis initia tribuit. Dixi plura ad Itin. Anton. p. 169. WESS.

ead. l. 14. Καὶ τὴν Τροίαν) Accubabat monti Troico fluvioque Nilo ſupra Memphim, Strabonis aetate pagus, ſed conditus tamen a captivis, quos Menelaus exciſa Troia abduxerat, XVII, pag. 1162. Urbem Stephan. in Τροία agnoſcit; lapides Troici montis Ptolem. IV Geogr. 5, pag. 121. Addo, quod in ſeriora tempora duravit id nomen. Certe Patrum Apophthegmata, quae Cotelerius T. I Monum. Graec. inſeruit, memorant p. 366 πέτραν τῆς Τρώης· & pag. 371 Τρώην, τὴν ἄνω Βαβυλῶνος κατέναντι Μέμφεως. WESS.

Pag. 170. *l.* 2. Καταλαβεῖν τινὰ τόπον) Qui καταλαβέσθαι legendum cenſet, eius cenſurae lubenter accedam. RHOD.

ead. l. 8. Παραβαλόντων εἰς Αἴγυπτον) In omnibus noſtris Codicibus legitur παραλαβόντων, cum perſpicuum ſit, legi debere παραβαλόντων, ut & repoſui. Exempla multa ex praecedentibus afferre poſſem; ſed uno contentus ero, quod eſt paulo ante, παραβαλεῖν εἰς Αἴγυπτον. Ita enim illic ſcriptum habent omnes, non παραλαβεῖν. STEPH. Παραβαλόντων) Sine controverſia verum hoc, & Diodoro frequentatum, ut antea cap. 12 exemplis eſt confirmatum. Id demiror, omnes Stephani Codd. in alteram eam ſcripturam coniuraſſe, nec ullam tamen in meis, quorum Clar. 2. & Reg. certe quidem Stephan. uſus fuit, ſcripturae diſcrepantiam notari. De Semiramide, Aegyptum occupante, II, 14. WESS.

Pag. 171. *l.* 1. Τὰς πόλεις ταύτας) Vulgo quod legebatur τὰς πόλεις εἰς ταύτας, tueri ſe non poterit, niſi ſi ταῦτα ſcripſeris. Quod ex Vaticano reſtitui, multis partibus melius videtur. WESS.

ead. l. 3. Ὅπως κατὰ τὰς πληρώσεις) Vide ſupra cap. 36. WESS.

ead. l. 7. Ἵνα τὰς συγκομιδὰς &c.) Aliam cauſam, ne longius a fluvio in mediterranea reiecti ſitirent, affert Herodot. II, 108; ſed haec Diodori vero ſimilior. WESS.

ead. l. 9. Καὶ πᾶσι τοῖς τρόποις) Τόποις abſque dubitatione lego; nec, quid τρόποις ſibi velit, aſſequor. RHOD. Πᾶσι τοῖς τόποις) Habebant quidem foſſae παντοίους τρόπους, varia, ut ſic dicam, divortia, apud Herodot. II, 108, eaque intelligenda forent, ſi vulgata ſcriptura bene haberet. Sed ſequor Rhodom. WESS.

ead. l. 12. Τὸν γὰρ προτοῦ χρόνον) Optimam & Diodoro ſaepe probatam non erat profecto cur lectionem mutarent: ſic enim & cap. 54, ἀδούλωτον τὸν προτοῦ χρόνον· & V, 69, τὸν προτοῦ χρόνον οὐκ οὔσης ἐπιμελείας περὶ αὐτούς. Utitur, ut alios nunc praeteream, & Polyb. I, 66, ex certa Iac. Gronov. emendatione. Aegyptum vero, poſtquam intercidi coepta eſt tot foſſis, equorum & curruum agitationi minus fuiſſe habilem, res ipſa & Herodot. II, 109, indicat. WESS.

Pag. 172. *l.* 2. Δυσεφοδεστάτη γέγονεν) Utrum δυσεφοδευτάτη, quod ad ſcripturam propius accedit, an vero δυσεφοδωτάτη, quod concinnius eſt, reponendum ſit, eruditus lector iudicet. RHOD. Δυσεφοδωτάτη) Amplector hoc, quantumvis ἀκρατέστερον, ἀνιαρέστερον, ἀφθονέστερον, aliaque inſolentiora a Grammaticis atque Athen. X, 6, e veterum ſcriptis excerpta ſuperſint. Cur enim ad παρακεκινδυνευμένα, ubi conſueta ſunt in promtu, decurramus? WESS.

ead. l. 6. Ἐπὶ σταδίους χιλίους καὶ πεντακοσίους) Dubitat de hac longitudine, & foſſa Aegypti orientale hoc latus, non muro, fuiſſe munitum pertendit Io. Marſham. Can. Chronol. p. 395. Neutrum bene. De foſſa nihil Diodorus, cuius τειχίζειν murum aut vallum requirit: in ſpatio accuratiſſime conſentit Herodot. II, 7. WESS.

ead. l. 10. Ἀνέθηκε τῷ θεῷ) Videtur deeſſe verbum, quod iungatur cum δὲ, ut ἀνέθηκε iunctum eſt τῷ μέν. STEPH. Controverſiam huic loco ab H. Steph. motam, ſi paulo poſt δύο τε λιθίνους ὀβελίσκους ſcripſeris, facili opera tolles. De Deo, qui Thebis praecipuo honore fuerit cultus, alia res eſt. Io. Marſham. Canon. Chronol. p. 374 *Oſirim* eſſe arbitratur, idque pluribus aliis perſuaſit; ego vero Iovem, ὃν μάλιστα τιμῶσιν, *quem Thebani inprimis venerantur*, teſte Strabon. XVII, pag. 1171 C. a quo Diodor. c. 15 nihil diſcordat. WESS.

ead. l. 11. Δύο δὲ λιθίνους ὀβελίσκους) Subiungendum videtur κατεσκεύασεν, vel ſimile; ne ſuſpenſa maneat ſententia. RHOD.

ead. l. 12. Ἐκ τοῦ σκληροῦ λίθου) Inter lapides Aegyptios duritie excellebat *Baſaltes*, ferrei & nigreſcentis coloris, obeliſcis & ſtatuis excidendis aptus, & *Syenites*, e quo reges quodam certamine obeliſcos, Soli ſacratos, fecere apud Plinium XXXVI H. N. 8. De utroque egregie

Blaſ. Caryophilus de Marmor. Antiq. p. 106 & 116. Wess.

ead. l. 14. Καὶ τὸ πλῆθος τῶν προσόδων) Firmantur haec mirifice a Tacit. II Annal. 60; eius enim Ramſes ſive Rameſſes a Seſoſtride non eſt diverſus, ut ſupra dictum. Wess.

Pag. 173. *l.* 1. Μονολίθους εἰκόνας) Eadem Herodot. II, 110. Wess.

ead. l. 6. Ἑστιῶν αὐτὸν ὁ ἀδελφὸς) Armais, quem peregre abiens totius regni procuratorem reliquerat, Graecorum Danaus, ſi fides Manethoni in Ioſeph. I cont. Apion. 15. Facit enim is Troiano bello res Seſoſtris priores, ſicuti cum Herodoto Diodorus; quos eiuſdem opinionis auctores habuerunt viri literatiſſimi, tametſi de vera regis eius aetate parum concordes, qui ſuperioribus annis in hanc diſputationem ſunt ingreſſi, Nicol. Abramus VIII Phari V, T. 10, Iac. Perizon. Origin. Aegypt. 16, & Camp. Vitringa ad Eſai. XIX, pag. 550. Nec deſunt tamen alia omnia probantes, Io. Marsham. Can. Chronol. pag. 376, Guil. Iameſon Spicil. Ant. Aegypt. 13, Seſoſtrim eundem ac Siſakum, Rhehabeami aequalem, arbitrati, & praeter ceteros Iſaac. Newtonus Chronol. pag. 233; quorum quidem certe ſententia ſi valeat, Aegyptiorum Graecorumque rationes conturbantur omnes, & ea coagmentantur, quae disiunctiſſima veteres prodidere. Sed ea latiorem campum requirunt, nec huius ſunt loci. Wess.

ead. l. 12. Ὡς ἂν οἰνωμένοι) Etſi uſus οἰνωμένον & μεθύοντα ita diſtinguat, ut is appotus, hic vino merſus habeatur, quemadmodum in Laërtii Diogen. VII, 118, & Plutarchi Symp. III, 1, p. 645; non deſunt loca, quae vino egregie depoſitum requirunt, ut hic & XVII, 72, Ariſtot. Probl. XXVIII, 4. Wess.

Pag. 174. *l.* 1. Διεξέπεσε διὰ τῆς φλογὸς) Duobus e ſex filiis ſuper ignem porrectis & extenſis, ut illis tanquam ponte uteretur, Herodot. II, 107; quem rei ita geſtae ordinem Diodorus aut neglexiſſe, aut ab Aegyptiis ſacerdotibus haud accepiſſe videtur. Wess.

ead. l. 6. Δοκεῖ μεγαλοπρεπέστατον &c.) Immo vero omnium ſuperbiſſimum: unde & Plinio Seſoſtris *tam ſuperbus, ut prodatur annis quibuſque ſorte reges ſingulos e ſubiectis iungere ad currum ſolitus, ſicque triumphare*, XXXIII N. H. 3. A quo tamen faſtu ſe deinceps ſemovit, vertentis ſe rotae viciſſitudine a captivorum uno de verſatili rerum humanarum orbe admonitus apud Theophylact. VI

Hiſt. Maurit. 11, & Io. Tzetzen Chiliad. III, 84. Wess.

Pag. 175. *l.* 2. Καὶ δι' ἀρετὴν ἐπιφανεστάτους) Hoc vulgato praetuli. Nimium eſt δι' ἁπάσης γῆς, quam univerſam Seſoſtris ſub imperium & ditionem haud redegit. Wess.

ead. l. 6. Ὑπερβεβηκέναι ταῖς πράξεσι) Nihil intererit, hoccine malueris, an ὑπερβεβληκέναι. Utrumque in eo genere, cum de praeſtantia agitur, frequens. Solon σοφίᾳ καὶ παιδείᾳ πάντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβεβηκὼς eſt in Excerpt. Valeſ. pag. 233; & Daedalus φύσει δὲ πολὺ τοὺς ἄλλους πάντας ὑπερβαίνων IV, 78. De altero, XV, 88. Wess.

ead. l. 9. Τρία πρὸς τοῖς τριάκοντα &c.) African. & Euſeb. Seſoſtri ex Manethone annos XLVIII tribuunt in Syncello pag. 59, 60; quibus ne plane adverſus ſit Diodorus, hos XXXIII regni annos a reditu ex Aſiatica expeditione, etſi huic opinioni nullum hoc quidem loco ſit fundamentum, Io. Marsham. Can. Chronol. pag. 403 computat. Wess.

Pag. 176. *l.* 5. Ὁ μὲν ἀρχιερεὺς ἀντεῖπε) Blandiri poſſet Coisl. & Mutin. ἱερεύς, quod Herodot. II, 110, ſacerdoti Vulcani τῷ ἱρέϊ τοῦ Ἡφαίστου haec adſcribat, niſi huius loci alia eſſet ratio: mentio ſacerdotum, quae deinceps fit, hunc principe loco fuiſſe ſignificat. Alioqui inſolens non eſt, ut ἱερεὺς ſimpliciter dicatur, qui collegio ſacerdotum eſt praepoſitus, ſicuti exemplis firmavit Ezech. Spanh. Diſſ. XII de Uſu & Pr. Numiſm. p. 423. Wess.

ead. l. 8. Οὐχ οὕτως ἠγανάκτησεν) Pro οὐχ οὕτως repono οὐχ ὅπως, ut ſit οὐχ ὅπως ἠγανάκτησεν, non ſolum non indignatus eſt, ſed etiam contra &c. vel, tantum abeſt, ut indignatus ſit, ut contra &c. Sic alibi poſt οὐχ ὅσον, ſive οὐχ οἷον (nam duplex eſt lectio) ſubiungit ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον, pag. 59 initio. At pag. 23 in fine poſt οὐχ ὅπως ſubiungit ἀλλ' οὐδέ. Ceterum quod in hac eadem linea habetur (in uno tantum Codice inventum) καὶ εὐφρανθείς, per ineptam periſſologiam videtur fuiſſe additum; nec dubito, quin primum pro gloſſemate poſitum id fuerit, aut in margine aut inter lineas, deinde in contextum irrepſerit. Sunt vero & alia hic eodem ex Codice ſumta, de quibus idem plane ſuſpicor. Steph. Qui mediocriter Graecae linguae intelligens eſt, ὅπως ſcribendum eſſe, primo intuitu animadvertit. Aſſumenta etiam, quae ſequuntur, καὶ εὐφρανθεὶς καὶ ἐναπομείνῃ, quin prorſum

reſcindenda ſint, quis dubitet? Rhod. Οὐχ ὅπως ἠγανάκτησεν) Praeter Steph. & Rhodom. Scaliger & Iſ. Voſſius ad oram quiſque libri ſui hoc probarunt, quibus haud aſſentiri nefas hac quidem in re eſt. Convenit egregie hoc Muſonii, Socrates, inquientis, οὐχ ὅπως ἠγανάκτησεν, ἀλλὰ καὶ ἐντυχὼν ἠξίου αὐτὸν, in Stobaei Sermon. XIX, pag. 170; & Noſtri de regibus Aegypti, οὐχ ὅπως ἠγανάκτουν ἀλλὰ τοὐναντίον ἡγοῦντο, infra c. 71; & de Dionyſio, οὐχ ὅπως ἠλέησε τοὺς ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον &c. XIV, 111, & XI, 46, XIII, 22. Wess.

ead. l. 11. Καὶ ἐναπομείνῃ βιώσας τὸν ἴσον χρόνον) Sine his duobus verbis καὶ ἐναπομείνῃ, (quae in omnibus exemplaribus non ſunt,) facilis eſſe videtur huius loci ſententia. Nimirum haec: Rex autem tantum abeſt ut indignatus fuerit, ut contra illam loquendi libertatem amplexatus, daturum ſe operam dixerit, ne ulla in re inferior eo eſſet, ſi aeque longa illi vita contingeret. Sic autem interpretor, ut ſi οὐχ ὅπως legeretur; de qua lectione vide proxime praecedentem annotationem. Steph.

ibid. Τὰς ἡλικιωτίδας πράξεις) Conf. ſupr. c. 9. Wess.

Pag. 177. *l.* 4. Τὴν τοῦ πατρὸς προσηγορίαν &c.) Herodoto Φερῶν, *Pheron*, voce appellativa & regem ſua origine ſignificante, dicitur: neque enim aliud videtur ac *Pharao* ſive *Pharo*, ut bene Camp. Vitringa in Eſai. XIX, p. 549. Plinio *Nuncoreus* eſt XXXVI N. H. 11. Wess.

ead. l. 8. Ἐτυφλώθη γὰρ καὶ ἐκεῖνος) Quid repetitiuncula iſta opus? cum de caecitate patris paulo ante dixerit. Ad ſui generis ergo, id eſt, putida gloſſemata, remittendum. Rhod.

ead. l. 9. Τὸ γὰρ ῥεῦμα &c.) Quod ex Coisl. & Mutin. excerpſi, plenius eſt ad Herodoti ſententiam compoſitum: ſuſpectum tamen, & propterea illis, quibus allubeſcet, relictum. Wess.

ead. l. 13. Οὐδεμιᾶς ἐτύγχανε πολυωρίας) Non temere πολυωρίας in contextum recepi; ſic enim cum alibi, tum pag. 57 in fine, πάσης μὲν τιμῆς καὶ πολυωρίας ἀξιοῦνται. Steph. Recte Steph. multo enim hoc elegantia ac vi praeſtat. Plutarch. T. II, pag. 792 E. de patria, ut ait, non quidem a ſenectute immuni, nec ſibi ſufficiente, ἀλλ' ἀεὶ πολυωρίας δεομένη καὶ βοηθείας, *ſed ſemper diligenti cura & auxilio indiga.* Suidam adde in πολυώρησον, & infra XI, 85.

Quod ſequitur τῷ δεκάτῳ ἔτει, id Herodoto quodammodo contrarium, qui *anno XI*, II, 111; ſed non convenit omni ex parte inter eos, & potuit id diſcrimen naſci, quod ſine anni X rex oraculo ſit monitus, proptereaque alii XI, alii X anno id, quod evenit, tribuerint. WESS.

Pag. 178. *l.* 2. Νίζεσθαι καὶ πλύνεσθαι) Reſecato ut ſynonymiam longe ineptiſſimam: eodemque honore affice, quod paulo poſt ſequitur, καὶ τὴν μαντείαν. RHOD.

ead. l. 8. Διὰ τὸ σύμπτωμα τοῦτο) Phrynichus Eclog. pag. 40, temere vocem proſcribit, Thucydidis & Demoſthenis calculo probatam. Σύμπτωμα Heſychio eſt συνάντημα, id quod accidit, caſus, ut cap. 57, διὰ σύμπτωμα τοιόνδε, & cap. 60, ἀπὸ τοῦ συμπτώματος τῶν οἰκητόρων. Id praetereundum non eſt, Herodoto auctore, vicum eum, ſive urbem potius, ſic enim cenſet, Ἐρυθρὴν βῶλον, *Rubram glebam*, eſſe dictam, atque illi accedere Ethnicograph. in Ἐρυθρὰ βῶλος. WESS.

ead. l. 13. Συχνοὶ τῶν διαδεξαμένων) Longe hic a Diodoro abit Herodotus, qui Seſoſtris filio ſucceſſorem dat Proteum II, 112. Longius Manetho apud Syncell. p. 60. Unde animum ſuſpicio ſubit, aut alios annales ſacerdotes Aegyptios, quos Noſter auctores habet, ſecutos eſſe, aut patriae ſtudio, ut eius res multo antiquiſſimas facerent, multa deinceps commentos. Mecum ſentit vir egregius Camp. Vitringa in Eſai. XIX, p. 542. WESS.

Pag. 179. *l.* 1. Ἄμασις) Si Ἄμασις hic ſcripſiſſet Diodorus, certe ad eundem Amaſin veniens, quem cum Herodoto ſucceſſorem Apriae facit, ſecundum hoc nomine eſſe admonuiſſet: ſed nec alii quoque ſilentio id praeteriiſſent. Quid tamen pro Ἄμασις reponendum ſit, ne ſuſpicari quidem poſſum; niſi forte Ἄμμωσις reponi debet, ut & pag. 41 pro Ἄμασιν aliam ex alio exemplari lectionem in margine tibi appoſui Ἄμμωσιν. STEPH. Lege cum H. Steph. Ἄμωσις. Sed quid agit in quarto verſu ἀλαζονικῶς; quod quinta, ut aiunt, rota in curru, vel aſinus in unguento. RHOD. Ἄμασις γενόμενος βασιλεὺς) Vera ſi eſſent, quae de regibus huius nominis commentatus eſt Gottf. Olearius in Philoſtrati V Vit. Apollon. 42, nulla opus foret correctione: ſed miſcet ille *Amaſin*, Apriae ſucceſſorem, quo de Philoſtr. & *Amoſin*, quo rege Iſraëlitae creduntur ex Aegypto exceſſiſſe. Vel ſic tamen contra Codd. voluntatem nihil muto: nam & *Amoſin* ſive *Ammoſin* primum

dynaſtiae XVIII regem Iuſtin. Mart. Paraeneſ. pag. 10 A. atque alii *Amaſin* appellitant. WESS.

ead. l. 7. Ἐπεὶ δὲ Ἀκτισάνης) Regis huius & occupatae eius ductu & auſpiciis Aegypti praeter Strabon. XVI, pag. 1102, etſi & is obiter atque aliud agens, nuſquam alii, quantum quidem recordor, meminerunt. WESS.

ead. l. 12. Ἀνθρωπίνως ἐνέγκας τὴν εὐτυχίαν) Utitur dictione, quae civilem animum & viciſſitudinis rerum humanarum memorem complectitur, ſaepeque adeo moderationem, qua omnia humana placate & moderate ferimus, indicat: ita Gelon τὴν εὐτυχίαν ἀνθρωπίνως ἔφερε XI, 26; contra Tantalus, rerum ſucceſſu inflatior, τὴν εὐτυχίαν οὐ φέρων ἀνθρωπίνως IV, 76: ſaepe etiam clementiam, qua humanitèr alios habemus, quod ἀνθρωπίνως χρήσασθαι XI, 26, & ἀνθρωπίνως μεταχειρίζεσθαι Dioni Caſſio LVI, pag. 683 C. Plura Deſ. Heraldus I Animadv. in Ius Att. & Rom. c. 8. WESS.

Pag. 180. *l.* 8. Ῥινοκουρούραν) Strabo Lib. XVI, p. 1102, Ῥινοκολούραν vocat; quod ad etymologiam Graecam, a κολούω, magis quadrat. Stephanus tamen Ῥινοκουρούραν ſcribit. Sic autem a ῥὶν & κείρω, ſeu κουρὰ & ὅρος deduceretur. Quod Grammaticis diſceptandum tradimus: Graecam enim compoſitionem eſſe quis ambigat? RHOD. Ῥινοκολούραν) In urbis huius nomine variant ſcriptores, ut ad Itiner. Antonini p. 151 abunde eſt patefactum. Quod reſtituimus, tritius & ſermonis analogiae convenientius eſt. Seneca, haud ſcio quo auctore, III de Ir. 20: *Rex Perſarum totius populi nares recidit in Syria: inde Rhinocolura loci nomen eſt.* Diodoro, ut dictum ante, aſſentitur Strabo. WESS.

ead. l. 10. Οὐ μακρὰν τοῦ παρήκοντος αἰγιαλοῦ) Mallem *a litore porrecto*, ſeu quod praeter urbem longiſſime porrigitur. Dicuntur enim regiones, inſulae, litora παρήκειν, quae pertinent & extenduntur, ut diligenter monuit C. A. Duker. in Thucyd. IV, 36. Pauſan. I, 44: παρήκει δὲ παρὰ τὴν Νισαίαν νῆσος οὐ μεγάλη, *ante Niſaeam inſula haud magna porrigitur.* Et Noſter infra II, 13, τοῦτο δ' ἐπὶ πολλοὺς σταδίους παρῆκον· clariuſque ſup. c. 31, ταινία παρ' ὅλην σχεδὸν τὴν Αἴγυπτον παρήκει. WESS.

ead. l. 13. Ἐντὸς δὲ τοῦ τείχους &c.) His pugnarent, quae de *torrente* Aegypti in Eſai. XXVII, & Amoſ VI, Hieronymus memorat, urbem hanc alluente, modo certa

forent; quod quidem ego non putem. *Torrens Aegypti* ille alius eſt, & a Nilo haud diverſus. Tamen quae hic de Rhinocolura, ea fere de Oſtracine, huic vicina, Ioſeph. IV B. Iud. 11, 14; ut utraque peſſimo fuerit ſitu. Wess.

Pag. 181. *l.* 3. Ἐκριφέντες εἰς χώραν) Proprium hoc illis eſt, qui a civium commercio avulſi in ultimos fines ſeponuntur, ut Graeci, ab Alexandro ἐν ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς βασιλείας ἐξερριμμένοι XVIII, 7, & Aegyptii, qui vitiligine infecti ἐξεῤῥίφησαν εἰς τὴν Ἑλλάδα, Eclog. Lib. XL, 1. Wess.

ead. l. 11. Φέρονται κατ' ἀγέλας) Volare catervatim perhibentur; quare Delus Ortygia dicta, παρ' ὃ τὰς ἀγέλας τῶν ζώων τούτων φερομένας ἐκ τοῦ πελάγους ἱζάνειν εἰς τὴν νῆσον, *quod greges coturnicum e mari in inſulam devolare ibique conſidere ſoleant*, in Athen. IX, 11. His autem Diodori diligenter viri doctiſſimi, qui eas aviculas, quibus Iſraëlitae in deſertis Arabiae veſcebantur, coturnices fuiſſe cenſent, ut aſſolent, S. Bochartus Hierozoic. P. II, I, 15, p. 100, Io. Marsham. Canon. Chronol. p. 147, atque alii; a quibus ego, ut alias dicam, diſſentio. Wess.

Pag. 182. *l.* 1. Μένδην) Huius regis fit mentio a Diodoro non procul ab huius libri primi fine: ubi Μάρου genitivus habetur unico ρ ſcriptus, in iis exemplaribus, quae hic accuſativum Μάῤῥον duplici ρ ſcriptum habent. In eo autem, in quo hic Μάρον legitur, ibi non itidem Μάρου, ſed Βάρωνος legimus. Locus eſt hic: τὸν δὲ Δαίδαλον λέγουσιν ἀπομιμήσασθαι τὴν τοῦ λαβυρίνθου πλοκὴν, τοῦ διαμένοντος μὲν μέχρι τοῦ νῦν, οἰκοδομηθέντος δὲ, ὥς μέν τινες φασὶν, ὑπὸ Μένδητος, ὥς δ' ἔνιοι λέγουσιν, ὑπὸ Βάρωνος τοῦ βασιλέως, πολλοῖς ἔτεσι πρότερον τῆς Μίνω βασιλείας. Diligenter vero conſideranda eſt, quae habetur hoc loco, ſcriptura, propter vicinitatem, quam hoc nomen habet cum eo, quo Herodotus unum ex regibus Aegypti nominat. Is enim Φέρωνα quendam appellat. Ac fieri poteſt, ut eundem alii Φέρωνα, alii Βάρωνα nominarint. Sed quis fuerit, & quo tempore regnaverit hic ſive Φέρων, ſive Βάρων, hac vero de re inter Herodotum & Diodorum nullo modo convenit. Ait enim Herodotus, Seſoſtridi mortuo in regnum ſucceſſiſſe filium Pheronem, qui nullam expeditionem ſuſceperit, cuique luminibus orbari contigerit. At Diodorus Seſoſtrim quidem regni ſucceſſorem habuiſſe ſcribit ſuum filium, nullis rebus geſtis nobilitatum, & luminibus or-

batum, ſed Seſoſtrim & ipſum nuncupatum; patri enim fuiſſe cognominem tradit. Verum quocunque ſit appellandus rex hic nomine, (ſi modo eundem regem non eodem nomine ab omnibus appellari putandum eſt) conſtat, Diodorum Varonem ſuum inter Seſoſtridis filium & Proteum una cum aliis interiicere; cum Herodotus Seſoſtridis filium Pheronem nuncupet, cui Proteum ſucceſſorem faciat. Iam vero hic alius mihi iniicitur ſcrupulus ex alio Diodori loco. Cum enim hunc eundem regem ab aliis Μένδην, ab aliis Μάῤῥον nominatum ſcribat, in eo ipſo, quem modo citavi, loco (eſt autem pag. 61 meae editionis) Μένδην ſive Μένδητα alium a Maro ſive Varone facit. Nam cum hic Μένδην, quem alii Μάρον vocant, labyrinthum conſtruxiſſe tradat, cui ſimilem Daedalus Minoi Cretenſium regi fabricatus ſit; illic ſcribit, Daedalum imitatum eſſe labyrinthum aedificatum, ut quidam aiunt, a Mendete, ut autem alii dicunt, a Maro rege. Niſi forte aliquis, ὡς μέν τινες φασὶν, & ὡς δ' ἔνιοι λέγουσιν, (id eſt, *ut quidem aiunt aliqui, ut vero nonnulli dicunt*) accipiat pro ὡς μέν τινες αὐτὸν ὀνομάζουσιν, id eſt, *ut eum quidam nuncupant.* Sed quis unquam ita locutus eſt? Ego certe potius Diodorum, cum non eoſdem utrobique auctores ſequeretur, non eadem ſcripſiſſe, credibile eſſe exiſtimo. STEPH. Nos Μάρον retinemus, cum de Pherone Herodoti atque hinc de Barone dubia ſit H. Stephani coniectura; cuius notatio diligentiſſima conſulatur. RHOD. Diodoro nihil certi conſtitit de labyrinthi auctore, ut haec & quae cap. 89 & 97 leguntur, liquido oſtendunt. De Mende ſive Mendete non diſſentit Strabo XVII, p. 1165, cuius *Imandes* ſive *Maindes*, ut in Epitoma, non alius eſt, uti nec *Marres* Aelian. VI Hiſt. An. 7, & *Smarres* Plinii XXXVI, 9, diverſus ab hoc Marro ſeu Marno. Quam longe vero hinc abit Herodot. II, 148, & eum ſecutus Mela I, 9, qui XII regibus & Pſammeticho inprimis, Plinius XXXVI, 13, qui Peteſucco, African. & Euſeb. qui Lachari Seſoſtris filio, labyrinthum tribuunt in Syncell. Chronogr. p. 60? E qua ſcriptorum diſcordia id iuſta concluſione confeceris, plures regum diverſo tempore huic operi curam atque impenſam inſumſiſſe, nec certo poſſe finiri, quis ceteris praeiverit. WESS.

ead. l. 11. Ὅμοιον τῷ κατ' Αἴγυπτον) Tametſi & Plinio hinc ſumſiſſe Daedalum exemplum eius labyrinthi, quem

ſecit in Creta, non eſt dubium, XXXVI N. H. 13; incertiſſimis tamen ſuſpicionibus motus Io. Marsham. p. 291 illi ac Diodoro obloquitur. WESS.

ead. l. 12. Τὸν λεγόμενον Μινώταυρον) Conf. infr. IV, 79. WESS.

ead. l. 13. Ἠφανίσθη τελέως) *Cretici nulla veſtigia* ſuo tempore durare Plinius XXXVI, 13, indicat. Itaque alius eſt, qui nunc peregre in Cretam profectis oſtendi ſolet, accurate deſcriptus in Itiner. Epiſt. 2, p. 26, a Pitt. Tournefort. WESS.

Pag. 183. *l.* 1. Μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς βίου) Immo in hanc uſque aetatem, etſi non plane integer. Rudera, quae ſuperſunt, luſtravit Paul. Lucas Itiner. Aegypt. V, p. 24; quem, & viri docti Diſſert. inſertam T. III Hiſtor. Acad. Inſcript. p. 368, adi. WESS.

ead. l. 4. Τῶν ἀδόξων τις) Hoc malui. Nam quae adduntur, certo ſunt argumento, non plane indignum fuiſſe eo honore; quod vulgo recepta ſcriptura indicabat. WESS.

ead. l. 5. Ἡρέθη καὶ προεκρίθη) Gloſſema hoc eſſe quis non videt? qui deſumitur ad regni gubernacula, is certe prius fuit electus prae aliis. Ordinem igitur hunc gloſſator invertit, ut ſcilicet additamentum eius eo facilius animadverti poſſet. RHOD.

ibid. Κέτνα) Praefero Κέτην, propter terminationem Graecam. RHOD. Κέτην) Convenit hoc nomen cum Sethoſe, primo dynaſtiae XIX rege, qui ab Syncello p. 160 in ſerie regum videtur Κῆρτος, *Certus*, dictus, haud dubie pro Κῆτος. Appellatur autem Graecis Πρωτεὺς, *Proteus*, quia primus fuerat poſt anarchiam aliquam rex, primus ſuae familiae, primus novae dynaſtiae. Sic fere Iac. Perizon. Origin. Aegypt. 15. WESS.

ead. l. 9. Ὅτε μὲν εἰς ζώων τύπους &c.) Homer. Odyſſ. Δ, 418. Quam hominis verſatilem naturam ridet urbaniſſimus ſcurra Lucian. Dial. Marin. IV, 1. Mox Rhodom. emendat καὶ δένδρον, haud ſane gravi cauſa. WESS.

ead. l. 13. Ἐμπειρίαν ἐσχηκέναι) Fabulam hanc alii aliter interpretantur, ut Heraclides in Allegor. Homer. pag. 488, Syneſ. in Dion. pag. 44, Lucian. Salt. c. 18, & Io. Tzetzes Chiliad. II Hiſt. 44. WESS.

Pag. 184. *l.* 5. Λεόντων προτομὰς) Conf. infr. c. 96. WESS.

ead. l. 12. Ὁ υἱὸς Ῥέμφις) Herodoto II, 121, *Rhampſinitus*, quem Io. Marsham. componit cum Seſoſtris apud Ma-

nethonem filio Rhampſe, illique accepta refert, quae apud Tacit. II Annal. 60, Canon. Chron. p. 416, ſatis profecto incommode. Melius congruit dynaſtiae XIX rex ſecundus Rapſes ſive Rapſaces apud Syncellum p. 72. Wess.

ead. l. 15. *Οὔτε εἰς ἀναθήματα*) Habet eius tamen donaria Herodot. II, 121, de immanibus regis divitiis Diodoro conſentiens. Wess.

Pag. 185. *l.* 10. Πλὴν ἑνὸς Νειλέως) Dicaearchus in Schol. Apollon. Rhod. IV, 272, hunc inter & Seſonchoſin, qui Seſoſtris, annos interſerit bis mille quingentos; quod, ſi numeri bene habeant, veri fidem exſuperat, ut recte Iac. Perizon. Orig. Aegypt. 18; id melius, quamquam non ſatis accurate, quod a Nileo ad Olymp. I annos CCCCXXXIII computat: vixit enim ex utriuſque ſententia poſt bellum Troianum, a quo prima Olympias annis CCCCVIII abeſt. Wess.

ead. l. 12. Τὸ *προτοῦ καλούμενον*) Prave Coislin. & Mutin. nec melius *τὸν προτοῦ* in Addend. Rhodom. Τὸ *προτοῦ* eſt antea, quomodo IV, 87, Siciliam *τὸ προτοῦ Χεῤῥόνησον οὖσαν*, & Lesbum, *τὸ προτοῦ καλουμένην Ἴσαν* V, 82, ait. Quod autem flumen ab hoc Nileo nomen ſortitum perhibet, id parum illis reſpondet, quae de Nilo, Vulcani patre, Diogen. Praefat. ſeg. 1, & de alio Philoſtratus Heroic. 3, 4, memorant. Verius illi, qui Nilum *κατ' ἐξοχὴν* dictum cenſent ex Hebraeorum *Nachal* ſive *Neel*, ut S. Bochartus Hieroz. P. II, V, 15, p. 764. Wess.

Pag. 186. *l.* 2. *Χέμβης ὁ Μεμφίτης*) Proximum a Proteo Rampſinitum ponit Herodotus; cui Cheops, non multum a Chembae ſeu Chemmis nomine diſcrepans, ſucceſſerit, & dehinc Chephren, II, 124. Rhod.

ead. l. 4. *Τοῖς ἑπτὰ τοῖς ἐπιφανεστάτοις ἔργοις*) Sic & II, 11, XVIII, 4. Strabo *ἐν τοῖς ἑπτὰ θεάμασι* XVII, p. 1161 C. & Philo Byzant. ad quem *περὶ τῶν ἑπτὰ θεαμάτων* plura L. Allatius. Wess.

ead. l. 7. *Σταδίους ἑκατὸν καὶ εἴκοσι*) Collem eum, in quo pyramides, Strabo ſtadiis XL Memphi removet, XVII, p. 1161. Plinius, *ſitae ſunt*, inquit, *in parte Africae, monte ſaxeo ſterilique inter Memphin oppidum, & quod appellari diximus Delta, a Nilo minus quatuor millia paſſuum, a Memphi VII M. D.* XXXVI Nat. Hiſt. 12; qui numeri etſi Diodori ſtadia non aequent, clariſſime tamen oſtendunt, non alias has eſſe pyramides, atque eas, quae nunc in Aegy-

ptum profectis miraculo ſunt. Vid. Proſp. Alpin. I Rer. Aegypt. c. 6. Wess.

ead. l. 12. *Πλευρὰν πλέθρων ἑπτὰ*) De pyramidis amplitudine ſcriptoribus haud bene convenit. Herodotus ſingula eius latera *octo plethra* ſive IↃCCC pedes, Strabo ſtadio paulo amplius ſpatium, Plinius IↃCCCLXXXIII pedes, P. Belon. I Oper. Antiq. Praeſt. 4, paſſus CCCXXV occupare prodit. Diodori *VII plethra* ſive IↃCC pedes Io. Gravius, qui ſpatium diligentiſſime dimenſus eſt, ad verum propius accedere comperit Pyramidogr. p. 68. Wess.

ead. l. 13. *Συναγωγὴν δ᾽ ἐκ τοῦ* &c.) Sic III, 40, *ἄρχεται συναγωγὴν λαμβάνειν ὁ κόλπος*· eſtque frequentiſſimum in omnibus illis, quae in artum coëunt. *Κλίμακες ἄνω συναγωγὴν λαμβάνουσαι* Apollodor. Poliorcet. p. 38. De Pyramo Strabo, *ἐπειδὰν συνάψῃ τῷ Ταύρῳ, παράδοξον λαμβάνει τὴν συναγωγὴν*, XII, p. 810; cuius & II, p. 177 A. VIII, p. 517 B. & Athenaeum de Machin. p. 4, vide. Wess.

Pag. 187. *l.* 3. *Χιλίων ἐτῶν*) Conf. c. 44. Wess.

ead. l. 8. *Ἐκ τῆς Ἀραβίας*) Habet lapicidinas Arabicas II, 48; ſed hae alius loci, quippe ea in Aegypti parte, quae ad ſinum Arabicum vergit, Arabiaeque nomine nota fuit, apud Herodot. II, 8, 124. Strab. XVII, 1162 C. Wess.

ead. l. 14. *Λίθων ξεστουργίας καὶ λαξεύσεως*) Per curioſitatem alicuius *καὶ λαξεύσεως* huc irrepſit, ut & ſequentia *καὶ μυθεύεσθαι*, itemque *λέγοντες*. Rhod. *Οὔτε τῆς τῶν λίθων ξεστουργίας* &c.) Negat Strabo XVII, pag. 1162. *Ἐκ γὰρ τῆς λατύπης σωροί τινες πρὸ τῶν πυραμίδων κεῖνται*, *acervi quidam*, inquit, *lapillis dolando detritis*, *ante pyramides iacent;* cui, quia ſe vidiſſe profitetur, prae Diodoro Iſ. Caſaubon. aſſentitur. Ego de lapillis iſtis variatum fuiſſe ſententiis opinor, & ſpectatorum aliquos veteris ſtructurae reliquias, ceteros arenam eſſe cenſuiſſe. Facit cum Diodoro Plinius XXXVI, 12: *Veſtigia aedificationum nulla exſtant, arena late pura circum, lentis ſimilitudine, qualis in maiori parte Africae;* neque invenit Strabonis illos lapillos Io. Gravius Pyramidograph. p. 119. Wess.

Pag. 188. *l.* 4. *Τερατολογεῖν ὑπὲρ τούτων, ὡς ἐξ ἁλῶν* &c.) Hoc ſequor, deletis librariorum, qui audaciſſime hoc in ſcriptore graſſati ſunt, commentis. Diceres Plinium haec Diodori excerpſiſſe, *Quaeſtionum*, inquientem, *ſumma eſt*, *quanam ratione in tantam altitudinem ſubvecta ſint caementa:*

alii enim nitro ac ſale adaggeratis cum creſcente opere, ac peracta fluminis irrigatione dilutis; alii lateribus e luto factis, in privatas domos diſtributis. Paulo poſt ἔτηξεν, quod Scalig. & Voſſio probabatur, inducto, quod additum erat, gloſſemate, reſtitui. Wess.

ead. l. 6. Ἔτηξεν καὶ διέλυσεν) Lego ἔτηξεν, & tollo ſequentem copulam una cum verbo: extrinſecus enim haec adveniſſe, terminatio εν in ἔτηξεν arguit, cui αὐτὰ fuit proximum. Rhod.

ead. l. 10. Τριάκοντα μὲν γὰρ καὶ ἓξ &c.) Prope ab his numeris abſunt haec Plinii, *trecenta* LXVI *hominum millia annis* XX *eam conſtruxiſſe produntur.* Longius Herodot. II, 124. Wess.

Pag. 189. *l.* 4. Χαβρύϊν) Videtur idem eſſe ac Cephrenis nomen, ac tantum diverſo pronuntiantium ſono diſcrepare. Herodot. II, 127, Cheopis frater eſt. Recte vero Steph. & Rhodom. τὴν τοῦ προβασιλεύσαντος προαίρεσιν maluerunt, quorum opinionem Mutin. Codex firmat & ſcriptoris conſuetudo, qua προβασιλεύσαντες, qui ante aliquem regni curam adminiſtrarunt, ut extremo hoc capite & 94. Wess.

ead. l. 6. Τὴν τοῦ βασιλεύσαντος) Aut τοῦ προβασιλεύσαντος, aut τοῦ πρὸ αὐτοῦ βασιλεύσαντος legendum puto. Steph. Praefigatur πρὸ, ut H. Steph. monuit, & mox ὡς ante λάχανα in εἰς mutetur. Rhod.

ead. l. 10. Πλευρᾶς σταδιαίας &c.) Neque in huius amplitudine conſentiunt. Plinius in ſingula latera centum fere pedibus altera minorem, Strabo priori aequalem facit; cui Io. Gravius Pyramidogr. p. 104, re diligenter explorata, accedit. Wess.

ead. l. 12. Ὡς εἰς λάχανα καὶ συρμαίαν) Hoc placet, etſi ὡς nonnunquam poteſtatem praepoſitionis εἰς induat. Poterat quidem ſine orationis detrimento ea hinc abeſſe particula, verum ſaepe eiuſmodi locum ſermonis quadam elegantia occupat, ut egregie monuit T. Hemſterh. in Luciani D. Mort. XIII, 6. Recte autem συρμαίαν, Plinii exemplo, *raphanos* vertunt. Erotian. Συρμαία λέγεται ἡ ἐπιμήκης ῥαφανὶς, ἣν τινες μεθ' ἅλμης ἐσθίοντες καθαίρονται, καὶ καλεῖται συρμαϊσμὸς ὁ τοιοῦτος τῆς καθάρσεως τρόπος. Aegyptii raphanis veſcebantur, eorumque ſucco alvum ciebant, quod συρμαΐζειν Aelian. V H. A. 46; quamobrem συρμαΐη de eiuſmodi ſucco Herodot. II, 88, & Ariſtophan.

'ac. 1253, & Aegyptii μελανοσυρμαῖος λεὼς Theſmophor. '64, ubi Scholia vide & Foeſii Oeconomiam Hippocr. Συρμαίη. Wess.

Pag. 190. *l.* 1. Κατασκευασάντων τάφους) Haec verior ›pinio, probata Straboni XVII, p. 1161, Lucano VIII, ›97, Servio in Aeneid. XI, 849. Falluntur enim, qui fru-nento aſſervando pyramides exſtructas putarunt, Stepha-ıus & Etymologus; nam & ei rei aptae non ſunt, & ſo-ium ſive ſandapila, in maiore reſidua, & regis corpus, b Arabibus, cum Calipha Almamon eſſet, inde erutum, x ſumma ſepulturae, quam Aegyptii agebant, cura, ſe-ıulcra fuiſſe oſtendunt: nec his obeſt Plinianum, factas ·ideri, *ne pecuniam* reges *ſucceſſoribus aut aemulis inſidianti-us praeberent, aut ne plebs eſſet otioſa;* illae enim rationes ›rincipi ac praecipuae, ut regibus tumuli loco eſſent, ac-eſſerunt. Plura Io. Gravius Pyramidograph. p. 44. Wess.

ead. l. 5. Δι' ὀργῆς εἶχε) Conf. Herodot. II, 128. Wess.

ead. l. 10. Ὃν τινες μὲν Χερῖνον) Ex μὲν Χερῖνον facien-um puto Μυχερῖνον. Μὲν certe nullo modo locum hic ha-et. Fuerit autem μὲν Χερῖνον pro Μυχερῖνον ita poſitum, ut ιὲν Μέμφιν pro Μώμεμφιν, de quo vide proxime ſequen-em annotationem. Ab Herodoto quidem certe Μυκερῖνος ·ocatur hic rex, Chephrenis ſecundum eum ſucceſſor; ſe-undum Diodorum, vel Chephrenis vel Chabriae, nam Chemmidi aut Chembeti (quem Herodotus Cheopa nuncu-at) ſucceſſerintne Chephren frater, an Chabryis ſeu Cha-ryas filius, in ambiguo relinquit. Herodoti verba ſunt: βα-ιλεῦσαι δὲ τὸν Χέοπα τοῦτον Αἰγύπτιοι λέγουσι πεντήκοντα τεα· τελευτήσαντος δὲ τούτου, ἐκδέξασθαι τὴν βασιληίην ὸν ἀδελφεὸν αὐτοῦ Χεφρῆνα. Ubi animadverte, Chemmidis ve Cheopis fratrem ab Herodoto & Diodoro nomine eo-em appellari, niſi quod hic aſpiratam χ in tenuem κ ver-t. Ab hoc enim Κεφρὴν, ab illo Χεφρὴν dicitur. Falſum ſt igitur, quod quidam ſcripſerunt, quem Herodotus Che-hrenem nuncupet, eum a Diodoro Cephum vocari. Steph.

Ὃν τινες Μεχερῖνον) Dedi ſcriptis Codd. ut hoc in integrum eſtitueretur. Videntur *Mucherinum* & *Mecherinum* levi ſoni iſcrimine appellaſſe: vulgatum certe quidem propius hinc, uam a Stephani coniectura, abeſt. Wess.

ead. l. 15. Ἐπὶ πεντεκαίδεκα δόμους) Ad XV lapidum rdinem ſive compagem. Herodot. II, 127: ὑποδείμας δὲ ὸν πρῶτον δόμον λίθου Αἰθιοπικοῦ ποικίλου, *cum primam*

compagem ex Aethiopico verſicolore lapide ſtruxiſſet; ſic enim recte lac. Gronov. quem vide in eiuſdem I, 179. Rhodom. *contignatio* hic non quadrat. WESS.

ibid. Ἐκ μέλανος λίθου) Minus diſtincte Plinius XXXVI, 12: *Tertia minor quidem, ſed multo ſpectatior, Aethiopicis lapidibus aſſurgit.* Neque enim tota ex eo lapide, ſed εἰς τὸ ἥμισυ, ad medium uſque, Herodot. II, 134, & Strabo XVII, pag. 1161, qui inſuper addit, lapidem eum ex Aethiopiae montibus deferri, durum eſſe, & mortariis cavandis habilem. Plinio XXXVI, 7, *Biſaltes* eſt, ferrei coloris & duritiae. Atque ita quidem paene his ſcriptoribus convenit, quos P. Belonius atque alii ſequuntur: qui vero accuratiore diligentia pyramidem hanc examinavit, candido lapide exſtructam animadvertit, Io. Gravius Pyramidogr. p. 112. WESS.

Pag. 191. *l.* 4. Ἐπιγέγραπται Μυκερῖνος) Nomen id aëris temporumque iniuria plane defluxit; idem Gravius p. 113. WESS.

ead. l. 7. Ἐπιεικῆ καὶ πρᾷον) Binas ultimas voces exauctorato. RHOD.

ead. l. 11. Κατὰ δὲ τοὺς χρηματισμοὺς &c.) Scholion καὶ τὰς μαντείας Rhodom. in fraudem induit, ut *in Deorum reſponſa & oracula* verteret, quibus nullus hic quidem locus, ſicuti & ipſe dein animadvertit. Χρηματίζειν praeter alia rex iudexve dicitur, cum de iure civibus reſpondet: Appian. III B. C. 4, p. 882, ἐπὶ τοῦ στρατηγικοῦ βήματος, ἔνθα ὁ Τρεβώνιος ἐχρημάτισε, *ubi Trebonius ius reddere ſolebat;* & χρηματισμὸς ipſa iuriſdictio infr. c. 70 iudiciſque ſententia, quam qui adulterant γραμματεῖς ψευδεῖς χρηματισμοὺς γράφοντες c. 78. De iudiciis autem hic agi, & ea, quae proxime conſequuntur, & Herodot. II 129, indicant. WESS.

ead. l. 14. Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι τρεῖς) Illae in haec tempora haud durant, niſi ſi inter eas locum occupent, quae in Africae deſertis, ſed longius a tribus ſuperioribus diſparatae, ſuperant, de quibus Io. Gravius Pyramidogr. pag 13 & 115. WESS.

Pag. 192. *l.* 7. Φιλοτεχνίᾳ τῶν ἐργασαμένων) Diodor hoc eſt, cui φιλοτεχνία ſollers quodvis artificium, ut c 61, ὡς πρὸς φιλοτεχνίαν δυσμίμητον· & 74, καὶ φιλοτεχνίᾳ τῆς φυσικῆς ἐνεργείας οὐκ ἀπολείπονται· & III 37, φιλοτεχνίᾳ τε καὶ δόλῳ τὸ τῇ βίᾳ δυσκαταγώνιστο

ἐχειρώσαντο. Vulgatum πολυτεχνία Grammatici commentum eſt. Wess.

ead. l. 14. Οὐδὲ παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις) Bene Plinius, cum ſcriptores enumeraſſet, qui de pyramidibus egerant, *inter omnes eos non conſtat, a quibus factae ſint, iuſtiſſimo caſu obliteratis tantae vanitatis auctoribus*, XXXVI, 12. Atque hac veterum diſcordia prudentiſſime in rem ſuam uſi ſunt viri doctiſſimi, ut vincerent, Iſraëlitas ad ſtupenda haec opera, cum graviſſimis in Aegypto oneribus premerentur, manus paene invitos admoviſſe, Nicol. Abramus VIII Phari V, T. 14, Iac. Perizon. Orig. Aegypt. 21. Wess.

Pag. 193. *l.* 2. Ἀρμαῖον — Ἄμασιν) Hic Ἄμμωσιν & Μάρωνα non inviti recipimus. Amaſi enim ultimo regum Aegyptiorum nec ab Herodoto nec a Diodoro pyramis aſſignatur. Cumque hunc ſolum inter Aegypti reges illos Amaſidis nomen habuiſſe, ratione bona H. Stephanus doceat, Ἄμμωσιν hic interim ex margine aſſumimus, dum certius quiddam offeratur. Quamquam nec in Ammoſis ſupra dicti hiſtoria pyramidis mentio fiat. Porro an Maro hic idem ſit, qui ſuperior Marus, vel Baro, aut etiam Phero, diſquirendum reſtat. Rhod. *Armain* regem, ſic enim ſcripti libri, non Amaſin, in ſphinge, quae prope pyramides, Plinius XXXVI, 12, conditum ait, eſtque *Armais*, *Armaeus*, Seſoſtris frater, ut ante dictum, ex Manethone apud Syncellum p. 155. Qui ſequitur *Amaſis*, eius ego nomen retineo, tum propter ea, quae ad c. 60 diſputavi, tum ob Lucanum IX, 155:

Non mihi pyramidum tumulis avulſus Amaſis,
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?

Neque enim haec ad eum Amaſin, qui Apriae ſucceſſit, referri poſſunt, alibi ſepultum apud Herodot. III, 10. De *Marone* viris doctis non obloquar, quamquam fieri potuit, ut in tanta regum Aegyptiorum multitudine, hoc quis nomine inſignis fuerit. Habemus alium infra XI, 71. Wess.

ead. l. 3. Ῥοδώπιδος τάφον) Negat Herodotus II, 134, ipſoque opere & Rhodopidis aetate falſi coarguit: tamen Strabo XVII, p. 1161, & Plinius XXXVI, 12, pro vero putant: quam diſcordiam, duae ſi fuerint, ſed diverſae aetate, Rhodopides, quarum altera & vetuſtior ad regiae Aegypti fortunam eſcenderit, altera amatorem habuerit Charaxum, Sapphus fratrem, tolli fortaſſe poſſe, haud

male in Aelian. XIII V. H. 33, Iac. Perizon. cenſuit. WESS.

ead. l. 7. Μετὰ δὲ τοὺς προειρημένους) Mycerino Herodot. II, 136, ſucceſſorem dat Aſychin, qui niſi ſit Tnephachthus Bocchoridis pater, de quo cap. 45, ipſe Bocchoris eſt. WESS.

ead. l. 9. Ἀγχινοίᾳ καὶ φρονήσει &c.) Suſpicor voces καὶ φρονήσει ex Grammatici interpretatione hanc ſedem occupaſſe; id ſuadent ſcripti Codd. & Diodori conſuetudo, qua ἀγχινοία eſt ſollertia & animi inſignis prudentia, ut I, 8, II, 38, XV, 33. Nec ſuſtuli tamen, quod alii binas has voces diſtinguant, quos inter principe loco Ariſtoteles Ethic. Nicomach. VI, 9, 10. Bocchoridem inf. 94, σοφὸν καὶ πανουργίᾳ διαφέροντα, ſapientia & verſutia excelluiſſe, ait; ubi plura. WESS.

ead. l. 10. Πολλοῖς δὲ ὕστερον &c.) Male Aegyptii illi, qui Diodoro huius rei auctores fuerunt. Sabacon Bocchoridem victum cepit, & vivum dein exuſſit. Vide Syncelli Chronogr. p. 74 & 184. WESS.

ead. l. 14. Προστίμων αἱρετῶν) Valde me diuque exagitavit hoc nomen. Et tametſi marginale αἱρετὸν me tantillum adiuvaret, ut *maxime expetendum* verterem, propter ſoloeciſmum tamen, quo μέγιστον pro μάλιστα acciperetur, id ipſum quoque reieci. Poſt longam tandem diſquiſitionem, vocabulum αἱρετῶν, ut & αἱρετὸν, adulterinum eſſe, animadverti. Quin enim paraphraſtes ille, ſeu verius optimi auctoris corruptor, νομίμων per αἱρετῶν, cui νόμοις forte adiecerat, explanare voluerit, nullus dubitarit. RHOD. Προστίμων ἆραι τὸ μέγιστον) Quod ex Mutinenſi Cod. reſtitui, coniectura aſſecuti fuerunt Ioſ. Scaliger & Iſ. Voſſius. Simili peccato XI, 65, ubi πάλαι μὲν ἔσπευδον ἆραι τὴν πόλιν, in Coislin. ἀρετὴν ſcripſerunt. Sunt autem τὰ πρόστιμα τῶν νομίμων poenae legibus ſtatutae, ut mox & cap. 92, XIII, 91; quas inter maxime utique eſt capitalis, unde τὸν θάνατον πρόστιμον τεθείκασι aut θάνατος ἔσται πρόστιμον V, 34, XI, 8 &c. WESS.

Pag. 194. *l.* 4. Χώματα κατεσκεύαζεν) Uberius & diſtinctius haec Herodot. II, 137. WESS.

ead. l. 12. Τὸν ἐν Θήβαις θεὸν) Vid. ſupr. 57. WESS.

ead. l. 13. Μακαρίως καὶ εὐτυχῶς) Poſterius gloſſatori eſt; qui adeo puer eſt & vere νήπια εἰδὼς, ut contra auxeſeos rhetoricae normam, inverſo naturae ordine, a ſummis ad infima, ab emphaticis ad minus ſignificantia gra

dum faciat. Sed pueris forte minus uſitata & ſpecialia per communia & generalia explicare in margine voluit: quae per librariorum poſtea incuriam vel temeritatem in medium contextum translata fuerint. Quae animadverſio in ceteris id genus παρεμπλοκαῖς ubique locum habeat. Rhod.

Pag. 195. *l.* 1. Μετὰ τῆς θεραπείας) Bene de *ſatellitibus* Rhodom. accepit, ut infra XX, 11, 17. Alioqui ſervitia indicat, unde θεραπείας ὄχλος Philon. Iud. I Vit. M. p. 625 B. Herodot. V, 21, VII, 55 &c. Wess.

ead. l. 6. Αὐτῶν τὸν κύριον) Rarum hoc apud alios de Deo ſimpliciter poſitum, ſed V. & N. T. ſcriptoribus frequentiſſimum. Atque haud ſcio, an Io. Spencerus, cum in cauſas inquireret, cur Deus O. M. regis dominique titulos admiſerit, Diſſert. de Theocrat. c. 5, p. 344, hoc, ſi in mundo illi fuiſſet, praeteriiſſet. Wess.

ead. l. 10. Ἀναρχίας δὲ γενομένης) Herodotus Anyſin regem, Sabacone in Aethiopiam reverſo, regnum reciperaſſe, tum Sethonem, Vulcani ſacerdotem, regem fuiſſe, eo vero defuncto XII reges conſtitutos, & multo ſane rectius tradit II, 140, 141, 147. Wess.

Pag. 196. *l.* 1. Ἐπ' ἔτη πεντεκαίδεκα) Noli ita accipere, ac ſi finitis XV annis ſepulcrum ſtruere aggreſſi fuerint: falſum id foret. Regnarunt affinitatibus iuncti communibus auſpiciis, ſepulcrumque ſibi excitarunt: ſed cum XV fere annos regnando abſumſerant, ut mox dicet, Aegyptus ſub unius Pſammetichi imperium & ditionem redacta eſt. Wess.

ead. l. 10. Τὸν εἰς τὴν Μοίριδος) Conf. ſupr. c. 52. Wess.

ead. l. 12. Τάφον ἐκ τῶν καλλίστων) Herodotus Labyrinthum, ipſis pyramidibus excellentius opus, his auctoribus tribuit II, 148, eiuſque veſtigia legens Mela, ut ſupra c. 61 oſtendimus. Wess.

Pag. 197. *l.* 5. Φάτναις τισὶ διαγεγλυμμένη) Hoc probo; καὶ ξέσμασι Scholion eſt ineptum: quid enim ad hunc locum *ramenta* ξέσματα; Sunt φάτναι lacunarium, ad praeſepis formam fabricatorum, genus, φατνώματα Polybio X, 24, Ioſepho VIII A. I. 3, 2. Retulit & huc Iſ. Caſaubon. φάτνας ἀργυρᾶς Turditanorum apud Strabon. III, p. 224, haud ſcio, an iniuria: ſed de illis ad V, 35. Vide interea Cl. Salmaſ. in Fl. Vopiſci Aurelian. 46, & P. Horrei Miſcellan. Critic. c. 16. Wess.

Pag. 198. *l.* 1. Ψαμμήτιχος) Etſi Herodoto, quamquam non conſtanter, ſit Ψαμμίτιχος, hoc praetuli ob ſcriptos

Codd. & quod Mela, Plinius, Aelianus, cuius tamen manu exarati libri variant, Polyaenus, & alii, id probent. Wess.

ead. l. 6. Λυσιτελῶς διατιθέμενος) Proprie διατίθεσθαι merces eſt *venum exponere*, atque ex conſequenti ratione *vendere*. Herodot. I, 194, ἐπεὰν καὶ διαθέωνται τὸν φόρτον. Demoſthen. C. Phaenip. p. 599, καὶ τοῦτον τριπλασίας τιμῆς ἢ πρότερον διατιθέμενοι. Appian. V B. C. pag. 1079, κομίζουσι μὲν ἐκ Περσῶν τὰ Ἰνδικὰ ἢ Ἀράβια, διατίθενται δ᾽ ἐν τῇ Ῥωμαίων. Sed deſino. Noli tamen negligere Schol. in Demoſthen. Olynth. II, p. 14, & Iſ. Caſaub. in Strabon. I, p. 17. Wess.

ead. l. 10. Ἔνιοι τῶν ἀρχαίων) Herodotum ſignat II, 151, qui rectius tamen ἕνδεκα φιάλας χρυσέας, *undecim aureas phialas*, ſacerdotem attuliſſe ait. Wess.

Pag. 199. *l.* 1. Ὑπειδομένους οὖν) De ſuſpicione, etſi negligentius vulgo habitum, hoc non infrequens eſt. Polyb. II, 7, τὴν κοινὴν περὶ Γαλατῶν φήμην ὑπειδόμενος, *communem de Gallis famam ſuſpectans*. Philo Iud. Quis Rer. D. Her. p. 527 C. ὁ δὲ ὑπειδόμενος οὐδέν. Et Ioſeph. XIV A. I. 11, 6, 13, 4, 15, 7. Wess.

ead. l. 4. Ἐν τοῖς ἕλεσι) *Elearchiam* ab his paludibus, de quibus ad Hieroclis Synecdem. pag. 726 abunde, ſerior aetas appellavit. Wess.

ead. l. 7. Ἔκ τε τῆς Ἀραβίας) Mallem cum Reg. & Coisl. ἔκ τε τῆς Ἰωνίας καὶ Καρίας. Ionum enim & Carum, quos ſibi adiunxerat, Herodot. II, 152, meminit: forte tamen alios habuit auctores Diodorus. Wess.

ead. l. 9. Μώμεμφιν) Quaedam exemplaria non Μώμεμφιν habent, ſed μὲν Μέμφιν, cuiuſmodi error oſtenſus eſt proxime praecedente annotatione. Itidem vero apud Herodot. II, 169, Μέμφις perperam poſitum eſt pro Μώμεμφις. Steph. Polyaen. VII Stratag. 3, Pſammetichum de rege Tementhe prope *Memphin* victoriam reportaſſe tradit; quae diverſa & hac poſterior fuiſſe videtur. *Momemphis* non longe aberat a lacu Maria, ſedibuſque illis, in quas compulſus fuerat Pſammetichus: ſaepe quoque a Memphi loco deiecta eſt in vetuſtis Codd. uti apud Herodot. II, 163 & 169, reſtituta tamen feliciter a Iac. Gronovio, quamquam obſervationis H. Stephani, paulo ante exſcriptae, non recordato, ad Ethnicogr. Μώμεμφις. Wess.

ead. l. 14. Τῷ μὲν ἐν Μέμφει θεῷ) Hic omnes noſtri

Codices habent προσπύλαιον, non προπύλαιον, quamvis antea in quodam p. 33 loco ſcriptum habeant προπύλαια, & pag. 61 πρόπυλον. Herodotus quoque tractans eandem hiſtoriam πρόπυλαια vocat. Ex quo etiam patet, hunc Memphiticum Deum non alium eſſe, quam Vulcanum: adeo ut quod pag. 61 dicit Diodorus πρόπυλον ἐν Μέμφει τοῦ Ἡφαίστου, idem eſſe putandum ſit, quod hic ait τῷ ἐν Μέμφει θεῷ προσπύλαιον. Templi autem Vulcani meminit antea Diodorus p. 13 & 16, τέμενος appellans; p. autem 33 ἱερόν. STEPH. & RHOD. Προπύλαιον) Reſtitui Diodoro, quod reliquerat. Herodot. paulo aliter II, 153: ἐποίησε τῷ Ἡφαίστῳ προπύλαια ἐν Μέμφι, τὰ πρὸς νότον ἄνεμον τετραμμένα. WESS.

Pag. 200. *l.* 4. Καὶ τοῖς καλουμένοις στρατοπέδοις) Accuſandi caſum, quem margo habet, praeferendum exiſtimavi, ut verſio indicat. RHOD. Καὶ τὰ καλούμενα στρατόπεδα) Et haec ſuam in ſedem revocavi, Codd. veterum & Herodoti II, 154, auctoritate motus. WESS.

ead. l. 8. Κατῴκισεν εἰς Μέμφιν) Eadem Herodotus. Addit Polyaenus, a Caribus his partem civitatis Memphis Καρομεμφῖται appellari, VII Stratag. 3. WESS.

ead. l. 12. Στρατεύσαντος δ' εἰς Συρίαν) Forte ea expeditione, qua Azotum obſidere ingreſſus eſt apud Herodot. II, 157; quamquam is c. 30 longe aliam huius diſceſſionis cauſam affert, non multum diſſentiente Plutarch. T. II, p. 601 E. Nec Diodori tamen narratio a vero prorſus abludit: Herodotus enim transfugas hos patrio ſermone *Aſcham*, & Graece τοὺς ἐξ ἀριστερῆς χειρὸς παριστανμένους βασιλέϊ, ſive *a ſiniſtra regi aſſiſtentes*, appellari auctor eſt; cuius appellationis ea videtur eſſe cauſa, quam Diodorus praefert. WESS.

Pag. 201. *l.* 13. Τοῖς κοντοῖς τὰς ἀσπίδας πατάξαντες) Ammian. XV, 8: *cum haſtis clypei feriuntur, irae documentum eſt & doloris.* Quare de Macedonibus, cum ad eos parum grata Nearchus peroraſſet, *nulli placebat oratio; itaque ſuo more haſtis ſcuta quatientes obſtrepere perſeverabant*, in Curtii X, 6, cum Cellar. nota. Alioqui ut aut alacritatem ſuam, aut hoſtibus formidinem oſtentarent, haſtis ſcuta quatere ſolebant, quod Aeliano VIII H. A. 10, πρὸς τὰς ἀσπίδας τὰ δοράτια ἀράττειν· Arriano I E. A. 6, τοῖς δόρασι δουπῆσαι πρὸς τὰς ἀσπίδας, ubi plura Iac. Gronov. WESS.

Pag. 202. *l.* 6. Τῆς Αἰθιοπίας τὴν κρατίστην) Inſulam ſu-

pra Meroën Strabo XVII, p. 1134 B. Plinius VI N. H. 30, & ante eum Herodot. II, 30, plura Aethiopiae loca inſediſſe affirmat. Wess.

ead. l. 12. Τοὺς ἐθελουσίως ἀποδημοῦντας) Hoc praefero. S. Lucas Evang. XV, 13, καὶ ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακράν. Novi τοὺς ἐπιδημήσαντας τῶν Ἑλλήνων ex Demoſth. Midian. p. 378, & eius generis alios. Sed tum oportuerat ἐν τῇ Αἰγύπτῳ, niſi enallagen praepoſitionis admittas, ut XIII, 12, XIX, 117. Multum quoque haud abſum ab ἐθελοντὶ, quod in Codd. quibuſdam, probando ob XVI, 42, XVIII, 53. Wess.

Pag. 203. *l.* 1. Τὰ κατὰ τὴν ἄλλην &c.) Si Herodotum audis, ſola olim Naucratis Aegypti emporium erat, ad quod peregre advenientes applicare debebant, II, 179. Wess.

ead. l. 5. Ἡ περὶ τὸν Βούσιριν) In Graecorum fabulis nihil eius crudelitate immanius, quam Polycrates tamen, orator ineptus, in ipſa Buſiridis Apologia haud parum adauxit, ſolitum κατεσθίειν τοὺς ἀνθρώπους, *homines devorare*, perhibens, merito propterea notatus ab Iſocrate in Buſir. p. 325. Natas autem has eſſe fabulas inter Graecos, quod Aegyptii olim ſuam in regionem delatos aut non admitterent, aut durius haberent, & Strabo agnoſcit XVII, pag. 1142 A. nullum unquam hoc nomine regem fuiſſe p. 1154 B. affirmans. Conf. infra c. 88. Wess.

ead. l. 10. Ὕστερον τέτταρσι γενεαῖς) Inter Pſammetichum & Aprien reges ſunt Necus & Pſammis apud Herodot. II, 158, 159, & Syncellum p. 75; quare ut quatuor hae generationes expleantur, in cenſum Pſammetichus & Apries venire debent; quod genus loquendi haud inſolens eſt. Aeſchyl. Prometh. Vinct. 852 de Epapho & Danai filiabus, πέμπτη δ' ἀπ' αὐτοῦ γέννα πεντηκοντόπαις Πάλιν πρὸς Ἄργος οὐχ' ἑκοῦσ' ἐλεύσεται Θηλύσπορος· quo loco praeter Libyen, Belum & Danaum ipſe Epaphus & Danaides, ut quinque generationum ratio conſtet, in ſummam addendi ſunt. Wess.

ead. l. 11. Ἔτη δυσὶ πλείω τῶν εἴκοσι) XXV annos ex Herodoti ſententia Aegyptum ſumma felicitate adminiſtravit, II, 161. Syncellum ſi audias Chronogr. p. 75, annos XIX; at p. 210, annos XXXIV; ut adeo vix certi aliquid in hoc diſſenſu conſtitui poſſit. Id quidem certe mihi liquet, etſi in alia omnia abeat Io. Marsham. Chron. Can. p. 581, Aprien hunc non alium eſſe, ac Pharaonem Ho-

phram, ex ſacris noſtris notiſſimum. Vid. Iac. Perizon. Orig. Aegypt. c. 24. Wess.

Pag. 204. *l.* 2. Ἐπὶ Κυρήνην) Cyrenenſium res providentia regis Batti, cui Felici nomen, erant proſperrimae, multique adeo Graeci in Africam commeabant; quo fiebat, ut finitimi Afri, magna agrorum parte ſpoliati, ultro ſe in fidem & clientelam Apriae traderent; quae belli huius origo apud Herodotum IV, 159. Wess.

ead. l. 8. Ἀνὴρ ἐμφανὴς) Hellanico *ἰδιώτης καὶ τῶν τυχόντων κατὰ τὸ πρῶτον* in Athen. XV, p. 680; quae his Diodori, quantumvis & Herodot. II, 172, plebeium & obſcura ortum familia tradat, nihil pugnabunt; modo Partamidis, ſic Aprien Hellanicus appellat, favore & rerum geſtarum gloria deinceps illuſtrem eſſe factum obſerves. Wess.

ead. l. 15. Περὶ τὴν Μαρίαν κώμην) Herodotus ad Momemphin pugnatum fuiſſe ait II, 163, 169; quae haud longe lacu *Maria*, ut dictum ſupra eſt, diſtabat. Μαρία palus eſt in Aelian. VI H. A. 32, & Ariſtid. T. III, pag. 591, cui quod urbs accubaret, idem ſortita nomen eſt, poſtea increſcentis Alexandriae vicinia in vicum converſa apud Athen. I, 25. Wess.

Pag. 205. *l.* 2. Καὶ στραγγαληθεὶς) Longe alia de Apriae ſeu Pharaonis Hophrae interitu Ieremias XLIV, 30, XLVI, 26, & Ezechiel XXIX, 4, 5; quorum certiſſimis vaticiniis haec Diodori, & haud diſſimilia Herodoti II, 169, quo modo conſentire queant, egregie docuit Iac. Perizon. Or. Aegypt. c. 24. Wess.

ead. l. 8. Ἔτη πέντε πρὸς τοῖς &c.) Amaſidi Herodotus III, 10, annos xliv dat, nec plures Africanus in Syncelli Chronogr. p. 75; quos & veriores arbitratur idem Iac. Perizon. res geſtas eius cum S. Prophetarum vaticiniis diligenter componens. Aegyptiorum certe quidem ſacerdotes nimio patriae ſuae ſtudio multa in his rebus diſſimularunt, praecipue eas calamitates, quibus poſt Apriae necem a victore Nabuchodonoſore fuerant graviſſime preſſi. Conf. & Camp. Vitringae comment. in Eſai. XIX, p. 533. Wess.

ead. l. 11. Ἡ δὲ Ὀλυμπιὰς) Omnia parentheſi incluſa, quin ſuppoſititia ſint, vix dubitare fas eſt. Steph. Tota haec parentheſis, ut aliena ineptaque, poſteriore etiam ſui parte falſa, ad ceteras nugatoris gloſſas remittatur: nos verſione indignam iudicavimus. Rhod. Ὀλυμπιάδος,

ἦν ἐνίκα) Sic, inducta Grammatici notatione, quae Scaligero nullo ſuo merito ſe probaverat in Euſebii Chron. IↃCCCCLXVII, Diodori orationem refingere placuit. Wess.

Pag. 206. *l.* 2. Νῦν διέξιμεν) Conf. ſupra c. 42. Wess.

ead. l. 6. Ἀποδοχῆς ἔτυχεν) Hoc quidem genere, cum de laude atque approbatione agitur, nihil his in libris frequentius eſt: nam & cap. ſuperiore *μεγάλης ἐτύγχανεν ἀποδοχῆς*, & III, 63, IV, 3, V, 60 &c. eius uſus eſt; Polybii fortaſſe ſtudio & aemulatione, cui longe tritiſſimum eſſe egregie docuit Georg. Raphelius 1 Timoth. I, 15; habet & Ioſephus, ſed prave nunc, VIII A. I. 2, 8, *ἀλλὰ μηδεμιᾶς ὑποδοχῆς τυγχάνειν παρακαλοῦντες*, melius ſcripti Codd. *ἀποδοχῆς*. Wess.

ead. l. 9. Εἰς Αἴγυπτον παραβαλεῖν) Si quid ſcriptoris conſuetudini & veterum Codd. auctoritati, ut multum profecto debet, tribuendum eſt, hoc maluit. Vid. ſupra cap. 12. Nec alia de cauſa paulo poſt *δυσεπιβάτου* recepi; non quod alterum pravum & orationi parum concinens videretur; tuetur enim ſedem ſuam cap. 67; ſed quod libri antiquae fidei addicerent atque id praeferrent, ſicuti & XVII, 82. Wess.

ead. l. 14. Ὀρφεὺς) Conf. ſupr. c. 23; & c. 12, de Homero. De Solone & Pythagora infra c. 98. Wess.

Pag. 207. *l.* 1. Τῶν γραμμάτων εὕρεσιν) Vide cap. 16 & 50. Wess.

ead. l. 6. Πλείω τῶν ἑπτακοσίων &c.) Haec illis pugnant, quae cap. 44 de regni Aegyptii continuata in plures ſeculorum decurſus ſerie commentatus eſt; nimiſque anguſtus annorum eſt numerus regibus pluſquam CCCCLXX, & toti Aegyptiorum Chronologiae. Bene Iac. Perizonius, *Videtur*, inquit, *locus hic eſſe corruptus, & certe adiecta verſio ab Graecis verbis recedit. Verba ſunt*, τὸ τῆς Αἰγύπτου πλείω τῶν ἑπτακοσίων καὶ τετρακισχιλίων βασιλεῦσαι τοὺς πλείους ἐγγενεῖς. *Vertitur*, quod ultra quater mille & ſeptingentos reges indigenae Aegyptum gubernarint; *ubi vocem* ἐτῶν, annorum, *plane neglectam & omiſſam videmus. Mallem & ego eam in Graecis omittere, ac porro legere*, τὸ τῆς Αἰγύπτου πλείους τῶν ἑβδομήκοντα καὶ τετρακοσίων, καὶ τούτους ἐγγενεῖς, gubernaſſe Aegyptum pluſquam CCCCLXX reges, eoſque indigenas. *Sic certe cum altero Diodori loco cap. 44 hic ipſe ſic ſatis congrueret. Sed tamen, cum tam incerta ſit & diſſona Aegyptiorum Chronologia, mutare nihil abſque MStorum*

ope auſim. Origin. Aegypti, cap. 11, pag. 206. Wess.

ead. l. 13. Καὶ συνεγράψαντο) In quibuſdam tantum exemplaribus ſunt haec καὶ συνεγράψαντο, ut appoſita illis nota declarat. In nullo certe eſſe deberent, utpote ſuppoſititia. Nam quorſum Diodorus poſt ἐσχεδιάκασι verba illa ſubiunxiſſet? perinde eſt enim, ac ſi dixiſſet ἐψεύσαντο καὶ συνεγράψαντο. Nam σχεδιάζειν, ut ab aliis, ſic & ab eo accipitur interdum pro ψεύδεσθαι, *mentiri, confingere, comminiſci;* verbi gratia, pag. 25, περιφανῶς ὁ συγγραφεὺς σχεδιάζων εὑρίσκεται· ubi ὁ συγγραφεὺς eſt itidem Herodotus. Sic & in extrema pag. 13, τοὺς δὲ λέγοντας ἐν Θήβαις τῆς Βοιωτίας γεγονέναι τὸν θεὸν ἐκ Σεμέλης καὶ Διὸς, φασὶ σχεδιάζειν. Sed his in locis abſolute ponitur & ἀμεταβάτως verbum σχεδιάζειν· at in loco, de quo agitur, accuſativum habet. Fortaſſe autem haec verba e Scholio manarunt, ſed depravato; ſiquidem credibile eſt, aliquem ἐσχεδιάκασι expoſuiſſe, ψευδῶς συνεγράψαντο· quorum deinde verborum unum in contextum irrepſerit, altero per incuriam omiſſo. Steph. Ἐσχεδιάκασι καὶ συνεγράψαντο) Scholiaſtes per poſterius explicare voluit prius; ſed quam recte, iudicent illi, qui quo ſignificatu auctor τὸ σχεδιάζειν uſurpet, recte intellexerint. Mendi igitur huius labes eluatur. Rhod. Ἐσχεδιάκασιν, ἑκουσίως &c.) Vid. ſupra cap. 23. Haud praeter verum de hoc hominum genere Seneca: *Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum, ſi per quotidiana duceretur, miraculo excitant: quidam creduli, quidam negligentes ſunt, quibuſdam mendacium obrepit, quibuſdam placet. Illi non evitant, hi appetunt. Et hoc commune de tota natione, quae approbari opus ſuum, & fieri populare non putet poſſe, niſi illud mendatio adſperſit.* Q. Natur. VII, 16. Wess.

Pag. 208. *l.* 1. Ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς) Conf. ſupra c. 44. Wess.

ead. l. 6. Καὶ πάντα πράττουσι &c.) Sic quidem Diodori aetate pleriſque in regnis, & olim apud Perſas, quorum αὐτοκρατὴς βασιλεία καὶ ἀνυπεύθυνος in Plutarchi T. II, pag. 826 F. Secus olim inter Graecos, ubi reges ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι, *certis honoribus & conditionibus* conſtituebantur, ut eſt in Thucydide I, 13; nec omnia ex arbitrii voluntate poterant. Quamobrem & Demophon in Euripid. Heraclid. 424: Οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω, Ἀλλ' ἢν δίκαια δρῶ, δίκαια πείσομαι. *Non enim,* inquit,

tyrannidem ut barbarorum obtineo ; ſed iuſta ſi fecero, iuſta patiar; quod & reapſe expertus eſt, cauſam caedis dicere coactus in foro, quod Palladium, ἐπὶ παλλαδίῳ, vocant apud Pauſan. I, 28, pag. 69. Neque Athenis id tantum valebat, ſed & Argivorum, quorum in Graecia antiquiſſimum regnum, moribus: quo ſpectant, quae rex eius populi in Aeſchyli Supplic. 383 & 404 ait, & quae Pauſan. II, 19. Immo βασιλεὺς praecipuo quodam uſu rex eſt legitimus liberaeque civitatis, ſeu qui ſecundum patriae leges & conſtituitur & imperat, ut erudite docuit Iac. Perizon. in Aelian. II V. H. 20. Wess.

ead. l. 7. Ἀλλ' ἦν ἅπαντα τεταγμένα &c.) Perſtringit has leges, & ab impoſtoribus Aegyptiis Diodoro obtruſas arbitratur, Iac. Capellus Hiſt. Exot. A. M. 1931; neque enim Chembem, Cephren & ceteros ingenii violentioris reges illis paruiſſe videri; eſſe praeterea vero parum ſimiles. Contra quem tametſi aperte venire nolim, ea tamen, quae olim in Hiſpania a regibus & in Germania ab Imperatoribus ſponte obſervata novimus, talia videntur, ut pleriſque harum legum patrocinium parent. Tu vide Ioach. Frid. Felleri Monum. inedita pag. 227. Sunt praeterea in his legibus, quae gentis ſuperſtitioni originem debent; eo certe pertinere videntur, quae de regis cum uxore conſuetudine brevi poſt memorantur, & a Schol. Ptolemaei in Tetrabibl. p. 88 explicita ſunt. Wess.

ead. l. 11. Ἀλλὰ τῶν ἐπιφανεστάτων ἱερέων υἱοὶ) *Mos* etiam *erat principibus Macedonum adultos liberos regibus tradere, ad munia haud multum ſervilibus miniſteriis abhorrentia,* Curtio VIII, 6, teſte; qui tamen mos a Philippo demum inſtitutus eſt, ſi Aelian. XIV V. H. 49, audimus. Id negligi haud oportet, Aegyptios ſibi reges conſtituiſſe aut ex bellicoſis, ἐκ τῶν μαχίμων, aut ſacerdotibus; & illos quidem ſtatim diſplicinae ſacerdotum ſe tradidiſſe, ut ſacrorum & omnis philoſophiae notitia imbuerentur, Plutarcho Iſid. & Oſir. T. II, pag. 354 B. auctore: nefas enim principi erat, ſine ſacrorum ſcientia regni gubernaculum tractare, περὶ μὲν Αἴγυπτον οὐδ' ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν, Plato Politic. p. 290 D. Wess.

Pag. 209. *l.* 6. Ἐκ τῶν νόμων) Rectius ἐν τοῖς νόμοις, quod in margine extenſum. Rhod. Non ſubſcribo viri docti ſententiae; paulo quidem planius alterum illud eſt, nec melius propterea. Ἡ ἐκ τῶν νόμων ταλαιπωρία Aeliano XIII

V. H. 38, aerumnae ſunt, quas ex legum praeſcriptis Spartani ſuſtinebant. Τάξις ἡ ἐκ τῶν νόμων ὡρισμένη, legibus definita, infr. c. 74. Τὸ ποιηθὲν ἐκ Ψαμμητίχου, factum Pſammetichi, Herodot. II, 151; quo modo ſaepe ille. Confer Georg. Raphelium in Ioan. III, 25. Wess.

ead. l. 9. Χρηματίζειν καὶ πράττειν) Haud iniuria metuo, ne non καὶ πράττειν ex Scholio hanc ſedem occuparit. Iuvat ſuſpicionem Cod. Reg. & ſcriptoris mos, quo χρηματίζειν de reſponſis rerumque actu uſurpat, ut cap. 69, XVII, 113. Athen. XII, pag. 539, ἐφ' οὗ καθήμενος ἐχρημάτιζεν ὁ Ἀλέξανδρος· & pag. 542, ἐν ᾧ χρηματίζειν Ἱέρωνα τὸν βασιλέα. Paſſus tamen ſum, ut locum tueretur, ne calumniandi foret occaſio. Wess. Καὶ πράττειν ex Scholio veniſſe cenſet etiam Urſinus, meam ſuſpicionem affirmans. Idem *in Addend.*

ead. l. 15. Πλησίον τοῦ ἱερείου) Marginalis nota offert duo, ἱερέως & ἡγεμόνος· poſterius eligo. Nec parum ad rem conferre arbitror, ſi ante περιεστῶτος, reſtituatur τὸ μετά· ut populus ſolemnes pontificis ſui preces ſecutus voce ſua intelligatur. Rhod. Πλησίον τοῦ βασιλέως) Sine controverſia in editis vitium eſt: quod ſequor, e melioribus Codd. depromtum eſt. Diceres omnia haec ad *cantorem*, τὸν ᾠδὸν, pertinere, qui in ſolemni Aegyptiorum pompa duos geſtabat libros, quorum alter ὕμνους τῶν θεῶν, Deorum hymnos, alter ἐκλογισμὸν βασιλικοῦ βίου, ordinem & rationem regiae vitae, complectebatur, apud Clement. Alex. VI Stromat. p. 757, niſi Diodori auctoritas ſummum ſacerdotem poſtularet. Praeerat is ſacris & ſacerdotum collegio, Herodot. II, 37, idemque erat ac *Propheta*, ſummae in Aegypto dignitatis. Vid. H. Valeſ. in Euſeb. IV H. E. 8. Wess.

Pag. 210. *l.* 8. Μεταδοτικὸς τῶν ἀγαθῶν) In principe τὸ εὐποιητικὸν καὶ τὸ εὐμετάδοτον maxime commendabile eſt, quod propterea laudi ſibi tribuit Imp. Antoninus I, 4 & 14; nec minus in Chriſtianis, in quibus, lautiore ſi conditione ſint, S. Paullus eandem virtutem deſiderat 1 Timoth. VI, 18; ubi Io. Pricaeus Diodori non quidem oblitus eſt, ſed nimis anguſte de *commeatu ventris* interpretatur. Wess.

Pag. 211. *l.* 2. Τὴν τιμωρίαν ἀποσκήπτων) Valde quidem blanditur ſcriptura Codd. eorum, qui ἀξιῶν ἀποσκῆψαι· nec muto tamen. Sacerdos poenam precibus in ſcele-

rum adminiſtros & doctores derivabat. Haud multo aliter XIII, 102, τὴν ὀργὴν ἀπέσκηψεν εἰς ἄνδρας οὐ τιμωρίας ἀλλ' ἐπαίνων ἀξίους· & Dionyſ. VI A. R. p. 383, εἰς αὐτοὺς μόνους ἀποσκήψαντες τοὺς αἰτίους τὴν ὀργήν. WESS.

ead. l. 7. Ἱεροσκοπησαμένου μόσχῳ) Exterminandus ad corvos abortivus & putris ille vitulus. RHOD. Aſſentirer viro doctiſſimo, ſi Codd. plerique omnes delerent; nunc, etſi ſuſpectum, ſervare malo. Aegyptii μόσχοις, *vitulis*, in ſacris utebantur, eratque pars haud poſtrema ſcientiae ſacerdotalis μοσχοσφραγιστὴ, de qua Herodot. II, 38. Μοσχοσφραγιστὰς, ſive ſacerdotes ſignandis certo ritu vitulis deſtinatos, habet Porphyr. IV Abſtin. c. 7; ſcripta quoque μοσχοσφραγιστικὰ, ſic enim recte corrigit Io. Marsham. Canon. Chronol. pag. 242, Clemens Alexandr. VI Strom. pag. 758. WESS.

ead. l. 8. Ὁ μὲν ἱερογραμματεὺς) Conf. ſupr. c. 16. WESS.

Pag. 212. *l.* 4. Κρέα μόσχεια καὶ χηνῶν) Mirum videri poſſit, κρέα χηνῶν inter ἁπλᾶς τροφὰς hic a Diodoro cenſeri, cum pag. 53 inter πολυτελεστάτας enumeret; atque adeo Xenophon Cyrum iuniorem anſeres ſemeſos amicis e menſa ſua ſolitum miſſitare memoriae prodiderit. Unde & prima fronte lectio altera ἁπαλαῖς, (quae tamen in uno dumtaxat habetur exemplari) non immerito alicui placuerit. Sed enim ſi ἁπαλαῖς ſcribamus, quorum Diodorus λιτότητα vult deſcribere, iis contra τρυφὴν tribuere comperietur. Quomodo igitur ipſum ſibi Diodorum conſtare dicemus? Reſpondebo, quod mihi occurrit in praeſentia, idque ἐπέχων. Exiſtimo, Diodorum hic, ubi anſerinas carnes inter ἁπλᾶς τροφὰς enumerat, loqui de anſeribus ἁπλῶς (ut ita dicam) nutritis. At cum numero τροφῶν πολυτελεστάτων adſcribit, anſeres altiles intelligere, id eſt, χῆνας σιτευτούς. Athenaeus lib. 9, c. 8: Θεόπομπος μὲν ἔφη Ἀγησιλάῳ τῷ Λάκωνι εἰς Αἴγυπτον ἀφικομένῳ πέμψαι τοὺς Αἰγυπτίους χῆνας καὶ μόσχους σιτευτούς. Ac ne quis dubitet, an adiectivum σιτευτοὺς tam cum χῆνας, quam cum μόσχους, Athenaeus iungere voluerit, ipſe ibidem aliorum auctorum περὶ χηνὸς σιτευτοῦ verba profert. Sed & Polyaenus lib. στρατηγημάτων quarto c. 3, 32, apparatum coenae pariter ac prandii regis Perſarum deſcribens, inter cetera ponit χῆνες σιτευτοὶ τετρακόσιοι, τρυγόνες τριακόσιαι, ὀρνίθια παντοδαπὰ μικρὰ ἑξακόσια. Apud eundem vero Athenaeum & χηνίων fit mentio lib. 14, cap.

ult. ibi enim haec Menippi Cynici verba citantur, καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκια ὀλίγα καὶ χηνία ὀπτὰ, καὶ τρυφὴ πλακούντων. Polyaenus autem νεοσσοὺς χηνῶν appellat. Nam poſt ea, quae modo ex illo protuli, verba ſubiungit, ἄρνες τριακόσιοι, νεοσσοὶ χηνῶν ἑκατὸν, δορκάδες τριάκοντα. Meminit autem Athenaeus & iecoris anſerini, de quo & Plinius lib. X, cap. 22, ſcribit. Ubi quod ait fartilibus in magnam amplitudinem creſcere, verum eſſe comperi, cum Venetiis agerem. Vidi enim ibi iecora ſaginatorum a Iudaeis anſerum (hanc enim illi praecipue & callent & factitant ibi artem) tam ampla, ut quod unius anſeris iecur eſſet, trium minimum eſſe videretur; id eſt, tria eſſe iecora in unum (ſi hoc fieri poſſet) conflata. Ceterum notandum eſt, ut in illo Athenaei, qui prior citatus eſt, loco μόσχοι & χῆνες σιτευτοὶ coniunguntur, ubi ab Aegyptiis dono miſſi dicuntur Ageſilao, cum advenisſet; miſſos autem fuiſſe ut delicatos cibos veroſimile eſt: ita hic a Diodoro κρέα μόσχεια & χηνῶν copulantur, ſed non σιτευτῶν, & inter τροφὰς ἁπλᾶς annumerantur. Fit autem & in Evang. mentio vituli ſaginati Luc. XV, 23, καὶ ἐνέγκαντες τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν· & paulo poſt, καὶ ἔθυσεν ὁ πατήρ σου τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν. STEPH. Nimis aeſtuare mihi videtur H. Steph. neque enim pugnat, ſimplicem aliquem eſſe victum & tamen pretioſum: quamquam pretio ingenti anſeres in Aegypto venum iviſſe nondum mihi liquet; nam quae infra cap. 84, id non requirunt. In ſacris & communi victu anſerum uſus in hac gente erat frequens, veſcebanturque ſacerdotes χηνέων καὶ βοέων, aeque ut reges, carne, Herodot. II, 37; quare & multi illis alendis operam inſumebant, a quibus & *Chenoboſcia* ſive *Chenoboſcion* urbs eius regionis dicta in Anton. Itiner. p. 166, ubi plura dixi. WESS.

ead. l. 5. Οἴνου δὲ τακτόν τι μέτρον) Regum plerique e ſacerdotibus, ut ſupra indicatum, cooptabantur: horum autem δίαιτα λιτὴ καὶ ἀφελής. οἴνου γὰρ οἱ μὲν οὐδ' ὅλως, οἱ δὲ ὀλίγιστα ἐγεύοντο, *victus erat tenuis & ſimplex: vinum enim alii omnino non bibebant; alii parciſſime;* quae Chaeremonis in IV Abſtin. 6 Porphyrii verba. WESS.

ead. l. 14. Μηδὲ τιμωρήσασθαι) Non plectere tantum haud poterant, ſed & τοὺς δικαστὰς ἐξώρκιζον, ὅτι κἂν βασιλεύς τι προστάξῃ κρῖναι τῶν μὴ δικαίων, οὐ κρινοῦσι *iudices iuriſiurandi religione obſtringebant, ne, tametſi rex ipſe*

iniqui quiddam imperaret, *decernerent*, Plutarch. T. II, pag. 174 C. WESS.

Pag. 213. *l.* 2. Ἢ προσέκοπτον ταῖς ψυχαῖς) Si qui liber δικασταῖς aut κριταῖς ederet, ego fidenter arriperem: ſolet enim caſum tertium huic verbo ita connectere, ut eam rem notet, qua quis offenditur. Collegit exemplorum ex Diodoro abunde P. Leopard. V Emend. 7; quare paucis perfungar. Cap. 89, προσκόπτοντας ταῖς εἰς τὰ προειρημένα παρανομίαις, *ſuccenſentes flagitiis in dicta animalia admiſſis*; III, 4, Διόνυσον προσκόψαντα ταῖς τοιαύταις περιστάσεσι· IV, 63, καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς λύπης προσκόψαντα τῷ ζῆν· quae, quod dixi, ſatis firmant. Addo ex Polybio I, 31, καὶ προσκόψαντες τῇ βαρύτητι τοῦ Μάρκου. Nihil tamen, vetantibus Codd. decerno. WESS.

ead. l. 8. Κατισχυομένους &c.) Perperam haec e Reg. exſulant. Vitia ea pleroſque a recto tramite tranſverſos auferunt, & victos graviſſime premunt; quod eſt κατισχύειν. Strabo VII, 468 B. τῶν δ' ἐκ θατέρου μέρους ὑπ' Ἰλλυριῶν μάλιστα κατισχυομένων· & Noſter cap. 24 & 86, XV, 87. Philo Iud. de ſimilis generis hominibus eleganter ὑπ' ὀργῆς οἷα χαλεπῆς δεσποίνης ἐκβιασθέντες, de Spec. Leg. p. 771 E. WESS.

ead. l. 13. Εἰς τοὺς ἡγουμένους εὐνοίαις) Aegyptii reges ſuos uti Deos praeſentes colebant; unde nihil profecto mirum, adeo de eorum incolumitate fuiſſe ſollicitos. Confer c. 90. WESS.

Pag. 214. *l.* 6. Ἕως ἔμεινεν &c.) Herodotum II, 124, vide. WESS.

ead. l. 15. Μαρτυρίαν ἀπερίγραπτον περιεῖχε) Ad verbum, *non circumſcriptum veritatis teſtimonium continebat.* Sed quam facile reſtitueris ἀπαράγραπτον, *non perperam ſcriptum*, *non ſuppoſititium*, *non adulterinum*, *non fucatum?* RHOD. Variantes antiquorum librorum ſcripturae faciunt, ut incertus haeream; habent enim ſingulae, quod laudes. Ἀνερίθευτον, *rixae & controverſiae haud obnoxium*, ſi malueris, etſi Graeci ſermonis Theſauri te deſtituent, ſuccurret Philo Iud. L. ad Cai. p. 1001 E. εἰρήνη, inquiens, ἐξ ἡγεμονίας ὀρθῆς φύεται. ἡγεμονία δ' ἀφιλόνεικος καὶ ἀνερίθευτος, ὀρθὴ μόνη. Sin ἀνόθευτον, Suidas γνήσιον, ἀπαραποίητον, καθαρὸν explicans, auxilio erit. Neque pravum cenſebitur ἀπερίγραπτον, ſi de *infinito*, ob ea, quae cap. 41 diſpu-

tavimus, acceperis. Tibi itaque, quamquam pronior in *ἀνερίθευτον*, optionem permitto. WESS.

Pag. 215. *l.* 5. Ἐφ' *ἡμέρας ἑβδομήκοντα καὶ δύο*) Tot fere dies in apparandis funeribus & ſolemni corporum conditura abſumi ſolebant, Herodot. II, 86. WESS.

ead. l. 6. *Καταπεπασμένοι δὲ τὰς κεφαλὰς*) Poteſt libri Mutin. ſcriptura defendi hoc Herodoteo II, 85, *κατ' ὧν ἐπλάσαντο τὴν κεφαλὴν πηλῷ.* Nec ſequor tamen; nam & infra c. 91, *οἱ μὲν συγγενεῖς*, Diodorus ait, *καὶ φίλοι πάντες καταπασάμενοι πηλῷ τὰς κεφαλάς·* & Ioſephus II B. I. 21, 3, *καταπασάμενος δὲ τῆς κεφαλῆς κόνιν·* quo tamen loco Mſſ. & Suidas *καταμησάμενος*, quod & eodem libro c. 15, 4, in parili re Ioſeph. adhibet. Solitos autem in luctu veteres caput multo pulvere deformare, nemo eſt qui ignoret. WESS.

ead. l. 8. Ὁ*μοίως ἄνδρες* &c.) Non reges tantum, ſed quoſvis fato functos hoc habitu cognati lugebant, Herodotus II, 85. WESS.

ead. l. 13. Τ*ὴν ἀπὸ τοῦ πυροῦ*) Haec omni graviore in luctu Aegyptiis ſolemnia erant; conf. c. 91. Qui quoque ſi in caſto eſſent, vino paneque abſtinebant, ut Chaeremon docet in Porphyr. IV Abſtin. 6. Quod autem in antiquis quibuſdam ſchedis reperitur *ἀπὸ τοῦ πυρὸς*, coctum cibi genus indicat, neque reiectaneum eſſet, niſi has voces miſcere librariis perpetua foret conſuetudo: exemplo ſit hoc Libanii de Tiſameno T. II, p. 451, *πράττε τὸ σὸν, ἐμοὶ δὲ, ἐφ' ᾧπερ ἐτάχθην, μελήσει τοῦ πυρός·* quod ignis curam, ſi bene haberet, homini impoſitam indicaret, ſicuti cenſuit & loco adſcripſit F. Morellus: atqui id dixit Tiſamenus, cum ad Euphratem pergeret, quorſum *ἐπ' ὠνῇ σίτου*, *ut frumentum redimeret*, p. 443 D. miſſus erat; pravum ergo vulgatum, & in *τοῦ πυροῦ* convertendum. WESS.

Pag. 216. *l.* 10. Ἀ*κροατήριον τῶν ἐν τῷ βίῳ*) Si quis *κριτήριον* praeferendum putaverit, *recitationem* in *examinationem* ſeu *diiudicationem* mutet. RHOD. Κ*ριτήριον τῶν ἐν τῷ βίῳ*) Hoc praefero. Prius enim quam mortuus tumulo inferebatur, de toto vitae eius ordine iudicium inſtituebatur, permiſſa omnibus accuſandi facultate. Confer infra cap. 92. WESS.

Pag. 217. *l.* 1. Τ*οὐναντίον ἐθορύβουν*) Fremitu & clamore ſibi diſplicere ſignificabant. Infra XIII, 28, *πολλοὶ οὖν τῶν καθημένων ἐθορύβησαν·* Demoſthen. Legat. Falſat. pag. 223

de Athenienſibus, *καὶ θορυβούντων ὑμῶν καὶ οὐκ ἐθελόντων ἀκούειν.* Paulo diverſiore uſu S. Lucas A. A. XVII, 5, & Dionyſ. IX A. R. p. 624. WESS.

ead. l. 2. *Ἀπεστερήθησαν ταφῆς*) Exempla dedit cap. 64. WESS.

ead. l. 11. *Ὀνομάζεται νομὸς*) Proclus in Timaeum pag. 30: *ὁ μὲν οὖν νομὸς ἀπὸ τοῦ νενεμῆσθαι τὴν γῆν αὐτοὺς ἔσχε τὴν ἐπωνυμίαν. οὕτω γὰρ ἐκάλουν Αἰγύπτιοι τὰς διαιρέσεις, τὰς κατὰ τὰ μεγάλα τῆς Αἰγύπτου μέρη·* quibus gemina Diodorus cap. 54; unde prave illi loco adſcripſit H. Stephan. vocem Aegyptiae originis illi viſam: tantum enim Aegyptios ſuae regionis partes ita vocitare aſſeverat, quod & *περὶ τῶν μαχίμων*, qui ſine controverſia Graeciae nomen ſuum debent, paulo poſt profitetur. Ego cum Diodoro & Proclo facio, quibus etiam ſubſcribunt viri egregii Iſ. Caſaub. in Strabon. XVII, p. 1135, & P. Leopard. VII Emend. 17. WESS.

ead. l. 14. *Εἰς τρία μέρη*) Confer Strabon. XVII, pag. 1136 B. WESS.

Pag. 218. *l.* 1. *Εἰς θεοὺς εὐσέβειαν*) Nullam ego huic lectioni controverſiam moveo, ſed veteres libri, qui magno conſenſu *ἐπιμέλειαν* praeferunt. Erant hi ſacerdotes praeter ceteros omnes pietatis in Deos ſtudioſiſſimi, *θεοσεβέες περισσῶς μάλιστα πάντων ἀνθρώπων*, Herodot. II, 37; eaque ex cauſa aſſidui ad Deorum imagines aut eas geſtabant, aut ordine concinno & decoro collocabant. *Ἐφαίνοντο δὲ ἀεὶ θεῶν ἢ ἀγαλμάτων ἐγγὺς, ἤτοι φέροντες, ἢ προηγούμενοι καὶ τάσσοντες μετὰ κόσμου τε καὶ σεμνότητος*, Chaeremon in Porphyr. IV Abſt. 6; atque haec credo ea *ἐπιμέλεια* eſt, quam Mſſ. malunt, quamque his de ſacerdotibus agens *τὴν περὶ τοὺς θεοὺς θεραπείαν* Iſocrat. Buſir. p. 332 appellat. WESS.

ead. l. 10. *Συνδιατρίβουσι τῷ βασιλεῖ*) Vid. ſupra cap. 70. WESS.

Pag. 219. *l.* 1. *Ὥσπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησι*) Moribus quidem Graecis ita fuit receptum; nec illis tamen ſacerdotia deerant, quae a parentibus ad liberos tranſibant, nec familiae, e quibus ſacrorum praefecti cooptabantur, ut Athenis *Eumolpidae*, *Eupatridae*, ſupr. c. 28, 29, *Eteobutadae* in Aeſchin. Falſ. Legat. p. 47, Rhodi ſacerdotes Neptuni infra V, 58, Colophone Clarii Apollinis antiſtes apud Tacit. II Annal. 54. Propius tamen ab Aegyptiorum conſue-

tudine abeſt ingens illa multitudo Ἱεροδούλων, quae Comanis Cappadociis & Ponticis Dianae ſacris operabatur in Strabon. XII, pag. 809 & 836, ne de Levitis Iudaeorum quid addam. Wess.

ead. l. 4. Εἰσὶ δὲ οὗτοι πάντων ἀτελεῖς) Multo uberius de ſacerdotibus his, & vitae inſtituto, quod ſectabantur, Herodotus II, 37, & ex Chaeremone Porphyrius IV A. A. 6 &c. Wess.

ead. l. 11. Οὐ βαπτίζουσι ταῖς εἰσφοραῖς) Non multum diſſimile hoc Ioſephi II B. I. 14, 1, οὐδὲ τὸ πᾶν ἔθνος ἐβάρει ταῖς εἰσφοραῖς· nec eiuſdem tamen elegantiae, qua nulla parte minus ſplendet hoc IV B. I. 3, 3, οἳ δὴ καὶ δίχα τῆς στάσεως ὕστερον ἐβάπτισαν τὴν πόλιν· nedum his inferius, quod in Libanii vita T. II, p. 64 C. ᾧ ἂν εὐθὺς ἐβαπτίζετο τὸ ἄστυ, καθάπερ ναῦς ἐκλιπόντων τῶν ναυτῶν. Patet enim late hoc translationis genus. Τῇ συμφορᾷ βεβαπτισμένον Heliodor. II, p. 63, eum ait, qui calamitatibus paene merſus atque obrutus iacet. Statius II Silv. 1, 209: *Quin tu iam vulnera ſedas, Et tollis merſum luctu caput.* Tetigit Diodori quoque locum Salmaſ. in Solin. pag. 709. Wess.

ead. l. 13. Οἱ μάχιμοι) Vid. infr. XVI, 47, & Herodotum, cui nomen, quo gentis ſermone noti erant, debemus II, 164. Wess.

Pag. 220. *l.* 1. Ἄτοπον γὰρ ἦν &c.) Prudenter Aegyptii. Miles mercenarius pecuniae ſtudio trahitur; quae ſi deficiat aut non repraeſentetur, murmura, ſeditiones & defectiones conſequuntur. Carthaginienſes, qui undique militem aere conducebant, ſuo ſaepe malo id experti ſunt; nonnunquam quoque Romani, quos bene propterea Livius XXV, 33, admonet, *id quidem cavendum ſemper*, inquiens, *Romanis ducibus erit, exemplaque haec vere pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus ſui roboris ſuarumque proprie virium in caſtris habeant.* Vid. infra V, 11, & quae in Conringium pro Aegyptiis O. Borrichius Hermet. c. 8 diſputat. Wess.

ead. l. 4. Τὸ δὲ μέγιστον &c.) Accedebat & aliud commodum; ſuo enim miles contentus ab alieno manus abſtinebat, ſecus atque in Graecia. De utriſque Iſocrates, οὗτοι μὲν (Graeci milites) ἅπαντες στρατιῶται καταστάντες, βίᾳ τὰ ἄλλων λαμβάνειν ἀξιοῦσι· ἐκεῖνοι δὲ (Aegyptiorum viri militares) οὕτως οἰκοῦσιν, ὥσπερ χρὴ τοὺς

μήτε τῶν ἰδίων ἀμελοῦντας, μήτε τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύοντας, Laudat. Buſir. p. 329. Quod autem paulo poſt haec H. Stephanus *κατασκευάσειν* corrigit, id ego reiectaneum non arbitror. WESS.

ead. l. 7. *Ὅμως δ' οὗτοι*) Rectius forte *ὁμῶς*, vel *ὁμοίως*. RHOD.

ead. l. 11. *Ἀνίκητοι ταῖς τόλμαις*) Verum fortaſſe antiquiſſima id fuit aetate; non Diodori & Strabonis, qui *οὐκ εἶναι πολεμιστὰς*, non admodum bellicoſos perhibet, & exemplis firmat XVII, p. 1175 A. WESS.

ead. l. 13. *Συντάγματα τρία*) Herodot. II, 163, praeter ſacerdotes & bellatores genera ſubulcorum, bubulcorum, inſtitorum, interpretum & gubernatorum navalium in Aegypto habet. Plato vero ſacerdotibus & pugnatoribus artifices, paſtores, venatores & agricolas adiungit in Timaeo pag. 24; quorum bubulcos, ſubulcos & venatores nomine paſtorum, inſtitores, interpretes & navium gubernatores, uno artificum titulo Diodorus videtur complexus, ſicuti Iſocrat. Buſirid. pag. 328 ſolo *τεχνιτῶν* vocabulo omnes, qui nec ſacerdotes nec milites in Aegypto erant, deſcripſit. WESS.

Pag. 221. *l.* 4. *Συντρεφόμενοι ταῖς γεωργικαῖς ἐπιμελείαις*) Sic II, 29, *εὐθὺς ἐκ παίδων συντρεφόμενοι τοῖς μαθήμασι*· & cap. 60, *ἐκβληθῆναι ὡς κακούργους καὶ πονηροῖς ἐθισμοῖς συντεθραμμένους*· quod genus in illis tritiſſimum eſt, qui longo uſu atque a prima iuventute aut cuidam diſciplinae; aut vitae inſtituto, aut vitiis aſſueverunt. Lucian. Nigrin. 12, *οἳ φιλοσοφίᾳ καὶ πενίᾳ σύντροφοί εἰσι*· & Merced. cond. 23, *καὶ ἅτε δὴ μὴ ἐκ παίδων τῇ δουλείᾳ ξυντραφείς*· atque ita ille ſaepiſſime. Id opportunum huic loco, quod Glaucus uxori perſcribit in Alciphron. I, 3, ſe, damnato navigandi & piſcandi ſtudio id ſaltem effecturum, ut liberis eveniat, *γεωργίᾳ συντραφῆναι καὶ τὸν ἀσφαλῆ καὶ ἀδεᾶ βίον ἀσπάσασθαι, in agricolatione educari & ſecuram metuque carentem vitam amplecti*. WESS.

ead. l. 9. *Καρπῶν συγκομιδῆς*) Conf. ſupr. c. 8. WESS.

ead. l. 14. *Ἐν βίῳ κτηνοτρόφῳ*) Erit fortaſſe, qui *κτηνοτροφοῦντες* probaverit, uteturque Philon. Iud. I V. M. p. 610 D. *κτηνοτροφοῦσιν Ἄραβες καὶ νέμουσι τὰ θρέμματα οὐκ ἄνδρες μόνον, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες*· cui non ſuffragor: id enim Diodorus ſi voluiſſet, haud ſane *ἐν βίῳ* ſcripſiſſet. WESS.

Pag. 222. *l.* 7. Οὐ γὰρ ἐπωάζουσι διὰ τῶν ὀρνίθων) In ſterquilinio ova obruebant, ſi fides Ariſtoteli VI H. A. 2; atque eo pertinet Imp. Hadriani dictum in Saturnino Fl. Vopiſci cap. 9: *Nihil illis opto, niſi ut ſuis pullis alantur, quos quemadmodum foecundant, pudet dicere.* Sed modum excludendorum ovorum, quem in Aegypto ſectantur, multo diligentius perſecutus eſt P. Lucas IV Itiner. Aegypt. pag. 279. Wess.

ead. l. 11. Καὶ πρὸς τὸ καθῆκον &c.) His plane ſimilia Iſocrates Laud. Buſir. p. 330. Mox gloſſam καὶ τεχνῖται, obſecutus Mſſ. induxi. Δημιουργοὺς autem exemplo Platonis in Timaeo pag. 24, & ſupr. c. 24 vocavit, quos paulo ante τεχνίτας. Wess.

ead. l. 14. Ἐκ τῶν νόμων ὡρισμένης) Seſoſtris leges has rogavit, multitudinemque in diverſa genera deſcripſit, quod praeter Ariſtotelem VII Polit. 10, Dicaearchus in Schol. Apollon. Rhod. IV, 273, tradidit; habet & Plato II Leg. pag. 656 E. quae Aegyptiorum has leges ſpectant. Wess.

Pag. 223. *l.* 2. Μήτ' ἄλλο μηδὲν ἐμποδίζειν) Bene profecto. Ἓν γὰρ ὑφ' ἑνὸς ἔργον ἄριστ' ἀποτελεῖται, ut ait Philoſophus II Politic. 9, qui & addit, legis latorem oportere id diligenter ſtudere, ne uni diverſi generis artes exercendae imponantur. Wess.

ead. l. 8. Πλεῖστοι δ' ἐν ταῖς δημοκρατουμέναις) Praecipue Athenis, cuius urbis cives ex Solonis legibus ea libertate gaudebant, quae communi reipublicae haud raro acerba & perniciosa erat. Vid. Ariſtotel. II Polit. 10. Id tamen pro Aegyptiorum moribus haud male, quod lege lata vetuerint, ne plures artes ab uno eodemque exercerentur, ſicuti Demoſthen. in Timocrat. p. 465, eiuſque Scholiaſtes Ulpianus, innuunt. Wess.

Pag. 224. *l.* 14. Δέκα δικαστὰς ἐξ ἑκάστης προέκρινον) Deficientem vocem ex M. & Co. revocavi; quae, XXX iudices cum fuerint, & ſingulae harum civitatium parem eorum numerum ad conſeſſum ablegarint, abeſſe non debuit. Wess.

Pag. 225. *l.* 1. Παρὰ Λακεδαιμονίοις γερόντων) Vid. infra XVII, 104. Wess.

ead. l. 3. Τοῦτον μὲν ἀρχιδικαστὴν καθίσταντο) Non bene his conſentit atque concinit Aelian. XIV V. H. 34, cui iudices veteri aevo apud Aegyptios ſacerdotes, eo-

rumque princeps, qui natu maximus: ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. De iudicibus ſacerdotibus certe quidem Diodorus non obloquetur, a republica eiuſque cura & opifices & milites & ceteros, qui inter ſacerdotes non cenſebantur, removens: ſecus eſt in iudicii praefecto & praeſide, niſi ſi lectus ſemper is ſit, qui ceteris aetate praeſtabat. WESS.

ead. l. 8. Ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον) Diſtinctius paulo deſcribitur haec imago cap. 48, diciturque ἀλήθεια ἐπιμύουσα τοὺς ὀφθαλμούς. Aelianus ἐκ σαπφείρου λίθου fuiſſe ait: unde colligas, veritatis hanc icunculam humana fuiſſe ſpecie, ſed clauſis oculis, ex ſapphiro gemma & aliis pretioſis lapidibus conſertam. Qua cum iudicii praeſes inter Aegyptios inſigniretur, conveniebat quodammodo & congruebat cum Iudaeorum pontifice, qui *pectorali iuris*, quod vocant, in quo *Urim* & *Thummim*, δήλωσις καὶ ἀλήθεια, ut verterunt Alexandrini interpretes, ſolemnibus diebus conſpicuus erat: nam *Thummim* ad formam huius imaginis fuiſſe effictam, ſumto ex Aegypto more, etſi vehementer pertendat poſt Io. Marsham. Canon. Chron. pag. 316, Io. Spencer. Diſſert. de Urim & Thum. cap. 4, pag. 1337, nondum adduci poſſum, ut credam: diſcrepabant certe in haud paucis, quae diligenter explanata atque expoſita dedit H. Witſius III Aegypt. 11. WESS.

Pag. 226. *l.* 12. Πολλὰ τοῖς δικαίοις ἐπισκοτήσειν) Locutio in hac ſententia ſcriptorum conſenſu quaſi propria eſt. Antiphanes in Serm. XVI Stobaei, ἐπισκοτεῖ γὰρ τῷ φρονεῖν τὸ λαμβάνειν, quod Grotius vertebat, *cupiendi aviditas vim ſapiendi obnubilat.* Iſocrates Orat. de Pace p. 235, τὸ γὰρ πρὸς χάριν ῥηθὲν, ἐπισκοτεῖ τῷ καθορᾷν ὑμᾶς τὸ βέλτιστον· *quae enim dicuntur, ut vos oblectent, ea vobis tenebras offundunt, ne, quod utiliſſimum eſt, perſpiciatis.* Polyb. III, 31, ὥστε καὶ λίαν ἐν πολλοῖς τὴν ἀλήθειαν ἐπισκοτεῖσθαι· qui & paulo diverſiore figura IX, 32. Gregorius Nazianz. Orat. III, pag. 81 A. τοῦ δὲ ἡ πονηρία τοῖς λογισμοῖς ἐπεσκότησε. WESS.

ead. l. 13. Τὴν τῆς ὑποκρίσεως γοητείαν) In ſimili re λόγων γοητεία apud Dionyſium XI A. R. p. 707; a quibus verborum & actionis praeſtigiis ſophiſtas γόητας, & artem γοητείαν, appellatam, L. Creſollius I Th. Rhet. 13 oſtendit. WESS.

ead. l. 17. Τοὺς ἀγωνιζομένους ἐν τῷ κρίνειν) Rhodom.

vertit *reos conflictantes in iudicio*, ſecutus Graecorum conſuetudinem, qua ἀγωνιζόμενοι aut oratores, qui aliorum cauſam agunt, aut rei, qui cauſam dicunt, uti in Demoſthen. pro Coron. p. 132, in Midian. p. 319, Androt. p. 382, Macart. p. 600; cui verſioni & ſententiae verborum ordo validiſſime pugnat, qui iudices, τοὺς δικαστὰς, quod Scaliger & Iſ. Voſſius ſuo quiſque libro adſcripſerat, requirit, inprimis τὸ συνεκφέρεσθαι τῇ δυνάμει τῶν λεγόντων. Neque enim id eſt *dicentis facultate elabi*, uti idem Rhodom. cenſuit, ſed *auferri*, *abripi*, quemadmodum συνεκφερόμενοι τοῖς θυμοῖς XVII, 70, quos ira aufert & a recto tramite tranſverſos agit, & συνεκφερόμενοι τοῖς ἀποπίπτουσιν ἀπὸ τοῦ πρὸς ἀρετὴν σκοποῦ, qui cum illis abripiuntur, qui exciderunt virtutis ſcopo, in Hieroclis Comment. in Aur. Carm. p. 50. Quare ſi improbes τοὺς ἀγωνιζομένους ἐν τῷ κρίνειν, & iudices dici poſſe neges, quod mihi quidem certe nondum liquet, recipi oportebit τοὺς ἐπαινουμένους, *qui laudem in iudicando conſecuti ſunt*, e Codd. Co. & Mut. WESS.

Pag. 227. *l.* 6. Τοὺς εὐφυεῖς τῶν βραδυτέρων πλεονεκτήσειν) Ingenii praeſtantiam εὐφυΐαν infr. c. 97, & verſatili ingenio praeditos εὐφυεῖς appellitant. Ζῶον εὐφυὲς ob ingenium, quo animalibus ceteris praeſtat, homo ſupr. c. 8. Adde Platon. Phaedr. p. 270, Lucian. Saltat. 74, & Luc. Holſten. in Vit. Pythag. Porphyrii c. 1. WESS.

ead. l. 15. Ὅσοι παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις &c.) Aegyptiorum has leges diligenti, nec ſemper tamen felici, opera explicuit Io. Nicolaus de Synedr. Aegypt. c. 7 &c. WESS.

Pag. 228. *l.* 5. Θεούς τε ἀσεβούντων) Aut nove aut corrupte hic legitur in omnibus noſtris Codicibus θεούς τε ἀσεβούντων pro εἰς θεούς τε, vel περὶ θεούς τε ἀσεβούντων. Sic alicubi παρανομεῖν habetur apud hunc ſcriptorem cum accuſativo ſine praepoſitione. STEPH. & RHOD. Non male viri doctiſſimi: poterit tamen Diodorus ſe tueri exemplo Aeſchyli Eumenid. 270, Ὄψει δ' ἐκεῖ τίς ἢ θεὸν, ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν, ἢ τοκέας φίλους. Eſt enim perſimile. Recte vero Aegyptii: iusiurandum enim aliud nihil eſt, quam Dei in re ambigua ad teſtimonium invitatio; Deum autem niſi veri cauſa teſtari, flagitiorum ultimum eſt. Ὅρκος γὰρ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ μαρτυρία θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου· θεὸν δὲ μὴ ἐπ' ἀληθείᾳ καλεῖν πάντων ἀνοσιώτατον, Philo Iud. de Leg. Special. p. 770 C. WESS.

ead. l. 9. Μὴ ῥύσαιτο δυνατὸς ὢν) *Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non poteſt*, ait Paullus L. 109 de Reg. Iur. Contra ea, *qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriae, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat*, Cicero I Offic. 7. Atque hinc legibus municipalibus multifariam conſtitutum novimus, ut illatum a praetereuntibus alteri damnum furtumve factum a vicinis ſarciretur, de quibus Radulf. Forner. V Rer. Quotid. 28, & Ever. Otto II Tut. Viar. 10, p. 554. Wess.

Pag. 229. *l.* 1. Ὁ τοῖς συκοφαντηθεῖσιν ἐτέτακτο) Calumniantes etiam ex conſtitutione Imp. Honorii & Theodoſii L. ult. C. de Calumn. ad vindictam poſcit ſimilitudo ſupplicii, atque inprimis ex lege Divina Deuteron. XIX, 16. Wess.

ead. l. 3. Ἀπογράφεσθαι πρὸς τοὺς ἄρχοντας) Amaſi lex haec debetur, ſi fides Herodoto II, 177, quae & apud Sardos, Lucanos, & alios, de quibus ad Aelian. IV H. V. 1, Iac. Perizon. viguit. Delevi autem voces inutiles πόρων καὶ τρόπων, obſecutus vetuſtis Codd. Wess.

ead. l. 4. Ἀπὸ τίνων πόρων &c.) Haec, ut ſuperflua & ſuppoſititia, eradi facile patior: tametſi in verſione praetermiſſa non fuere. Rhod.

ead. l. 7. Ὑπὸ Σόλωνος) Sic & Herodotus. Rectius tamen Draconi adſcribunt Lyſias in Diogen. I, 55, & Plut. Solon. T. I, pag. 87. Solon enim poenam, quae capitalis fuerat, lenivit ſubſtituta infamia, ut Io. Marsham. Can. Chronol. p. 640, & ante eum S. Petitus Leg. Attic. pag. 424, admonuerunt. Wess.

ead. l. 11. Μὴ ταῖς διαφοραῖς τῆς τύχης &c.) Belliſſime haec concinit ac convenit legi Divinae Exod. XXI, 20, in quam bene quoque Philo Iud. Leg. Special. p. 798 D. θεράποντες, inquit, τύχῃ μὲν ἐλάττονι κέχρηνται, φύσεως δὲ τῆς αὐτῆς μεταποιοῦνται τοῖς δεσπόταις· τῷ δὲ θείῳ νόμῳ κανὼν τῶν δικαίων ἐστὶν, οὐ τὸ τύχης, ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον. Wess.

ead. l. 14. Μηδὲν ὅλως ἐξαμαρτάνειν) Hoc placitum eſt propter veterum Codd. auctoritatem. Sic c. 78, ἵνα τὸ μέγιστον τῶν κακῶν ἐθίσῃ πάντας κρίνειν τὴν αἰσχύνην. Wess.

Pag. 230. *l.* 3. Περιειληφότας τὸν νεκρὸν) Verum ſi eſt, uti profecto eſt, hoc Euripidis Supplic. 1120, Τί γὰρ ἂν μεῖζον τοῦ δ' ἔτι θνατοῖς Πάθος ἐξεύροις, Ἢ τέκνα θανόντ' ἐσιδέσθαι, ecquae gravior poena parentibus potuit irro-

gari? Parum certe abeſt a Mezentii ſcelere, quo *Mortua quin etiam iungebat corpora vivis, Componens manibuſque manus atque oribus ora, Tormenti genus! & ſanie taboque fluentis Complexu in miſero longa ſic morte necabat.* Virg. Aeneid. VIII, 485. WESS.

ead. l. 10. Καλάμοις ὀξέσι &c.) Barbaricum ſupplicii genus, cui non multum diſſimile in Theodoreto V H. E. 39. Spinis autem impoſitos adurebant, ut illis compunctos non tam igne, quam fumo, enecarent, quoque diutius & miſerius mori ſe ſentirent, ſicuti Aegyptii illi Iudaeos in Philon. Iud. in Flacc. 975 A; neque enim aſſentior viro docto, *virgas ſanguineas* huc referenti, quibus parricidas, antequam culeo inſuebantur, obiurgatos L. 9 de Leg. Pomp. docet. WESS.

ead. l. 13. Τὸ βιαίως τὸ ζῆν ἀφαιρεῖσθαι) Graviter & ex vero Cicero pro Roſc. Amerin. cap. 22: *Portentum atque monſtrum certiſſimum eſt eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut, propter quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſſime luce privarit.* WESS.

ead. l. 15. Τὰς ἐγκύους μὴ θανατοῦσθαι) Laudat Aegyptiam hanc legem Plutarch. T. II, pag. 552, qua pro ſua uſi ſunt Athenienſes, Romani, atque alii, de quibus viri docti ad Aelian. V H. V. 18, & Aeg. Menag. Amoenit. Iur. c. 21. WESS.

Pag. 231. *l.* 3. Τὸ μηδὲν ἀδικῆσαν &c.) Probe hoc; neque enim apud Aegyptios delicta parentum liberi luebant, uti Iſocrat. Laudat. Buſir. p. 332 innuit; cui P. Fabrum III Semeſtr. 8, p. 103, adiunge. WESS.

ead. l. 13. Τῶν μὲν οὖν φοινικῶν νόμων) Repone φονικῶν. RHOD. Φονικῶν νόμων) Bene Rhodom. Demoſthen. in Ariſtocrat. p. 410, καὶ οἱ ἄλλοι, ὅσους ἐκ τῶν φονικῶν νόμων παρεγραψάμην· & pag. 406, ἐκ τῶν φονικῶν νόμων τῶν ἐξ Ἀρείου πάγου· & ſaepe alias. Itaque illud, etſi Mſſ. ſileant, reſtitui. Vid. infr. XVIII, 33, XIX, 71. WESS.

Pag. 232. *l.* 3. Ἀλλὰ τὴν ἐσχάτην ἀτιμίαν) Idem valebat Athenis apud Andocid. de Myſter. p. 10, & Lacedaemone, ſed haud paulo tamen aſperius, in Plut. Ageſil. T. I, p. 612 E. WESS.

ead. l. 13. Ἐκτέμνεσθαι τὴν γλῶτταν) Ut ea parte mutilarentur, qua peccarant; quod genus poenae ſimili in caſu ſaepe frequentatum fuiſſe oſtendit Guiliel. Forner. III

Select. 27. Alioqui proditoribus manus praecidebantur & ultima infligebatur poena. Wess.

ead. l. 14. Νόμισμα παρακοπτόντων &c.) Ne longum faciam, dubitari non debet, quin haec ſcriptura multis partibus vulgata ſit melior. Παρακόπτειν in adulterandis numis & ſumtis inde figuris Philoni Iud. tritiſſimum eſt; nam & vulgi nimiam poteſtatem eſſe ait ὥς τὸ παράσημον καὶ παρακεκομμένον ἐν νομίσμασι, de Confuſ. Ling. pag. 335 E. & τὸ δόκιμον αἰδοῦς νόμισμα παρακόπτειν de Leg. Special. 804 D. παρακόπτειν ὥς καὶ νόμισμα δόκιμον τὴν ἄσκησιν de Vit. Contempl. pag. 895 D. παρακόπτειν τὸ τῆς εὐγενείας νόμισμα de Exſecrat. p. 934 E. quibus plura, quae mihi in mundo ſunt, non addo. Par ratio eſt verbi παραποιεῖν, quod de ponderibus, menſuris, & illis omnibus, quae fraude aut fuco adhibito mutantur, non minus elegans videtur; Syneſio certe Or. de Regn. pag. 17 A. τὰ πρόσωπα τέχνῃ παραποιήσαντες illi ſunt, qui vultum artificio quodam infucarunt, & Porphyrio Herodotus, ſcripta Hecataei Mileſii compilans, & leviter mutatis pro ſuis utens, βραχέα παραποιήσας in Euſeb. X P. E. 2, p. 466 B. Baſilio M praeterea σφραγὶς παραποιηθεῖσα, ſigillum ſculptura adulteratum, Homil. in Divit. T. II, p. 61 A. Reſtat παραγλύφειν, cuius etſi mihi exemplum deſit, nemo, qui ſermonis Graeci genium perſpectum exploratumque habet, uſum improbabit. De poena, quae falſariis his erat ſtatuta, nihil adiungam: habent plura viri egregii Cuiac. VII Obſ. 16, & P. Faber III Semeſtr. 9. Wess.

ead. l. 15. Ἢ τῶν παραγραφόντων) Minus generale eſt τὸ παραγλυφόντων, in margine aſſignatum. Sic in Notis; ſed in *Indice*, παραγλυφόντων *in margine rectius*, inquit, *ſigilla falſantes, adulterantes*. Rhod.

Pag. 233. *l.* 10. Βιασαμένου γυναῖκα ἐλευθέραν) Noli cum viro docto de ſola virgine intelligere; quae de criminis atrocitate adduntur & τέκνων συγχύσει, quaeque optime conveniunt Imp. Leonis Novell. XXXII, ea marito iunctam quoque poſtulant. Iam quod lege hac erat ſancitum, id & alias *Accidit, ut cuidam teſtes caudamque ſalacem Demeterent ferro*, in Horatii I Sat. 2, 45. Wess.

ead. l. 15. Τῆς δὲ γυναικὸς τὴν ῥῖνα κολοβοῦσθαι) Idem in utriuſque ſexus adulteris placitum eſſe principibus poſt Iuſtinianum docet P. Faber III Semeſtr. 19, p. 292. Difficulter vero ea, quae Diodor. de feminis Aegyptiis prodit,

cum illis concinent, quae de iiſdem Sextus Empir. III Hypotyp. Pyrrhon. p. 177. WESS.

Pag. 234. *l.* 6. Ὀμόσαντας ἀπολύεσθαι τοῦ δανείου) Contraria omnia Plato ſua in Republica, ne quam periurio feneſtram patefaceret, obſervari iubet XII Leg. p. 949 A. qui metus in Aegypto fortaſſe non ita gravis, praeſertim ſi ſanctior inibi iurisiurandi fuerit religio, quod Iſocrates affirmat Laud. Buſ. p. 332. WESS.

Pag. 235. *l.* 2. Τὸ κεφάλαιον πλεῖον ἢ διπλάσιον) Uſuras ſupra duplum nec deberi, nec exigi poſſe, & ſolutas repeti, Romae quoque iuris erat ex L. 26 D. de Condict. Indeb. quo de Cuiacius V Obſer. 38, & Sirmond. in Sidon. IV Ep. 24. WESS.

ead. l. 4. Τὸ σῶμα ὑπάρχειν ἀγώγιμον) Hoc quidem ſatis humane. De nexu debitorum Hebraei, Athenienſes ante Solonem, Romani etiam poſt Decemviros in alia omnia abierunt, quamquam horum legem, verbis aſperam, interpretando multi acerbiorem fecerunt, dextre confutati a Corn. van Binkershoek I Obſer. c. 1. WESS.

ead. l. 7. Ἐν δωρεαῖς λαβόντων) Conf. infr. IV, 48. WESS.

ead. l. 15. Ὃν ὠνόμασε Σεισάχθειαν) Atticorum conſuetudine lenius erat vocabulum, re ipſa χρεῶν ἀποκοπὴ, ſeu tabulae novae. Rem explicat Plut. in Solon. T. I, p. 86 D. atque ex eo S. Petitus L. Att. p. 412, & Io. Marsh. Can. Chronol. p. 648. WESS.

Pag. 236. *l.* 3. Οἵτινες ὅπλα μὲν &c.) Athenis ne quis arma pignori opponeret, vetitum fuiſſe, Schol. Ariſtophan. in Plut. 451 ſignificat; neque Romae licebat ſervos aratores, aut boves aratorios, aut inſtrumentum aratorium pignoris cauſa de poſſeſſionibus abſtrahere L. 7, C. *Quae res pignori oblig.* Adde leges Moſaicas Exod. XXII, 26, Deuteron. XXIV, 6. WESS.

ead. l. 9. Ἔχειν ταύτην τὴν ἐργασίαν) Hoc lucri & quaeſtus genus. Lycurg. in Leocrat. pag. 154, ὡς ἔμπορος ἐξέπλευσε, καὶ κατὰ ταύτην τὴν ἐργασίαν ἀπεδήμησεν εἰς Ῥόδον· qua poteſtate & ille & alii ſaepe terunt. Vid. infra XI, 56. WESS.

ead. l. 14. Καθ' ἣν ἀπέβαλε) Legendum videtur ἀπέβαλον. Niſi forte ſuo more a numero uno ad alterum tranſire voluit. STEPH. & RHOD.

Pag. 237. *l.* 2. Ἀποστῆσαι τῆς κλοπῆς) A. Gellius ex libro Ariſtonis iureconſulti furta omnia apud veteres Ae-

gyptios fuiſſe licita & impunita ſcribit XI N. A. c. 18; cui opinioni in hac lege nullum eſt fundamentum: certa tantummodo conditione, in quam ceteri conſenſerant, ex ſingulari dominii iure, de quo Io. Seldenus VI Iur. N. & Gent. 2, permittuntur: alioqui furta in Aegypto fuiſſe illicita, facile ex Rampſiniti rebus & ingenioſiſſimo fure apud Herodot. II, 121, colligas. WESS.

ead. l. 5. Γαμοῦσιν ἱερεῖς μίαν) Similes aliarum gentium conſuetudines Hieronym. de Monogam. ad Gerontiam, & Ez. Spanh. in Callimach. p. 566, exſequitur. Hebraeorum pontificem unam eamque virginem ſibi iunxiſſe, ex Levit. XXI, 13, Philo Iud. de Monarch. p. 826 D. pertendit. Quod vero additur de ceteris Aegyptiis, id Herodotus negat, ſingulas uxores illis iungens II, 92. WESS.

ead. l. 6. Τὰ γεννώμενα πάντα τρέφουσι) Mos idem, & meritiſſimo, genti Hebraeae. Tacit. V Hiſtor. 5: *Augendae tamen*, de Iudaeis agit, *multitudini conſulitur: nam & necare quemquam ex agnatis nefas.* Philo, cui inhumanum hoc exponendorum infantium flagitium, χειροηθὲς ἀσέβημα propter frequentem in ipſa Aegypto, ſua aetate, uſum, de patrio ritu & more liberorum omnium alendorum egregie diſputat de Leg. Special. p. 794. WESS.

ead. l. 15. Ἐναντίως τοῖς Ἕλλησι) Graecis, ſicuti Theophraſtus auctor eſt III Hiſt. Plant. 6, σχεδὸν ὅσα καλοῦσιν ἄρρενα τῶν ὁμογενῶν ἄκαρπα. Nec diſſentit Plinius, Aegyptiorum tamen hunc morem non praetermittens: *Fit haec differentia & ex ſexu; in iiſque mares non ferunt. Aliqui hoc permutantes, mares eſſe quae ferant, tradunt*, XVI H. N. 26. WESS.

Pag. 238. *l.* 4. Ἐκ τῆς βύβλου πυθμένων) Medullas Rhodom. ego imum papyri thyrſum malim. Sic ἀμπέλου πυθμένα Strabo II, pag. 125, & XI, p. 785 C. πυθμένα τοῦ φοίνικος Plutarch. T. II, p. 166 A. & πυθμένα τοῦ πυροῦ Theophraſt. II H. Pl. 3, vitis, palmae culmique triticei partem infimam vocant. Mandi vero in Aegypto eam papyri particulam, quae radici paene cohaeret, ex Herodot. II, 92, novimus, & Melchiore Guilandino, qui ſe id ſaepe vidiſſe aſſeverat in Comment. de Papyr. p. 80. WESS.

ead. l. 5. Καὶ τῶν καυλῶν τῶν ἑλείων) Arundinem, τὸν κάλαμον τὸν ἐν τοῖς ἕλεσι, qui & ſuavitate & alimenti copia praeſtabat, Theophraſto VI Cauſſ. Plant. 16, indice. Vide ſupr. c. 10, & quae de his Aegyptiorum plantis co-

pioſe & cum cura diſputavit O. Borrichius Hermet. cap. 4. Wess.

ead. l. 7. Ἀνυποδέτων &c.) Phrynichus, Moeris, Suidas & Thomas Magiſter vocem damnant, ſubſtituta ἀνυποδήτων· quorum decretum Lyſias in Dionyſii T. II, p. 90, Aelian. VII V. H. 13, & X H. A. 24, Longus II Paſtor. pag. 67, Lucian. in Icaromenip. & Aſin. & Noſter etiam III, 34, repudiant. Wess.

ead. l. 11. Πολυανθρωπία διαφέρειν) Cf. ſupr. c. 31. Wess.

ead. l. 15. Τά τε ἱερὰ καλούμενα) Literarum Aegyptiarum tria potiſſimum erant genera, τὰ ἐπιστολογραφικὰ, ἱερατικὰ, & ἱερογλυφικὰ, quorum priora δημώδη erant & dicebantur, quod omnes e vulgo ea edocerentur, reliqua, quae uno ἱερῶν nomine continentur, ſoli ſacerdotes liberis tradebant: haec Clemens Alex. V Stromat. p. 657, Porphyr. Vit. Pyth. p. 15, & Diodor. III, 4, ubi plura. Wess.

ead. l. 16. Γεωμετρίαν δὲ καὶ τὴν ἀριθμητικὴν) Utramque ſtatim cum ipſis literis iuventutem ſtudioſe docebant, Platone VII Leg. p. 819 A. auctore: Arithmeticam inprimis, quam cum in Aegypto accuratius eſſet edoctus, κατὰ τὸ Αἰγυπτιακὸν ἀρέσκον, ex eius gentis placitis, σύστημα τῶν μονάδων, *unitatum collectionem*, definit Thales apud Iamblich. in Nicomach. Arithmet. p. 11. Quare & Moſes utramque puer admodum, ſi verum aſſecutus eſt Philo Iud. I Vit. Moſ. p. 606 A. inbibit. Wess.

Pag. 239. *l.* 4. Ταύτας δ' οὐ ῥάδιον &c.) Hanc eandem Geometriae originem Hero in Geometria ſua, cuius partem excerpſerunt Benedictini Analect. Graec. p. 311, Servius Eclog. Virgil. III, 41, Iamblich. Vit. Pythag. c. 29, & plures alii profitentur. Wess.

ead. l. 11. Παρατηρήσεως τῶν ἄστρων) Confer ſupr. cap. 50. Wess.

ead. l. 13. Ἐξ ἐτῶν ἀπίστων τῷ πλήθει) Si Platonem Epinomid. p. 987 A. audis, χρόνῳ μυριετεῖ καὶ ἀπείρῳ, decem millium annorum, (confer II Leg. p. 656 E.) & paene infinito tempore, in ſideribus obſervandis aſſidui fuere; qua in re gentis, a qua haud pauca acceperat, ambitioni multum dediſſe videtur. Habuiſſe tamen aſtrorum obſervationes, multis ante Diodorum aetatibus diligentiſſime collectas, negari non poteſt. Vide Proclum in Plat. Timaeum p. 31 & 45. Wess.

ead. l. 16. Καὶ στηριγμοὺς) Στηριγμοὺς appellant quaſ-

dam aſtrorum quaſi *conſiſtiones*, ut Gelliano verbo dicam, cum ea nec progredi, nec recedere videntur. Baſilius M. Homil. I in Hexaëmer, p. 5 A. *καὶ ἐπαναφορὰς ἄστρων, καὶ στηριγμοὺς, καὶ ἀποκλίσεις δι' ἀκριβείας τηρήσαντες*. Conf. Arati Schol. Phaen. 460. Wess.

Pag. 240. *l*. 1. Τῶν ζώων γενέσεις) Sectabantur hoc genus Aſtrologiae Aegyptii diligentiſſime, Herodoto II, 82, & Galeno III Dier. Decret. pag. 447, & Porphyrio in Eclog. Eth. Stobaei p. 203, auctoribus, opinati ex aſtrorum vi & lunae tactu vitae valetudiniſque habitum pendere. Quare & medicinam Aſtrologiae & utrique *τὴν τελεστικὴν*, ſeu myſticam quandam ſacrorum & initiandi rationem, iungebant, ſi fides Scholiaſtae Ptolem. in Tetrabibl. p. 15, & xxxvi Decanos totidem corporis humani partibus praeficiebant apud Origen. VIII C. Celſ. 58, p. 785, inque legendis herbis multa ſuperſtitione ex Hermetis quodam libro utebantur. Atque hanc medicinae eorum partem amplexus eſt Pamphilus Alexandrinus, qui herbarum imagines & vires *κατὰ στοιχεῖον*, ſive ordine alphabetico, digeſſit, docente ex Galeno V ſimpl. Medic. Fac. p. 68 Lambecio II Bib. Vindob. p. 535. Non equidem ignoro, multa L. Kuſterum ad Suidae *Πάμφιλος* Lambecio reſcripſiſſe, interque alia, Galenum *nec de herbarum iconibus nec de ordine alphabetico ullam mentionem feciſſe*: quod equidem factum nollem: nam & *ἰδέας τῶν βοτανῶν* illi tribuit Galenus, & ita deſcribit, ut imagines eſſe debeant, & praeterea ſe *κατὰ στοιχεῖον* ſuum opus concinnaſſe, uti olim Pamphilus. Οὕτω δὲ, inquit, *καὶ Πάμφιλος ἐποιήσατο τὴν περὶ τῶν βοτανῶν πραγματείαν·* quod & ipſo herbarum ordine, quem probaverat, firmatur: primo enim loco Ἀβρότονον, tum *ἄγνον, ἄγρωστιν, ἄγγουσαν, ἀδίαντον* poſuerat. Verum hoc obiter; nunc ad inſtitutum. Wess.

ead. l. 8. Καὶ κομήτων ἀστέρων ἐπιτολὰς) An & hinc, ut alia, Pythagoreorum illi acceperunt, qui cometen *τῶν οὐκ ἀεὶ φαινομένων, διά τινος δὲ ὡρισμένου χρόνου περιοδικῶς ἀνατελλόντων* ex earum ſtellarum numero perhibebant, quae non ſemper videntur, ſed ſtato tempore certaque revolutione oriuntur apud Plutarchum III Placit. Philoſoph. T. II, p. 893 B. Ut ut id fuerit, oportet in ſiderali ſcientia noſtrae aetatis Aſtronomos longe praeterierint, quibus adeo felicibus necdum eſſe licuit, ut crinitarum ſtellarum ortus & reditus liquida ratione finirent. Wess.

ead. l. 12. Τοὺς ἐν Βαβυλῶνι Χαλδαίους) Conf. ſupr. cap. 28, & II, 29. Wess.

Pag. 241. *l.* 4. Καὶ μουσικὴν μανθάνειν) De Muſica diſtricte obloquitur Plato II Leg. p. 656 & 657, Iſidis quaedam poëmata, certis modis cantari ſolita, Aegyptiis tribuens. Iam cum inter ſacrorum adminiſtros fuerit ᾠδὸς, qui ſolemni in pompa σύμβολον τῆς μουσικῆς geſtabat apud Clement. Alex. VI Stromat. p. 757, & Herodot. II, 79, cantilenae eorum meminerit, haud profecto male inter artes, quas Moſes in Aegypto edoctus eſt, Philo Iud. I Vit. Moſ. p. 606 A. μουσικὴν σύμπασαν, omnem muſicam, quae & inſtrumentis & aſſa voce peragitur, enumerat. Wess.

ead. l. 7. Ἀλλὰ ῥώμην ὀλιγοχρόνιον) His paria diſputat Galenus eo libro, quo ad Thraſybulum inquirit, utrum muſica an gymnaſtice ad valetudinem plus conferat, pag. 300. Quod autem brevi poſt Mut. & Co. τῶν ἀκουόντων ψυχὰς praeferunt, etſi blandiri poſſit, ex Grammatici Scholio veniſſe ſuſpicor. Wess.

ead. l. 12. Κλυσμοῖς καὶ νηστείαις) Hoc ſequor; nam vulgo quod κλυσμοῖς additur καὶ ποτίμοις τισὶ καθαρτηρίοις, id librario deberi, vetuſti Codd. reſque ipſa indicant. Probabant Aegyptii medicinam οὐ διακεκινδυνευμένοις φαρμάκοις χρωμένην, quaeque periculoſa medicamenta vitabat, apud Iſocrat. Laud. Buſir. p. 330; hinc vomitu & clyſteribus praecipue purgabantur, ut hic Diodor. & ante eum Herodot. II, 77, tum etiam Diogenes Laërt. III, 6, admonent: neque ad ea tamen citius, quam per leges licebat, decurrebant; ſecus, ſuo periculo faciebant ex veteri conſtitutione in Ariſtot. III Polit. 11. Quae mox ſequuntur καθ' ἑκάστην ἡμέραν &c. ea Conringio melius accepiſſe videtur O. Borrichius Hermet. c. 6, p. 160. Wess.

Pag. 242. *l.* 3. Καὶ τὰς ἐπὶ τῆς &c.) Ἐπὶ ſuppoſititium videtur. Rhod. Ἀπὸ τῆς χώρ. malebat Urſinus. Ego Clarom. auctoritate praepoſitionem induxi. Wess.

ead. l. 8. Τοῖς ἐκ τῆς ἱερᾶς βίβλου νόμοις) Sex libros, qui ad medicinam Aegyptiorum pertinerent, habet Clemens Alex. VI Strom. p. 758: περὶ τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς, περὶ νόσων, περὶ ὀργάνων, περὶ φαρμάκων, περὶ ὀφθαλμῶν, περὶ γυναικείων· qui unone volumine fuerint comprehenſi, an alium intellexerit Diodorus, non habeo dicere. Wess.

ead. l. 11. Θανάτου κρίσιν ὑπομένουσι) Non licuiſſe Aegyptiis in artium, quas profitebantur, ſtudio quidquam

καινοτομεῖν & Plato II Leg. p. 656 D. indicat; acerbior tamen haec lex. Alioqui ut *medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commiſit, imputari ei debere,* recte ſciſcit Ulpian. L. 6, §. 7 D. de Offic. Praeſ. nam, ut Perſius V, 97,

Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo,
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluit helleborum certo compeſcere puncto
Neſcius examen. Vetat hoc natura medendi. WESS.

Pag. 243. *l.* 4. Τοὺς ἰχνεύμονας καὶ νυφίτζας) Quid hoc ſit, non in Graeciae antiquitate, ſed barbarie Scythica, inquiratur. RHOD. Ἰχνεύμονας καὶ κύνας) Barbaram & ſerioris Graecitatis vocem, qua Scholiaſtes ἰχνεύμονας explicuerat, induxi. Νυμφίτζας & νυφίτζας muſtelas, feles, mures marinos vocitant. Suidas in Ἀσκαλαβώτης, Ἔστι δὲ, inquit, ζωΰφιον ἐοικὸς σαύρᾳ, ἐν τοῖς τοίχοις τῶν οἰκημάτων ἀνέρπον. ἢ καὶ ὁ ποντικὸς, καὶ ἡ κοινῶς λεγομένη Νυμφίτζα· ubi & doctiſſimus L. Kuſterus haec Diodori tetigit, & Graeco-barbaram vocem delendam eſſe monuit. Adde Du Cange Gloſſar. Νυμφίτζα, & de ichneumone ſupr. c. 35. WESS.

ead. l. 14. Ξυρήσαντες γὰρ τὰς τρίχας) Paulo diſtinctius Herodot. II, 65. Nec ſolis is mos Aegyptiis; nam & alibi terrarum ex morbis priſtinae ſanitati reſtituti caput tondebant. Ἐκ μεγάλης νόσου σωθέντες ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι, inquit Artemidor. II, 23. WESS.

Pag. 244. *l.* 1. Οἱ δὲ τοῖς μὲν ἱέραξι &c.) Haec cura erat eorum, quos ἱερακοβοσκοὺς a paſtu earum avium vocabant, de quorum ſtudio in accipitribus alendis plura Aelian. VII H. A. 9. WESS.

ead. l. 5. Καὶ ποππύζοντες) Non male Schol. Cod. R. καὶ διὰ κολακείας τινὸς προσκαλούμενοι. Solet in equis ceteriſque animalibus, cum alliciuntur aut placantur, eſſe frequens. Plutarch. VII Sympoſ. T. II, p. 713 B. σιγμοῖς δὲ καὶ ποππυσμοῖς ἀμελέσιν τὰ θρέμματα ἐγείρουσι καὶ κατευνάζουσι· quo loco cur Xylander συριγμοῖς malit, non perſpicio. Σιγμοῦ ex ſono fictum eſt vocabulum, eademque in re tritum Plutarcho: nam & de Socrat. Gen. pag. 593 B. de equis, εὐθὺς ἀπὸ σιγμοῦ τοῦ τυχόντος, ἢ ποππυσμῷ τὸ προσταττόμενον αἰσθανόμενοι, ait; & VIII Sympoſ. 3, p. 722 A. σίζειν καὶ ψοφεῖν· & dein τὸν σωμάτων

σιγμὸν habet, vocemque egregie firmat. Hinc *ποππύζειν* tranſiit ad blanditias verborum, quibus homines concilian-tur. Aeſchin. Socrat. Dial. III, 12, *τίς γὰρ ἂν εὐδαιμονήσειε πρὸς ὄχλον ζῶν, εἰ ποππυσθείη καὶ κροτηθείη δήμου παίγνιον, ἐκβαλλόμενον, συριττόμενον·* ſic poſteriora lego ex Stobaeo: ſunt enim translata de hiſtrionibus; qui ſtare cum non poſſunt, eiiciuntur & exſibilantur. Et *ποππυσμὸς* Plutarchus T. II, p. 545 C. *οὐ γάρ ἐστι δημαγωγοῦντος οὐδὲ κρότον οὐδὲ ποππυσμὸν αἰτοῦντος.* Wess.

ibid. Τῶν ἰχθύων κατατέμνοντες) Omiſſum *τινὰς*, quod Atticis reliquiſque frequens. Ioſeph. I B. I. 13, 5, Diogen. II, 133, S. Luc. A. A. XXI, 16, & infr. XI, 53. Vide ſupr. c. 13. Atque haud ſcio, an defectum hunc ſarcire librarius M. ſuo *ὠμῶς* ſive *ὠμοὺς* voluerit: quo tamen ſine damno carebimus. Wess.

ead. l. 10. Ἐπαισχύνονται) Iubent ſcripti Codd. hoc & *γινόμενοι* ſuum in locum recipi. *Γίνεσθαι εἰς* & *περὶ* ſaepe idem eſt, ac re aliqua diſtineri, illique intentum eſſe. Vide XI, 8, XIII, 107, XIV, 26. Wess.

ead. l. 14. Ὑπὸ τῶν ἁπάντων) Requirit rei ordo *ἀπαντώντων*, *ab illis*, *qui obviam veniunt:* in vulgato, quod ſcripturae quodam compendio hinc natum arbitror, non acquieviſſe librarios, Codd. diſcordia teſtificatur. Quae ſequuntur, Euſebius excerpſit II Praep. Evan. p. 50 D. Wess.

Pag. 245. *l.* 3. Εἰς τὰς ταριχείας) Sacris animalibus eundem paene honorem deferebant, quem hominibus fato ſuo functis; quare & ſuos ſibi *ταριχευτῆρας* habebant, quos Aelian. X H. Animal. 20, *τοὺς ταῖς ταριχείαις τῶν ζώων ἐφεστῶτας καὶ δεινοὺς τὴν δὲ τὴν σοφίαν* appellat. De *κεδρίᾳ*, ſive oleo cedrino, c. 91. Wess.

ead. l. 6. Ἐν ἱεραῖς θήκαις) Vid. Herodot. II, 67. Superant in noſtram uſque aetatem aves Aegyptiorum more modoque conditae; cuiuſmodi ſe vidiſſe & in Galliam aſportari curaſſe P. Lucas IV Itin. Aegypt. p. 347, & multis ante eum annis Io. Gravius Pyramidogr. pag. 48, memorat. Wess.

ead. l. 7. Θανάτῳ περιπίπτει) Videtur his deeſſe *ἄκων δ' οὔ·* quod ſi excidiſſe neges, ad pleniorem ſenſum requiri non negabis, ubi Herodot. II, 65, in conſilium adhibueris. Adde Ciceron. V Diſp. Tuſcul. 27. Wess.

Pag. 246. *l.* 1. Τὸ τετελευτηκὸς) Malim *κατειλῆφθαι τοῦτο τετελευτηκός.* Steph.

ead. l. 5. Οὔπω προσηγορεύετο φίλος) Ptolemaeus Auletes ſocius atque amicus P. R. conſule Iulio Caeſare appellatus eſt. Sueton. Caeſ. 54: *In primo conſulatu ſocietates & regna pretio dedit; ut qui uni Ptolemaeo prope VI millia talentorum ſuo Pompeiique nomine abſtulerit.* Quare, quod hic geſtum narratur, contigit anno I Olymp. CLXXX, quo Aegyptum Diodorus ſe inviſiſſe ait c. 44. WESS.

ead. l. 13. Ἀπὸ τῆς Ῥώμης φόβος) Metus populi Romani, quem τὸν ἀπὸ Ῥωμαίων φόβον in Excerpt. Valeſ. p. 337, ſicuti eorundem pag. 382 metum, quem Carthaginienſes oſtentabant, τὸν ἀπὸ Καρχηδόνος φόβον, appellat. Conf. infr. IV, 47. WESS.

Pag. 247. *l.* 10. Ξυρῶνται ὅλον τὸ σῶμα) Et caput & reliquas eius partes, ſecus atque in fele mortua, quando ſola dumtaxat ſupercilia radebant, Herodot. II, 66. Adde Syneſii Encom. Calv. p. 70 D. Ceterum οἱ κατ' οἶκον ſine ὄντες ſcribi iubet, nec male, Urſinus. WESS.

ead. l. 12. Ἐὰν οἶνος ἢ σῖτος &c.) Non multum hinc diſcrepat lex Moſaica Levit. XI, 32 &c. WESS.

Pag. 248. *l.* 1. Λυπούμενοι τοὺς αἰλούρους) Concinne Anaxandrides Aegyptio militum conductori in Athen. VII, 13, p. 300 A. σὺ μὲν τὸν αἴλουρον, inquit, κακὸν ἔχοντ' ἢν ἴδῃς Κλαίεις· ἐγὼ δ' ἥδιστ' ἀποκτείνας δέρω· quae egregie gentis ſuperſtitionem illuſtrant. Iam quae mox conſequuntur, ea Euſeb. II Pr. Ev. p. 50, excerpſit. WESS.

ead. l. 6. Ἐν Μένδητι) Hanc veriſſimam eſſe lectionem, Stephanus cum Strabone docet. RHOD. Bene Rhodom. De eodem hirco Plut. T. II, p. 380 E. οἷόν ἐστιν Ἶβις καὶ ἱέραξ καὶ κυνοκέφαλος, αὐτὸς ὁ Ἆπις· οὕτω δὴ γὰρ τὸν ἐν Μένδητι τράγον καλοῦσι: quo loco id mihi per ſane mirum accidit, hircum eum *Apin* dici. Atqui Μένδης Aegyptiorum ſermone Pan & hircus, unde nomo & urbi id nomen apud Herodot. II, 42, 46, non Apis, quippe bos ſacer. Itaque aut excidit huic loco καὶ Μένδης, aut ſcripſit ὁ Θμοῦϊς, quo nomine Aegyptii idem animal deſignabant, teſte Hieronymo in Eſai. XLVI. WESS.

ead. l. 8. Ἐν τῇ Λεόντων πόλει) Sic malunt ſcripti Codd. alterum auctoritate Strabonis & Ptolemaei ſe tueri poteſt. Vide ad Hieroclem Synecdem. p. 728. Non longe autem Mendetem & Leonum hanc urbem disiunctas fuiſſe, ex Strab. XVII, p. 1154, videbis. WESS.

ead. l. 14. Ἑψῶντες ἐν γάλακτι) Mallem ἕψοντες, quod

mox in R. & Cl. 2. aut certe ἐψοῦντες, ut cap. 80, quod paulo quidem rarius, nec inſolens tamen, uti Euſtath. in Homer. pag. 1482 docebit. Habet ἐψῶντες Etymolog. in Ἕλυμος, ſed improbatum a viro, in his literis plurimum callente, F. Sylburgio. WESS.

Pag. 249. *l.* 4. Μεγάλην εἰσφέρονται σπουδὴν) *Omne ſtudium conferunt:* quod genus frequens admodum. Baſil. M. T. II, p. 181 D. τὸ γὰρ πᾶσαν σπουδὴν εἰσφέρεσθαι, ὅπως &c. atque ita ſupr. c. 83, οἱ δ' ὄχλοι πᾶσαν εἰσεφέροντο σπουδήν· & XIV, 108, XV, 34. WESS.

ead. l. 11. Ὁμοφύλους θηλείας) De Apidis apud Memphitas commodis, ſunt illi, inquit Aelian. XI H. A. 10, p. 648, καὶ θηλειῶν βοῶν ὡραίων οἶκοι, οἱονεὶ θάλαμοι, ὅτε ἐθέλοι καὶ ἣν ἐρᾷ θυμὸς ἀναβαίνειν. Aliter Plinius VIII N. H. c. 46, & ex eo Ammian. XXII, 14. WESS.

ead. l. 15. Ποιοῦσι μὲν τοῖς στερουμένοις) Erit fortaſſe, cui πενθοῦσι Codd. M. Co. non diſplicebit; nec cauſa tamen gravis eſt. Ἶσα ſaepe eum locum capeſſit, qui τῷ ἴσως debebatur, ut c. 89, ἐνομοτέθη τιμᾶν ἶσα θεοῖς. Oppian. Halieut. II, 326, Ἶσά γ' ἀριστῆϊ προμάχῳ στρατοῦ &c. Pauſan. II, 2, p. 116, ἡ Πυθία χρᾷ τὸ δένδρον ἐκεῖνο ἶσα θεῷ σέβειν. Conf. Exc. Valeſ. p. 246. WESS.

Pag. 250. *l.* 10. Εἰς τὰς ταφὰς αὐτῶν) Hoc rerum ſeries poſtulat, non τροφάς· quare & confidenter mutavi, tantoque magis, quod commutare librariis haec vocabula moris ſit. Narrat Plut. Iſid. & Oſir. T. II, pag. 359 D. omnes Aegyptios ad funeranda animalia, quae ſacra cenſebantur, ſumtus contuliſſe, praeter Thebanos, nullum Deum mortalem arbitratos. Graeca, ut mendum eluam, adſcribo: Εἰς δὲ τὰς γραφὰς τῶν τιμωμένων ζώων, τοὺς μὲν ἄλλους συντεταγμένα τελεῖν, μόνους μὴ διδόναι τοὺς Θηβαΐδα κατοικοῦντας, ὡς θνητὸν θεὸν οὐδένα νομίζοντας. Vertit interpres, *cum autem ad alenda animalia* &c. ac ſi τροφὰς legiſſet, aut ſcribi oportere decreviſſet. Tu mecum ταφὰς praeopta, quod res ipſa. & quae Plutarchus prioribus adſtruit, requirunt manifeſto. WESS.

ead. l. 16. Παράσημα τὰ παραπλήσια) Haec numero XXIX fuiſſe, Aeliano Aegyptii perſuaſerunt XI H. A. 10, atque hinc puto factum, ut inter ſcriptores de Apidis ingenuis notis haud bene conveniat. Vide viros doctos in Strabon. XVII, p. 1160, & Ammian. XXII, 14, p. 360. Id tantummodo addam, Schol. Ptolemaei in Tetrabibl. p.

2 auctorem eſſe, caudam eius bovis cum luna augeri & minui ſolitam. Wess.

Pag. 251. *l.* 3. Εἰς Νείλου πόλιν) Promiſcue Νειλόπολιν & Νείλου πόλιν appellant, ſitam in inſula Heracleotica: Ptolemaeus IV, 5, prius, poſterius Euſeb. VI H. E. 42, probat, quod poſt L. Holſten. in Steph. Νεῖλος monere haud neglexit Ch. Cellar. Geogr. I, p. 63. Illud autem οἷς ἐστιν ἐπιμελὲς reſpicit τοὺς γραμματέας ἱεροὺς καὶ προφήτας, horum enim ea cura apud Aelian. XI H. A. 10, & elegans eſt. Herodot. II, 150, ἐπιμελὲς γάρ δή μοι ἦν. Conf. Ezech. Spanhem. Diſſ. IX de Uſu & Praeſt. Num. p. 714. Wess.

ead. l. 4. Εἰς θαλαμηγὸν ναῦν) Hanc Suetonius (Caeſar. 52) *navem thalamegum*, terminatione ad femininum non inflexa, vocat. Seneca (VII Benef. 20) vero Graecum nomen quodammodo interpretatus, id genus naves *cubiculatas* appellat. Nos utrumque interpretatione hac complecti voluimus. Diſcrimen inter τέμενος, σηκὸς, ναὸς hoc eſt. Τέμενος agrum Deo conſecratum, & quaſi reſectum a ceteris, ſignificat. Ναὸς in genere templum eſt. Σηκὸς autem locus in templo, ubi ſtatuae Deorum collocantur, quaſi στηκὸς ab ἵστημι. Rhod.

ead. l. 9. Ἀνασυράμεναι) Ἀνασύρεσθαι eorum eſſe, qui veſtem conſulto conſilio adducunt, Iſ. Caſaub. in Sueton. Aug. 82, & Theoph. Charact. II admonuit. Honeſte philoſophus Teles de Lacaena, quae filiis cum dedecore ex proelio fugientibus, ποῦ φησιν οἱ καταφεύγοντες, ἢ δεῦρο καταδυσόμενοι ὅθεν ἐξεδύετε; ἀνασυραμένη καὶ δείξασα αὐτοῖς, in Stobaei Serm. cvi, p. 576. Adde Diogen. II, 116, nec auſculta tamen Aeg. Menagio. Wess.

ead. l. 14. Εἰς τοῦτον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετέστη) Profitebantur Aegyptii, Apin eſſe εἴδωλον τῆς ἐκείνου ψυχῆς, ſive animae Oſiridis ſimulacrum, in Plut. Iſid. & Oſ. T. II, p. 359 B. & 362 D. rati animam eius per quandam μετεμψύχωσιν in bovem, quoties novus appareret, transfundi. Vide Io. Marsham. Can. Chron. p. 60. Wess.

Pag. 252. *l.* 1. Τὰ μέλη συναγαγοῦσαν) Conf. ſupr. c. 21. Mox βύσσινα non muto. Ioan. Apocalyp. XVIII, 16: ἡ πόλις ἡ μεγάλη ἡ περιβεβλημένη βύσσινον. Wess.

ead. l. 4. Ὀνομασθῆναι Βούσιριν) Diceres haec excerpſiſſe Stephanum in Βούσιρις, qui, nominis cauſas exponens, ἐκεῖ λέγεται θάψαι τὸν Ὄσιριν Ἶσις, ἐμβαλοῦσα εἰς ξυλίνην βοῦν, ὥστε Βουσόσιριν εἶναι τὴν πόλιν. Sic lego: neque enim

Noſtri locus patitur, ut de emendatione, quae in Stephano feliciſſime S. Bocharto Hieroz. P. I, Lib. II, 34, p. 345, ceſſit, vel tantillum addubites. Sita urbs erat medio in Delta, Herodot. II, 59, teſte, nobilitata tumulo, qui Oſiridis reliquias complectebatur, ſi verum accepit Eudoxus in Plut. Iſid. & Oſir. pag. 359 D. Conf. infr. cap. 88. WESS.

ead. l. 11. Ὃ προειρήκαμεν) Vide c. 21. WESS.

ead. l. 14. Τῆς ἀρχαϊκῆς ἁπλότητος &c.) Priſcae ſtolidaeque, quo modo ſaepe Ariſtophanes atque alii. Παιδάριον εἶ καὶ φρονεῖς ἀρχαϊκὰ, Nubib. 817; hinc ἄνοια καὶ τρόπου ἀρχαιότης Alciphr. III Epiſt. 64, & ἀρχαίους ἀποδεῖξαι Aelian. I H. A. 25. Vid. Ezech. Spanhem. in Comici Plut. 323. Recte vero Plut. Iſid. & Oſir. p. 379 E. de eorum opinione, qui Deos, metu perculſos, in animalium corporibus ſe abdidiſſe nugabantur, πᾶσαν, inquit, ὑπερπέπαικε τερατείαν καὶ μυθολογίαν. Haec autem omnia Euſeb. II Pr. Ev. p. 49, exſcripſit. WESS.

Pag. 253. *l.* 2. Ὁμοιωθῆναι τισὶ τῶν ζώων) Fabulam explicat Ovid. V M. 327: *Duxque gregis, dixit, fit Iuppiter; unde recurvis Nunc quoque formatus Libys eſt cum cornibus Ammon. Delius in corvo, proles Semeleïa capro, Fele ſoror Phoebi, nivea Saturnia vacca, Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidos alis.* A quo in paucis abit Lucian. Sacrif. c. 14; concinit autem Hygin. II Poët. Aſtron. 28, modo *Dianam aeluro ſimulatam* cum viris doctiſſimis Flavio & Munkero probes. Praeivit in hoc genere Graecis Latiniſque Pindarus, qui ἐν προσῳδίοις Deos finxit, cum a Typhone premerentur, οὐκ ἀνθρώποις ὁμοιωθέντας, ἀλλὰ τοῖς ἀλόγοις ζώοις, Porphyr. III Abſt. 16. WESS.

ead. l. 8. Πολυτελῶς ζῶντα &c.) Tueri ſe potuerat ἐπιμελῶς, niſi contra id ſtarent ſcripti Codd. quorum ſingularis in πολυτελῶς conſenſus firmatur c. 84. Confer XIV, 13. WESS.

ead. l. 14. Ἐπὶ σαυνίων φορεῖν) *Saunium* pili genus barbaricum erat. Heſych. Σαυνίον, ἀκόντιον βαρβαρικόν· quare & Luſitanos V, 35, Perſaſque XIV, 27, XVII, 20, eo inſtruxit, ac Galli σαυνιάζουσι τοὺς ἐναντίους V, 29. Strabo quoque Perſis & Indis attribuit XV, pag. 1044, cum Caſaub. nota. Moris, quo de Diodor. auctorem perhibent Oſirin, cum nobilem eam expeditionem, ſuperius c. 18 deſcriptam, ingrederetur, Plut. Iſ. & Oſir. p. 379 F. WESS.

Pag. 254. *l.* 8. Τρίτην δ' αἰτίαν &c.) Tertiam hanc animalium apud Aegyptios cultus cauſam tetigit & Cicero I N. D. 36, *ipſi*, inquiens, *qui irridentur, Aegyptii nullam beluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt*, quique ibi a Daviſ. ſunt excitati. Wess.

ead. l. 11. Ἐργάτας τίκτειν) Bovis, arietis, hircique cultum, etſi perridiculum, excuſari quodam modo poſſe, ταῦτα μὲν ἴσως, ait, ἔχει τινὰ λόγον· ἡμερώτατα γὰρ καὶ ὠφελιμώτατα βίῳ· ἀροτὴρ ὁ βοῦς, αὔλακας ἀνατέμνειν εἰς τὰς σπορὰς δυνατώτατος· ὁ κριὸς τῶν σκεπασμάτων τὸ κάλλιστον ἐσθῆτα παρέχει, Philo Iud. Decal. pag. 755 C. ſatis concinne ad mentem opinionemque Aegyptiorum. Wess.

Pag. 255. *l.* 2. Κυνὸς ἔχοντα κεφαλὴν) Virgilii VIII Aen. 698 *Latrator Anubis* in Aegypto κυνὶ τὸ εἶδος ἀπεικάζεται, canino capite fingebatur, Plut. Iſ. & Oſir. p. 368 E. idque ob cuſtodiendi aſſervandique ſtudium, quo canem aequiparabat; quam formae huius cauſam ita exſequitur Proclus in Platon. Polit. p. 417: Καὶ ἐοίκασιν ἄρα διὰ ταῦτα καὶ οἱ τὰ θεῖα σοφοὶ ταύτην κατιδόντες τῶν κυνῶν τὴν ἰδιότητα τὴν φυλακτικὴν, τοῖς φρουρητικοῖς αὐτοὺς οἰκείους θεοῖς ὑπολαβεῖν, καὶ ΚΥΝΟΠΡΟΣΩΠΟΝ αὐτὸν ἐν τοῖς εἴδεσι ποιεῖν· ὡς τὸν ΑΝΟΥΒΙΝ Αἰγύπτιοι, τὸν τοῦ Ὀσίριδος ΦΡΟΥΡΟΝ. Quae ſequuntur de canibus, qui Iſidi, Oſirin laceratum inveſtiganti, duces ſe praebuerint, ea & Aelian. X H. A. 45, iiſdem paene verbis explicat; id tamen male, niſi ſi vitium eius orationem occuparit, quod Oſiridem Iſidis filium facit. Wess.

ead. l. 8. Τοῖς Ἰσείοις προπορεύεσθαι τοὺς κύνας) Conf. ſupr. cap. 14. In Iſidis ſolemni pompa non canes tantum, ſed & canino capite inſignes aliqui procedebant; quo habitu Voluſius, a Triumviris proſcriptus, feliciſſime ſe periculis expedivit, & ad Pompeium in Siciliam tramiſit. Appian. IV B. C. 4, p. 990, ᾔτησε (Iſiacum, quo amico utebatur,) τὴν στολὴν καὶ τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις καὶ τὴν τοῦ ΚΥΝΟΣ ΚΕΦΑΛΗΝ ἐπέθετο, καὶ διῆλθεν οὕτως ὀργιάζων αὐτῷ σχήματι εἰς Πομπήϊον. Quam quidem perſonam qui geſtabant, Anubidem exhibebant, ut in ea ſolemnitate, de qua Apuleius XI Metam. p. 262: *nec mora, cum Dei, dignati pedibus humanis incedere, prodeunt; hic horrendum attollens canis cervices arduas Anubis, ille ſuperum commeator & inferum:* neque enim dubium mihi eſt, quin Ma-

daurenſis philoſophus ita ſcripſerit; & favent *Anubidi* praeter Beroaldi editionem Mſſ. Florent. & Bertin. Wess.

ead. l. 11. Θανάσιμα δακνούσας &c.) Morſum earum certa & cita mors ſequebatur. Philo Iud. I V. M. p. 619 A. ὧν τὰ δήγματα πέφυκεν ἀνυπερθέτως ἀναιρεῖν. Notaque in vulgus ſunt, quae reginae Cleopatrae & ancillis evenerunt, quaeque Galen. Theriac. ad Piſon. p. 460 ſe Alexandriae vidiſſe memorat. Wess.

ead. l. 13. Τὸν δὲ ἰχνεύμονα) Vide cap. 35. Mox καταληφθέντα probavi; omnia enim ichneumon, quae nanciſci poteſt, crocodili ova conterit. Confer Aelian. X H. A. 47. Wess.

Pag. 256. *l.* 2. Ἄβατον ἂν γενέσθαι τὸν ποταμὸν) Sic de fundo maris Aelian. IX H. A. 35, ἣ καὶ τούτοις μὲν ἄβατά ἐστι. De inſidiis, quas ichneumon aſpidibus & crocodilo tendit, Strabo XVII, p. 1166. Wess.

ead. l. 11. Τῶν δ' ὀρνέων τὴν μὲν ἶβιν &c.) Cicero I N. D. 36: *Velut ibes, quae maximam vim ſerpentium conficiunt, cum ſint aves excelſae, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro; avertunt peſtem ab Aegypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libyae vento Africo invectas interficiunt atque conſumunt.* Duum erant generum, aliae ciconiarum in morem variae, aliae nigrae: διττὴ τὴν χρόαν· ἡ μὲν πελαργώδης, ἡ δὲ ὅλη μέλαινα, Strabo ait XVII, p. 1179 B. cui iungendus, qui Herodoteam deſcriptionem taxavit, Theon Progymn. c. 11, p. 122. Serpentes autem conficere praeter eos, quos Ciceroni adſcripſit Daviſ. & plura de benefica hac ave habent Aelian. X H. A. 29, Plutarch. Iſid. & Oſ. p. 381 C. & Euſeb. IX Pr. Ev. p. 432. Wess.

ead. l. 14. Καὶ τὰ μικρὰ τῶν δακέτων) Diceres haec Aelian. X H. A. 14 ob oculos habuiſſe: ὄφεών τε, ait, καὶ δακέτων θηρίων ὁ αὐτός ἐστιν ἔχθιστος· οὐκ ἂν γοῦν αὐτὸν διαλάθοι οὔτε ὄφις, οὔτε σκορπίος. Vim fatidicam, quam avi tribuebant alii, mire illi auxerunt, qui mortuam divinatricem & futurorum ſcientiſſimam aſſeverabant in Porphyr. IV A. A. 9, p. 154. Wess.

Pag. 257. *l.* 4. Φοινικοῦν ῥάμμα) Niſi ſuperiora officerent, φοινικοῦν ῥάμφος blandiri poſſet: ſolebant enim eiuſmodi roſtro & homines, ῥάμφεσι τῶν ἱεράκων ait Syneſ. Calv. Encom. pag. 73 A. & templorum veſtibula ornari, Porphyr. IV A. A. 9. Hinc vero lucem accipit Clem. Alex. VI Strom. p. 757, cum de ſcriba ſacrorum, ὁ ἱερογραμμα-

τεὺς προέρχεται, ἔχων πτερὰ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς· liquet enim accipitris fuiſſe pennam. Wess.

ead. l. 8. Διὰ τὸ βασιλικὸν εἶναι) De cygno & aquila Syneſius Dion. p. 54, βασίλειοί τε εἰσὶν ἐκεῖνοι καὶ διαιτῶνται παρὰ τὰ τοῦ Διὸς σκῆπτρα· neque enim aſſentiri poſſum G. Io. Voſſio IX Theol. Gent. 14, non aquilam, ſed accipitrem fuiſſe cenſenti, qui laxius accepta voce aquila vocetur: diſtinguit enim manifeſte utramque avem Diodorus. Conf. Serv. IX Aeneid. 564. Wess.

ead. l. 11. Τὸν Πρίαπον) Vid. infr. III, 6, & Lucian. Dea Syr. c. 16. Wess.

Pag. 258. *l.* 2. Οὐκ Αἰγυπτίους μόνον &c.) Diximus ſupr. c. 22. Wess.

ead. l. 5. Παραλαβόντας πατρικὰς ἱερωσύνας) Plato eiuſmodi ſacerdotia, quae a parentibus ad liberos tranſeunt, πατρίας ἱερωσύνας appellat VI Leg. pag. 759 B. Ex eo autem genere Aegyptiorum fuiſſe ſacra, docuit ſupr. cap. 73. Adde Ez. Spanhem. in Callimachi Hymn. in Pallad. 43. Wess.

ead. l. 9. Ἐντεταμένας) Veram eſſe hanc lectionem, oſtendit idem verbum, infra in hiſtoria Priapi III, 6, bis eodem ſenſu repetitum: quamvis marginalis etiam lectio admitti queat. Rhod. Recte Rhodom. ἄγαλμα ἐξορθιάζον τῷ αἰδοίῳ Plut. Iſ. & Oſir. p. 371 F. Plura doctiſſimus Kuhn. in Pauſan. VI, 26, p. 518, & Langbaen. ad Longin. 4, p. 30. Mox concinnius viſum eſt παραπλησίας. Wess.

Pag. 259. *l.* 6. Τοιοῦτον τὸ χρώματι &c.) Conſentit Plut. Iſid. & Oſ. p. 363 A. Αἰγύπτιοι δὲ πυῤῥόχρουν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα νομίζοντες, καὶ τῶν βοῶν τοὺς πυῤῥοὺς καθιερεύουσιν, οὕτως ἀκριβῆ ποιούμενοι τὴν παρατήρησιν, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν ἢ λευκὴν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι. *Aegyptii, quia Typhonem colore rufo fuiſſe cenſent, boum quoque non niſi rufos immolant; tamque accuratam adhibent obſervationem, ut ſi vel pilum habeat album aut nigrum, mactari non poſſe arbitrentur.* Quae boum ruforum deſcriptio cum egregie congruat ac concinat conſtitutioni Moſaicae de *iuvenca prorſus rufa*, Numer. XIX, 2, recte viri docti boves hos Aegyptios & iunicem Hebraeam inter ſe compararunt & contenderunt: quamquam Iudaeos Aegyptiorum aemulatione vaccam hoc colore immolaſſe, tametſi in hanc partem Io. Spencerus II Leg. Hebr. XV, p. 557, inclinet, impelli, ut credam, necdum poſſum; differunt certe qui-

dem in multis, de quibus haud male II Aegypt. 8 Herm. Witſius, ſed in Plutarcho coarguendo nimius. Wess.

ead. l. 10. Φασὶ θύεσθαι) Negat quidem Herodot. II, 45, Aegyptios victimas humanas immolaſſe; ſed contra eum veniunt cum Diodoro Porphyr. II A. A. 55, qui Amoſin homines mactandi morem, Heliopoli olim probatum, ſuſtuliſſe refert. Plut. Iſid. & Oſir. p. 380 D. teſte Manethone, vivos homines, qui Typhonii, forte ob colorem, dicebantur, combuſtos aſſeverat. Verba adſcribam, ut emendem: Καὶ γὰρ ἐν Εἰληθυίας πόλει ζῶντας ἀνθρώπους κατεπίμπρασαν, ὡς Μανέθων ἱστόρηκε, Τυφωνίους καλοῦντες· ſic lego. Ἰδιθύας πόλει, uti editur, nihili eſt, iureque optimo Abr. Ortelio diſplicuit. Habuit Aegyptus *Lucinae oppidum*, Εἰληθυίας πόλιν, ſupr. cap. 12 ſignatum, at diſtinctius a Strabone XVII, pag. 1171 D. & Porphyrio in III Pr. Evang. 12 Euſebii. Wess.

ead. l. 11. Ὀλίγους εὑρίσκεσθαι πυῤῥοὺς) Crine ruber Aegyptiis olim δυσάντητον θέαμα erat, nec niſi ingratiis hoc hominum genere utebantur, Plut. Iſ. & Oſir. pag. 364 B. Nunc, ut mobile hominum eſt ingenium, aliud obtinet; operam enim plerique omnes dant, ut capillos rufo colore inficiant, Proſp. Alpino II R. Aegypt. 10 auctore. Wess.

ead. l. 14. Οὐ τοῦ βασιλέως &c.) Conf. Strabon. XVII, p. 1154 B. & ſupr. c. 67 & 85. Wess.

Pag. 260. *l.* 3. Ταῖς ἐπιμιξίαις ζωογονεῖν) Idem docet Ariſtoteles VIII H. A. 28, praetereaque lupos Aegyptios ceteris longe eſſe minores: duplo Europaeis minores Proſp. Alpin. IV R. Aegypt. 9 ait. Wess.

ead. l. 9. Λύκῳ τὴν ὄψιν ὁμοιωθέντα) Hinc explanatur oraculum, quo Aegyptiis, a Typhone oppreſſis, rerum converſio promittitur, ὅταν Ὥρῳ τῷ παιδὶ γνώμη γένηται, συμμαχίαν ἑλέσθαι πρὸ τοῦ λέοντος λύκον· ὁ δὲ λύκος ὅστις ἐστὶν, ἱερὸς λόγος ἐστὶν, ὃν οὐχ ὅσιον ἐξαγορεύειν, οὐδὲ ἐν μύθου σχήματι, *cum Horus filius lupum potius, quam leonem belli ſocium ſibi adſciverit. Quis vero lupus ille ſit, arcani ſermonis eſt, quem ne in fabulae quidem ſpecie fas eſt in vulgus efferre*, apud Syneſ. I Provid. p. 115. Oſiridem enim indicat, filio opem contra Typhonem laturum. Dion. Petavius, ſi horum Diodori recordatus eſſet, facile ex oraculi eius tenebris ſe expediviſſet. Wess.

ead. l. 15. Διὸ καὶ τόν τε νομὸν ἐκεῖνον) Niſi haec interpretatione iuves, aut ἐκεῖνον elimines, non ſatis commo-

Ff 4

da videbuntur: neque enim Elephantine, contra Syenem in ultimis Aegypti finibus poſita, in Nomo Lycopolitano fuit. Vult, puto, Nomum in memoriam Aethiopum ultra Elephantinem a lupis compulſorum nomen accepiſſe, inque Luporum urbe, Λύκων πόλει, quae in Thebaïdis, ſi Memphi ad ſuperiora pergeres, principio, lupos coli coeptos. Vid. Strabon. XVII, pag. 1167 B. & ad Anton. Itiner. pag. 158. Wess.

Pag. 261. *l.* 4. Τὰ δεινότατα διατιθέντας) Sic ſupr. c. 83, τῶν ὄχλων τὸν πράξαντα δεινότατα διατιθέντων· quae verbi poteſtas in vexationibus afflictionibuſque domicilium quoddam tenet. Ioſeph. XX A. I. 1, 1, de Tholomaeo, latronum principe, διατεθεικὼς μέγιστα κακὰ τὴν Ἰδουμαίαν καὶ τοὺς Ἄραβας· & cap. 11, 2, τίνα τε Πέρσαι καὶ Μακέδονες διατεθείκασιν ἡμᾶς· ubi ego quidem malim cum Cod. Busb. δεινὰ διατεθείκασι. Plutarchus de Exſul. T. II, pag. 606 B. οὕτως ἐγὼ διατίθημι τοὺς κακῶς με ποιοῦντας· quibus, plura ſi deſideres, adde ex Noſtri XIII, 112, XIV, 27, XX, 52, & quae viri doctiſſimi Steph. Bergl. in Alciphron. II, Ep. 1, pag. 20, & T. Hemſterh. in Nigrin. Luciani c. 38, ſumma diligentia conduxerunt. De crocodili autem cultu ſupr. c. 35, & Aelian. X H. A. 21. Wess.

ead. l. 14. Προσαγορευόμενον Μηνᾶν) Conf. ſupr. 45; qui rex cum ex hominibus Aegypto primus praefuerit, & Moeris aliquot eo aetatibus ſit poſterior, fortaſſe is hic intelligitur, quem cap. 61 *Mendem* vocat, labyrinthi conditorem. Scio, quid viri egregii Holſten. & Berkel. ad Stephani Κροκοδείλων πόλις tentarint; neque conatum improbo: ſunt enim eius verba his Diodori paene gemina; quem niſi auctorem habuerit, poſſes ex corruptis eius ὁ Μαν * ὑπὸ τῶν ἰδίων &c. facili opera ὅτι ὁ Μένδης aut Μάρος effingere. *Menan* enim ab hippopotamo interfectum raptumque, African. & Euſeb. tradunt in Syncelli Chronogr. pag. 54. Wess.

Pag. 262. *l.* 4. Ὀνομάσαντα Κροκοδείλων) Non dubium eſt, quin vulgato multis hoc partibus praeſtet. Herodotus II, 148, ὀλίγον ὑπὲρ τῆς λίμνης τῆς Μοίριος, κατὰ Κροκοδείλων καλεομένην πόλιν. Aelian. VI H. A. 7, περὶ τὴν λίμνην τὴν καλουμένην Μύριδος, ὅπου Κροκοδείλων πόλις. Nec aliter Strabo, Ptolem. Stephan. atque alii. Neque morari quemque debet abſentia vocis πόλιν, quae paene ſolemnis in Aegyptiorum urbibus: ſic ἡ Λύκων apud Suidam, ἡ Κυ-

νων, ἢ Λάτων, unde deinceps ἡ Λυκὼ, Κυνὼ, Λατὼ formatae ſunt. Vid. ad Itin. Anton. p. 153 & 160. Wess.

ead. l. 9. Λαβύρινθον οἰκοδομῆσαι) Dixi ſupr. c. 61. Wess.

ead. l. 12. Οὕτως ἑαυτοὺς εἰθίκασι) Quod vulgo legebatur οὕτως αὐτοὺς τεθείκασι, id ad hanc formam, morem Mſſ. gerens, immutavi, neque iniuria, ut opinor: nam & οὕτως τιθέναι de cultu, quo affecta animalia, inſolens. Non quidem ignoro Libanii illud T. I, p. 90 D. ναυτιλίαν δ' ὅστις μάλιστα τίθεται, *navigandi quiſquis ſtudium magni facit*; ſed alius id modi & formae eſt; neque convenit Demoſthen. in Ariſtocrat. p. 426, οὐ τίθημι ἐν ἀδικήματος μέρει. Et hoc ſi Diodorus voluiſſet, αὐτὰ, ut τὰ τιμώμενα ζῶα ſtatim intelligerentur, dediſſet. Quae his adſtruit, argumento ſunt, ſpectare conſuetudinem, quam ſponte ſua Aegyptii ſuſceperant, & iuſtum eſſe, quod ſecutus ſum. Wess.

ead. l. 14. Τινὰς μὲν γὰρ φακῶν &c.) Aegyptiis *Porrum & caepe nefas violare & frangere morſu* olim fuiſſe, ex Iuven. XV, 9, nemo eſt, qui neſciat. Adde Herod. II, 37, Plut. Iſid. & Oſir. p. 353 E. Plin. XIX N. H. 6. Wess.

Pag. 263. *l.* 9. Διελέσθαι μὲν τὴν χώραν &c.) Affert eandem cultus animalium cauſam Plut. Iſid. & Oſir. pag. 380 A. nec negligendam cenſuit Artapan. in Euſeb. IX Pr. Ev. p. 432, quamquam Moſi ſatis abſurde adſcribens. Paulo ante βασιλέων τινὰ διαφέροντα iuſtius viſum: τῶνδε τῶν δεινῶν τινα καὶ πανούργων βασιλέων Plut. eo, quo dixi, loco. Wess.

ead. l. 16. Πάντας γὰρ τοὺς πλησιοχώρους &c.) *Summus utrinque Inde furor vulgo, quod numina vicinorum Odit uterque locus, cum ſolos credat habendos Eſſe Deos, quos ipſe colit*, de Ombitis & Tentyritis Iuven. XV, 35, & Aelian. X H. A. 21, quibus ſimilia admiſerunt Oxyrynchitae & Lycopolitae in Plutarchi Iſid. & Oſir. p. 380 B. Atque hinc, uti multa alia, venit ad Chriſtianos, ut ob diverſas de religione ſententias non mutuis tantum odiis, deteſtabili exemplo, ſe lacerarent, ſed & quovis modo ſibi incommodarent. Cuius facinoris Ariani Aegyptii primum cum exemplum praebuiſſent, mox, contagio quaſi, peſtis eadem ad ceteros pervaſit, ut bene M. V. la Croze I Hiſt. Chriſtian. Indor. p. 5. Wess.

Pag. 264. *l.* 5. Ἀλλήλους κατεσθίειν) Confer ſupra cap. 14. Wess.

ead. l. 15. Τιμῶν τυχεῖν ἰσοθέων) Solemne hoc de *conſecratis* & hominibus & animalibus. Caſtor & Pollux intra templa recepti τιμὰς ἰσοθέους ἔσχον, inquit Plut. in Theſ. p. 16 A. & de Aleta Polyb. X, 10, δοκεῖ δ' οὗτος εὑρετὴς γενόμενος τῶν ἀργυρείων μετάλλων, ἰσοθέων τετευχέναι τιμῶν. Habet & Artapanus in Euſeb. X Pr. Evang. pag. 432 C. Moſem enim ὑπὸ τῶν ἱερέων ἰσοθέου τιμῆς καταξιωθέντα προσαγορευθῆναι Ἑρμῆν aſſeverat, & Gregor. Nazianz. Orat. III, p. 106 A. & ſaepe Diodor. Vid. IV, 1. WESS.

Pag. 265. *l.* 11. Τοὺς ἑαυτῶν βασιλεῖς &c.) Vide ſupra c. 72. WESS.

ead. l. 13. Οὐκ ἄνευ δαιμονίου τινὸς προνοίας) Pauſaniae, quae divinitus & ex providentiae ordine contingunt, pari elegantia οὐκ ἄνευ θεοῦ cadere dicuntur IV, 29, VII, 8, X, 14; & Appian. V B. C. p. 1154, πειθόμενος οὐκ ἄνευ θεοῦ δὶς οὕτω θέρους πταῖσαι τοὺς πολεμίους. WESS.

ead. l. 16. Περὶ μὲν οὖν τῶν ἀφιερωμένων &c.) Hactenus cauſas animalium cultus, ut vulgo dabantur, recenſuit; e quibus id liquido cognoſcimus, non ea Aegyptios fuiſſe ſtultitia, ut in animum inducerent, animalia ea Deos eſſe: putabant, imagines eſſe rerum divinarum, & in illis ſeſe bonitatis & potentiae divinae argumenta venerari debere. Olim enim τῶν ἀγαλμάτων οὐχ εἷς νόμος, οὐδὲ εἷς τρόπος, οὐδὲ τέχνη μία, οὐδὲ ὕλη μία. Graecorum erat, numen auro, argento, ceteriſque, quae terra pretioſa fert, & forma humana colere; cum in Aegypto alia omnia probarentur, cultuſque varii generis animalibus deferretur, ut Maximus Tyr. Diſſert. 38, pag. 222, obſervat. Male haud dubio utrique, neque adeo tamen abſurdi poſteriores, ut quidem Graeci opinabantur: nam & tantum ex animalibus utilitatis percipiebant, unde ea dona Deorum immortalium eſſe colligerent; & praeterea in iis eſſe quaedam miranda, quibus adumbrarent potentiam divinam, longeque manifeſtius exprimerent, quam tabulis ac ſtatuis ſuis poſſent Graecique Romanique pictores ac ſtatuarii, uti Ger. Io. Voſſius IX Theol. Gent. 14 commentatur; cui iunge Diſſertat. Abbatis Banerii in Comment. Acad. Inſcript. T. IV, p. 116, & Thom. Galaeum in Iamblich. Myſt. Aegypt. V, 8, p. 265. WESS.

Pag. 266. *l.* 7. Καταπασάμενοι) Morem tangit Lucianus de Luctu c. 12, καὶ ἐσθὴς, inquiens, καταῤῥήγνυται,

καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται· & nos cap. 72. Wess.

ead. l. 11. Οὔτε ἐσθῆτας λαμπρὰς περιβάλλονται) Atrati mortuos lugebant: quare ἐσθὴς λαμπρὰ candida eſt, ut ἱμάτιον λαμπρὸν XX, 7, & Theophraſt. Charact. 21 cum Caſaub. nota, & S. Lucae A. A. X, 30. Ceteroqui λαμπρὸν ſubinde de cocco & purpura, monente Salmaſ. in Tertull. Pall. p. 182. Wess.

ead. l. 12. Τρεῖς ὑπάρχουσι τάξεις) Sic & Herodot. II, 86. Wess.

Pag. 267. *l.* 3. Οὗτοι δὲ γραφὴν ἑκάστου &c.) Haud ſcio, an picturam intelligat, qua ſingula expreſſa erant: Herodotus quidem certe id voluit, δεικνύασι τοῖσι κομίσασι (τὸν νεκρὸν) παραδείγματα νεκρῶν ξύλινα, τῇ γραφῇ μεμιμημένα. Wess.

ead. l. 12. Παρασχίστης) Ex re ipſa hoc nomen videtur ſortitus, quod & Polyb. XIII, 4, uſurpavit, ſed longe alia ſententia. De lapide Aethiopico, cuius & apud Herodotum hoc in negotio mentio, Blaſ. Caryophilus Diſſert. de Marmor. Antiq. p. 108. Wess.

ead. l. 16. Τὸ μῦσος εἰς ἐκεῖνον τρεπόντων) Sic & in Graecia atque alibi moris erat, ut male ominata a ſe imprecationibus quibuſdam in alterius caput averterent: unde ἐς κεφαλήν σοι in Ariſtoph. Plut. 526 cum L. Kuſteri & Deſ. Heraldi Animadv. in XI Martial. 50. Demoſth. de Coron. p. 187, ἃ σοὶ καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν· & Leg. Falſ. p. 228, ſed paulo diverſiore modo. Philo Iud. de Exſecrat. pag. 937 D. τρέψει γὰρ ὁ θεὸς τὰς ἀρὰς ἐπὶ τοὺς μετανενοηκότων ἐχθρούς· ſic enim legi ea oportet. In Aegypto, ut huc redeam, ſolemne & id erat, ut victimae capiti dira omnia imprecarentur, malaque a ſe in illud omnia derivarent, Herodot. II, 39. Paulo ante λίθοις βαλλόντων, etſi alterum non omnino pravum, praeoptavi. Wess.

Pag. 268. *l.* 3. Οἱ ταριχευταὶ δὲ καλούμενοι) Quoddam quaſi domicilium in corporum apud Aegyptios conditione tenet τὸ ταριχεύειν. Unde νεκρὸς ἐν θήκῃ τεταριχευμένος in Exc. Valeſ. p. 249, & ἡ τῶν νεκρῶν ταριχεία XX, 99, & Strab. XVII, p. 1145 A. indidem & ταριχευταὶ, ſive νεκρῶν ταριχευτῆρες ἀπηνεῖς, ut in Maneth. Apoteleſ. IV, 267, de quibus concinne ſatiſque culte VI, 460:

Ἤτοι γὰρ νέκυας μαλερῇ πνέοντας ὑπ' ὀδμῇ
Γαστέρας ἀμπτύξαντες, ἰδ' ἔγκατα πάντ' ἀφύσαντες,

Χρίουσι κέδρου κυαναυγέος ἔνδοθι πίσσῃ.
Oſtendit enim illis verſibus morem modumque, quem in corporibus condiendis ſectabantur. Wess.

ead. l. 10. *Οἴνῳ φοινικείῳ*) Meminit & Herodot. II, 85, cuius ſcripturam *φοινικηΐῳ* exprimere librarius Cod. M. voluiſſe videtur. Philoſtrato hoc vini genus *οἶνος ἀπὸ τῶν φοινίκων* II Vit. Apoll. 6. Wess.

ead. l. 12. *Κεδρίᾳ καί τισιν ἄλλοις*) Galen. VII Simpl. Medic. Fac. pag. 89 *κεδρέαν*, niſi vitium ſit, ter quaterque vocat, vimque illi ſiccandi & mortuorum ſine labe corpora ſervandi attribuit: *ἡ μέντοι κεδρέα ξηραίνει τε καὶ ἄσηπτα διαφυλάττει τὰ τεθνεῶτα σώματα·* quod & prodidit Dioſcorid. I, 105, praetereaque *νεκροῦ ζώην*, *mortui vitam*, a quibuſdam nuncupatam: forte Aegyptios deſignans, quorum cadavera, oleo hoc perfricta, diutiſſime perennabant. Addebant pollinctores ſive *ταριχευταὶ* & bitumen, infr. XX, 99, & Strab. XVI, pag. 1109 A. quod cum aliis aromatum generibus in ſecto eiuſcemodi corporis capite reperiſſe ſe auctor eſt Io. Gravius Pyramidogr. pag. 49. Wess.

ead. l. 13. *Πλείους τῶν τριάκοντα*) Haeccine an Clarom. Cod. ſcriptura verior ſit, decernere certo non poſſum; XL dies in mortuorum corporibus condiendis fuiſſe abſumtos, Geneſ. L, 3, legimus. Herodot. II, 86, LXX quidem dierum meminit; ſed qui omne luctus tempus videntur complecti. Mox *πολυχρόνιον τήρησιν* ex veſtigiis Codd. Co. & M. capiteque 83, ubi eadem dictio, & *θεραπεύσαντες* reſtituere placitum eſt. Wess.

Pag. 269. *l.* 6. *Τὴν πρόσοψιν ἀπαράλλακτον εἶναι*) *Prorſus ſimilem.* Sic de ſtruthocamelis II, 50, *ἀπαραλλάκτους κατὰ τὸν τύπον καὶ τὸ χρῶμα τοῖς τῶν καμήλων·* quod vocabulum in Stoicorum diſciplina frequentiſſimi erat uſus: docebant enim ſtatis rerum converſionibus redituros, qui perſimiles eſſent illis, quos prior rerum conditio habuerat: *ἀπαραλλάκτους ἔσεσθαι κατὰ περίοδον τοῖς ἀπὸ τῶν προτέρων περιόδων πάντας· ἵνα μὴ Σωκράτης πάλιν γένηται, ἀλλ' ἀπαράλλακτός τις τῷ Σωκράτει, γαμήσων ἀπαράλλακτον τὴν Ξανθίππην, καὶ κατηγορηθησόμενος ὑπὸ ἀπαραλλάκτων Ἀνύτῳ καὶ Μελίτῳ*, ut Origen. IV C. Celſ. c. 68, pag. 555, ait; quem & Lib. V, 20, pag. 592, & Plut. T. II, p. 1077 C. conſule. Wess.

ead. l. 10. *Κατ' ὄψιν ὁρῶσι τοὺς* &c.) Sext. Empir. III

Pyrrhon. Hypotypoſ. 24, p. 184: Αἰγύπτιοι δὲ τὰ ἔντερα ἐξελόντες, ταριχεύουσι αὐτοὺς (νεκροὺς) καὶ σὺν ἑαυτοῖς ὑπὲρ γῆς ἔχουσι. Nimirum τὸ πολυαρκὲς τῆς ταριχείας, ſive conditurae durabilitas, ſicuti Luciano Necyomant. c. 15 dicitur, efficiebat, ut in aedibus ſine damno haberi maiorum corpora poſſent: quamobrem ſolemnibus diebus convivio inferebantur, atque in lectulis & ſellis, ἐπὶ κλινῶν καὶ σκιμποδίων, quemadmodum Io. Damaſcen. Orat. I Imagin. p. 714 refert, collocabantur, ut συμποτῶν καὶ συνδείπνων loco eſſent, quod ſe vidiſſe idem Lucianus in libro de Luctu cap. 21 prodidit: atque huc ſpectat Silius XIII, 475:

——— ——— Aegyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & a menſis exſanguem haud ſeparat umbram.

quo quidem loco *ſaxum odoratum* non temere damnem; quandoquidem conſtat, ſaepe cellulis, in lapide excavatis, corpora, & recta quidem, fuiſſe recondita. Vide Proſp. Alpin. I Rer. Aegypt. 7. Mox, ſi per libros liceret, καθάπερ συμβεβιωκότων mallem. WESS.

Pag. 270. *l.* 3. Καὶ διαβεβαιοῦνται) Hyperbaton eſt, ſi λέγοντες ad τοὔνομα referas. Alioqui talis interpretatio exſiſtit: *& nomen mortui paludem traiecturum aſſeverant.* At quae haec nominis traiectio? Levi autem tranſpoſitione naturalis ordo reſtitueretur, ſi verba ſic collocares: καὶ λέγοντες τοὔνομα τοῦ τετελευτηκότος, ὅτι τὴν λίμνην διαβαίνειν μέλλει, διαβεβαιοῦνται. RHOD.

ead. l. 4. Τὴν λίμνην τοῦ νομοῦ τοῦ τετελευτηκότος) Hoc ſi probes, uti probandum ego cenſeo, nulla traiectione opus erit. Aegyptii in Nomos erant deſcripti, quorum ſingulae erant paludes, a mortuis tramittendae: quare funere indicto, addebatur, quo in Nomo palus eſſet. Nam tota Aegypto unam dumtaxat fuiſſe paludem, ad quam fato functi deportarentur, verum eſſe non poteſt, & res pro ſe ipſa loquitur. WESS.

ead. l. 5. Πλείω τῶν τετταράκοντα) Rarior aliis hic uſus vocis πλείω, Noſtro tritiſſimus, qui paſſim adverbii poteſtate inſtruxit. Vide modo XIV, 20, XVII, 115, XX, 63, & H. Stephan. ad XIII, 94. De iudicum in hemicyclo conſeſſu ſupr. c. 48. WESS.

ead. l. 9. Ἐφέστηκε δὲ ταύτῃ πρωρεὺς) Rectum ſi hoc loco πρωρεὺς, oportet idem ſit ac πορθμεὺς, quod in Co. &

M. Cap. enim 96 *Charontem* Aegyptiorum πορθμέα Graecis, ſive *portitorem* eſſe ait: qui titulus cum inferorum illi nautae, uti in Lucian. D. Mor. IV, 1, paene ſit perpetuus, non refragabor, ſi cui potior videatur; praeſertim quod navis ſuae gubernator eſſet Charon, & propterea proreta, de quo Ioan. Scheffer. IV Mil. Nav. c. 6, & infra XIV, 43, excellentior. WESS.

ead. l. 11. Ὀρφέα τὸ παλαιὸν εἰς &c.) Defendi poſſet auctore Plutarcho, quod ex Coisl. & Clarom. ſchedis erutum dedi, τὸν παλαιόν· ſic enim ille in VII Sap. Conviv. T. II, pag. 159 C. ὥσπερ Ὀρφέα τὸν παλαιὸν ἱστοροῦσι· niſi Diodoro τὸ παλαιὸν idem foret, atque *olim*, apud ſeculum prius, ut cap. 95, & IV, 12, V, 47 &c. WESS.

ead. l. 15. Μικρὸν ὕστερον ἀναγράψομεν) Infra cap. 96. WESS.

Pag. 271. *l.* 3. Ὁ νόμος ἐξουσίαν δίδωσιν) Omnia eadem in regum funeribus c. 72. WESS.

ead. l. 7. Μεγάλοις περιπίπτει προστίμοις) Cur περιπίπτει ſperneretur, cauſa non erat. Sic II, 55, τιμωρίαις περιπεσεῖται ταῖς μεγίσταις· ſupr. c. 77, θανάτῳ περιπίπτειν ἦν ἀναγκαῖον· cap. 83, πάντως θανάτῳ περιπίπτει· & frequentiſſime συμφοραῖς περιπίπτειν, etſi id paulo diverſius. Iſocrat. Areopag. p. 212, κακῶς διοικήσαντας ταῖς μεγίσταις ζημίαις περιπίπτειν. WESS.

ead. l. 12. Ὥσπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησι) Iſocrat. Laud. Buſir. pag. 328, Dionyſ. Halicarnaſ. T. II, pag. 39, Theon Progymn. c. 8, hoc de Graecorum more plura. WESS.

Pag. 272. *l.* 2. Παρακαλοῦσι τοὺς κάτω θεοὺς) Nec genere tantum proximi, ſed & defuncti nomine pollinctorum unus Deos ſolemni formula rogabat; cuius partem, quod argumentum laudationis, de qua Diodor. complectatur, exſcribere operae erit ex Porphyr. IV A. A. 10: Ὦ δέσποτα ἥλιε καὶ θεοὶ πάντες, οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις δόντες, προσδέξασθέ με καὶ παράδοτε τοῖς ἀϊδίοις θεοῖς σύνοικον· ἐγὼ γὰρ τοὺς θεοὺς, οὓς οἱ γονεῖς μοι παρέδειξαν, εὐσεβῶν διετέλουν· τούς τε τὸ σῶμα μου γεννήσαντας ἐτίμων ἀεί· τῶν τε ἄλλων ἀνθρώπων οὔτε ἀπέκτεινα, οὔτε παρακαταθήκην ἀπεστέρησα, οὔτε ἄλλο οὐδὲν ἀνήκεστον διεπραξάμην. De *Diis inferis*, κάτω θεοῖς, conf. c. 49. WESS.

ead. l. 7. Ἐν ταῖς ἀποδεδειγμέναις θήκαις) Recte Rhodom. Quaevis enim ad certos uſus accommodata & deſtinata ἀποδεδειγμένα appellitant, uti βιβλία ἀποδεδειγμένα

1 Maccab. XIV, 33; θαλάμους ἀποδεδειγμένους Sext. Empiric. I in Grammat. 13, p. 280; quem elegantiorem vocis uſum erudite, ut ſolet, T. Hemſterh. ad Xenophont. IV Epheſ. p. 59 explanavit, Vol. VI Miſcell. p. 301. Wess.

ead. l. 8. Τάφων κτίσεις) Melius κτήσεις. Si quis tamen retinendum cenſuerit κτίσεις, ita vertat: *qui propria ſepulcra non habet exſtructa.* Rhod.

ead. l. 9. Πρὸς τὸν ἀσφαλέστατον τῶν τοίχων) Non aliter Herodot. II, 86. Paulo ante κτήσεις ob ſcriptos libros & ipſam rem, quodque voces eas librarii confundere ſoleant, reſtitui. Vide Gisb. Cuper. III Obſ. 9, & Scherpezel. in Strabon. XIII, p. 881. Wess.

Pag. 273. *l.* 4. Εἰς τὴν αἰώνιον οἴκησιν) Dixi ſupr. c. 51, & in cauſam inquiſivi eius curae, quam diligentiſſimam mortuis impendebant. Id vero praeterire nefas eſt, fortaſſe nec alibi proditum, cenſuiſſe Aegyptios, redituros aliquando ſe in vitam, & propterea tanto opere conſervandis corporibus ſtuduiſſe: cuius rei auctorem do Auguſtinum Serm. CXX de Diverſis: *Aegyptii vero ſoli*, inquit, *credunt reſurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum; morem enim habent ſiccare corpora & quaſi aenea reddere, Gabbaras ea vocantes.* Quem virum etſi merito magni faciam, parum abeſt, quin ſuſpicer, magis concluſione quadam id collegiſſe ex diligenti corporum conditura, quam certa tradentium fide accepiſſe. Veteres quidem certe ſcriptores hac parte ab eo diſſentiunt. Immo Io. Caſſianus Collat. XV, 3, *morem* condiendorum corporum *Aegyptiis Nili fluminis invexiſſe alveum* aſſeverat; *ut quoniam univerſa illius latitudo terrae inſtar immenſi pelagi, non parvo anni tempore ſolita aquarum eruptione contegitur, ita nulla tunc cuiquam humandi copia humani corporis tribuatur, niſi poſt tranſvectionem decurſam, corpora mortuorum, pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis recondantur.* Quae ratio ut movere Aegyptios potuit, ita praecipua non fuiſſe videtur. Wess.

ead. l. 5. Διδόναι εἰς ὑποθήκην δανείου) Huc pertinent Teletis philoſophi verba in Stobaei Serm. 38, pag. 234: οἱ δὲ σκελετεύσαντες ἔνδον ἔχουσιν ὡς καλόν τι, καὶ ἐνέχυρα τοὺς νεκροὺς λαμβάνουσι· *hi vero deſiccata cadavera ceu quidpiam pulchrum domi aſſervant, & pignoris loco mortuos accipiunt:* tametſi enim Aegyptios nominatim haud deſignet, eorum tamen praecipua haec conſuetudo. Lucian. de Luctu c. 21 ſimilia prodidit, & praeter ceteros Herodot. II,

136; e quo Aſyche rege morem hunc in uſum veniſſe, ſancitumque, ne ſepulcro inferretur, qui patris aes alienum expungere & corpus redimere recuſaret, novimus: qua in re humanitati melius conſultum fuiſſe Romae, L. 38 D. *de Religioſ.* & 6 C. *de Sepulcro viol.* liquido teſtantur. WESS.

Pag. 274. *l.* 1. Καὶ ποιηταῖς διαβεβλημένοις) Qui male audiunt. Sic XIX, 7, πολλοὶ δ' οὖν, καὶ τῶν μηδ' ὁτιοῦν διαβεβλημένων, ἀνῃροῦντο. Plato Criton. p. 44 D. ἐάν τις ἐν αὐτοῖς διαβεβλημένος ᾖ. Ceteroqui διαβάλλεσθαι ſignificat ἀπεχθάνεσθαι, odiſſe, uti in eiuſdem Phaedon. p. 67 E. Dion. Chryſoſt. Orat. LXXIV, p. 642 B. & Strabon. XVII, p. 1142 A. cum Caſaub. nota. Male vero audiſſe poëtas, ac propterea famoſos fuiſſe, cum paulo aſperius videretur dictum, maluerunt Codd. Co. & M. auctores, eiectis poëtis, locum φήμαις relinquere: neque enim aliam lectionis eius cauſam exputare poſſum. WESS.

ead. l. 5. Ὑπὸ τῶν φαύλων χλευαζόμενοι) Multo concinnius & expeditius libri Mutin. χλευαζόμενα videri poſſet ob ταῦτα, quae praeceſſerant: neque valde obeſſet numerus multitudinis in verbo, quod proxime conſequitur: ſaepe enim Grammaticorum decretum ſcriptores aſpernantur, Noſterque ipſe XV, 48, ἐγένοντο πάθη τοιαῦτα. Strabo V, p. 330 C. ὅσην ἐγκυκλοῦνται τὰ Ἀπέννινα ὄρη. Heliodor. IV, p. 174, ἃ δὴ τοῖς Αἰγυπτίων ἱερατικοῖς καλουμένοις ὡμοίωνται· quae exempla nunc abunde erunt; plura fortaſſe ad V, 8. Vel ſic tamen paſſus ſum, ut ſedem, quam vulgata occuparat ſcriptura, tueretur, reſpiceretque Graecos, quos taxat. WESS.

Pag. 275. *l.* 7. Ἐπί τε τῶν θεῶν) Vid. cap. 44. WESS.

ead. l. 8. Ἀγράπτοις νόμοις χρήσασθαι) Hic oppoſitum τὸ ἐγγράφοις reſtituendum eſſe, ſententia evincebat. Sed id ipſum locus hic a Iuſtino Martyre non procul ab initio protreptici pag. 8 ed. Commelinianae citatus demonſtrat, ubi ante βιοῦν copulativa habetur. Cur vero pro Μνεύην Μωϋσῆν ponat, cuius tamen infra inter aliarum gentium legislatores mentionem facit, vir exquiſitae diligentiae plurimaeque lectionis, Fr. Sylburgius in Commentario Notarum in Iuſtinum M. lectori ſtudioſo planum faciet. Ego utrum βιοῦν Diodori vel καὶ βιοῦν in κατὰ βίον mutandum ſit, doctis conſiderandum permitto. RHOD. Ἐγγράπτοις νόμοις χρήσασθαι) Sincerum hoc eſſe, etſi Grae-

ci ſermonis Theſauri taceant, & ſcripti libri & aliorum exempla confirmant. Ἔγγραπτον enim, quod ſcripto conſignatum eſt, ſaepe Polybio, veluti III, 24, πρὸς οὓς εἰρήνη μέν ἐστιν ἔγγραπτος Ῥωμαίοις, *cum quibus foedere ſcripto iuncti ſint Romani;* & cap. 29, καὶ μὴν ἐν ταῖς περὶ Σικελίας συνθήκαις ἦν ἔγγραπτον· tum IX, 29, ὅσιόν ἐστι τὸ τὰς ἐγγράπτους πίστεις βεβαιοῦν, *pia res eſt leges pactorum ſcriptas ſervare.* Quae optimi ſcriptoris vocem abunde afferunt, at omnium clariſſime Strabo VI, pag. 397 D. cum de Locrenſibus, πρῶτοι δὲ, inquit, νόμοις ἐγγράπτοις χρήσασθαι πεπιστευμένοι εἰσί. WESS.

ead. l. 9. Καὶ βιοῦν τὸν Μνεύην) Copulam, ut ſententia melius conſtaret, addidi ex Iuſtini Mart. Protrept. p. 10 D. qui pro *Mneue* cum Moſen legit, aut in vitioſos incidit libros, cuiuſmodi hoc loco Clar. 1. aut malis artibus uſus eſt, quod & illi exprobravit Ger. Langbaenius in Longin. περὶ Ὕψους cap. 9, pag. 61; potuiſſet certe quidem, modo ſequentia in conſilium adhibuiſſet, ab hac labe ſibi cavere. Mneues, primus Aegyptiorum legislator, qui ſit, non temere finivero: Aelianus, citra controverſiam ſi eſſet ſcriptura H. A. L. XI, 10, eius patrocinium profiteretur: ſed dubito. De *Mena*, modo Poggius ingenii coniecturam non ſit amplexus, nihil obloquerer: eum enim leges ſcripſiſſe, & Heroibus regibus ſucceſſiſſe, antea cap. 45 vidimus. WESS.

ead. l. 11. Τὸν Ἑρμῆν &c.) Hunc Aegyptiis leges & literas tradidiſſe, Cicer. N. D. III, 22, & quos praeter Io. Alb. Fabric. Bibl. Gr. VI, 12, p. 127, O. Borrich. Hermet. c. 1 conduxit, Noſterque cap. 16, auctores ſunt. Solitos autem veteri aevo legum latores ad Deos ea referre, quorum ipſi architecti erant, ſimili diſputatione Strabo XVI, p. 1105, exſequitur. WESS.

ead. l. 14. Τὸν μὲν παρὰ Διὸς &c.) De utroque eadem Plato I de LL. p. 632 D. & infr. V, 79. Mox φοιτήσαντα Codd. Clarom. ſi παρὰ Δία & Ἀπόλλωνα eſſet, non aſpernarer. Lycurgum enim φοιτῶντα ὡς τὸν θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς Strabo X, 739, Minoëm vero φοιτῶντα πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς συνουσίαν Plato I de LL. princip. leges accepiſſe aiunt: neque fortaſſe reiectaneum videbitur, ſi εἰληφέναι παρὰ Διὸς &c. artiſſime iunxeris. WESS.

Pag. 276. *l.* 4. Παρὰ τοῖς Ἀριμασποῖς) Utra verior ſit ſcriptura, haec, an Ἀριανοῖς, non decerno: de Zathrauſte

enim omnia mihi obſcura ſunt, nec ſcio, qui genus & unde domo fuerit. Nam *Zoroaſterem*, *Zoroadum*, *Zaradam*, qui Perſis legum & religionis auctor, eundem ac Zathrauſtem videri, non poſſum doctiſſimo P. D. Huetio Demonſt. Evang. Propoſ. IV, c. 5, p. 152, aſſentiri. *Arimaſpos* & *Arianos* alias habebimus XVII, 81. Wess.

ead. l. 7. Γέταις, τοῖς ἀπαθανατίζουσι) Niſi fucum fecerint vetuſtiores ſchedae, hoc profecto Diodor. voluit. Getarum aliqui ἀθανατίζοντες & ἀπαθανατίζοντες dicebantur, atque apud hos Zamolxis praecipua gloria florebat. Plato Charmid. p. 156 D. ἔμαθον δ' αὐτὴν ἐγὼ ἐκεῖ ἐπὶ στρατιᾶς παρά τινος τῶν Θρᾳκῶν, τῶν Ζαμόλξιδος ἰατρῶν, οἳ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν· cuius verba aemulatur Lucian. Scyth. 1, οὐ Σκύθαις μόνον ἐπιχώριον ὂν ἀπαθανατίζειν καὶ πέμπειν παρὰ Ζάμολξιν &c. nollemque adeo ἀθανατίζειν in eo doctiſſimus Geſner. probaſſet: utrumque enim ea in re iuſtum eſt; nam Olearius ἀθανατίζειν in numerum inuſitatorum tranſcribens ad Philoſtr. Vit. Ap. VIII, 7, p. 337, audiendus non eſt. Id dubium eſt, cur Getae ἀπαθανατίζοντες ſint vocati: ſi Iac. Gronov. ſequeris, non poterit commodius exprimi, neque alio ſenſu titulus accipi, quam pro immortalibus conſecrantes, in Arrian. Exp. Al. I, 3, p. 8; quam poteſtatem uti verbo adſtruam infra II, 20, ita vereor, ne, cum Getis datur, non admodum opportuna ſit. Quae Herodot. IV, 94, de iiſdem prodidit, id poſtulare videntur, ut ex opinione, quam de animae immortalitate ſuſceperant, ita ſint appellati; qua vi citra dubium eſt in his Ioſephi A. I. XVIII, 1, 5, de Eſſenis, ἀθανατίζουσι δὲ τὰς ψυχάς. Mecum ſentit L. Kuſter. in Ζάμολξις Suidae. Wess.

ead. l. 9. Τὸν Ἰαῶ ἐπικαλούμενον θεὸν) Vetus haec nominis *Iehovah* pronuntiatio. Θεὸν ὕπατον Ἰαῶ Macrob. Satur. I, 18, & Ἰσχὺν Ἰαῶ Heſychius habet in Ὀζείας· quibus adde, quae viri docti ad Clement. Alex. Stromat. V, p. 666, in unum conduxerunt: neque enim conſilium eſt, in eam nunc ingredi controverſiam. Id monendum reſtat, Iuſtin. Mart. neglecta voce Ἰαῶ legiſſe Μωσῆν τὸν καλούμενον θεόν· quod conſultone an vitio libri factum ſit, non habeo dicere: Cyrillum profecto excuſare nequeo, qui cum eadem haec ex Iuſtino, Diodorum enim haud inſpexit, exſcriberet L. I C. Iulian. p. 15 D. ea, quae Iuſtin. probe diſtinxerat, ita, ut Iulianum fortius urgeret, con-

neſtenda cenſuit, χρήσασθαι τὰ πλήθη καὶ βίουν ἄνδρα καὶ τῇ ψυχῇ μέγαν καὶ τῷ βίῳ καινότατον τῶν μνημονευομένων παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν, τὸν καλούμενον θεόν· quae ſi fraus non eſt, amiſimus vera rerum vocabula. Vide & P. D. Huetium Demonſt. Evang. Prop. IV, 2, pag. 104. Iam quod calumniam ſpeſtat, qua Moſen Dei *Iao* numini leges ſuas acceptas retuliſſe, ut multitudinem dicto audientiorem redderet, Diodorus & Strabo XVI, p. 1106, ſparſerunt, ea toties & accuratiſſime a viris egregiis eſt infracta & confutata, ut otium mihi ſit. Vide Io. Alb. Fabricii Bibl. Gr. VI, 12, p. 130. WESS.

Pag. 277. *l.* 1. Σασύχην) Iuſtini contextus *Sauchnim* habet, additumque in parentheſi *Saſochim.* RHOD. & PALM. Σασύχην) Convenit regis huius nomen cum *Aſyche* Herodoti II, 136, qui & leges quaſdam rogavit: ſed obeſt aetas, quae Seſooſi ſive Seſoſtride plurimis annis eſt poſterior. WESS.

ead. l. 7. Σεσόωσιν τὸν βασιλέα &c.) Vid. ſupra cap. 53; & de legibus, ab eo latis, Dicaearchum in Schol. Apollon. Rhod. IV, 272, & Nymphodorum apud Schol. Sophoclis Oedip. Colon. 328. WESS.

ead. l. 12. Βόκχοριν σοφόν τινα) Sapientiae & verſatilis ingenii cultum eidem tribuit cap. 45 & 65; ceteri ſcriptores hanc laudem non prorſus illi auferunt, ſed aut φύσει χαλεπὸν, *natura aſperum*, ut Plutarch. T. II, pag. 529 E. aut habitum quidem δίκαιόν τε ἐν ταῖς κρίσεσι καὶ πρὸς τὸ θεῖον τὴν ψυχὴν κεκοσμημένον, in iudiciis iuſtum & animo in Deum pio, verum ex falſi pravique tenace rumore, κατὰ κλέος ψευδὲς καὶ φήμην οὐδὲν λέγουσαν ὑγιὲς, quemadmodum Aelian. H. A. XI, 11, produnt: quae fama fortaſſe differri coepta eſt, tum quod in Mnevim, ſacrum bovem, viſus eſſet iniquior, tum quod ad rem attentior. De legibus eius ſupra cap. 79, & Io. Marsham. Can. Chron. p. 482. WESS.

Pag. 278. *l.* 8. Περὶ τοὺς Νομάρχας) Haec, refutata Poggii verſione, P. Leopardus Emend. VII, 17, diligenter examinavit. Legem Amaſis de civium artiumque, unde alerentur, profeſſione ſupra Diodor. memoravit cap. 77, & Herodot. II, 177. WESS.

ead. l. 13. Οὐκ ὄντι γένους βασιλικοῦ) Conf. ſupra cap. 68. WESS.

ead. l. 14. Περὶ τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα) Thomas Mag. Ὀλυμπικὸν Atticorum eſſe ait, Ὀλυμπιακὸν commune & in ceterorum uſu. Diodorus modo Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα III, 73, IV, 14, variantibus tamen Mſſ. modo Ὀλυμπιακὴν πανήγυριν, Ὀλυμπιακὸν λόγον XIV, 109, XV, 78, appellat; quod ſequar: neque enim Atticos, de quorum more L. Kuſter. in Ariſtoph. Plut. 583, aemulari ſolet. De Eleis haud diſſimilia Herodot. II, 160, ſed Pſammi tribuens. WESS.

Pag. 279. *l.* 7. Εἰς ἐπιστολὴν γράψαι) Inferto accuſativo τέλος inter εἰς & ἐπιστολήν, puto locum hunc reſtitutum iri; ut ſit εἰς τέλος pro τὸ τελευταῖον, id eſt, *tandem;* pro quo tamen ſaepius dicitur τέλος ſine εἰς. Poteſt etiam εἰς τέλος hic verti, *poſtea tandem*, quia praeceſſit τὸ μὲν πρῶτον. Heſiodus dixit εἰς τελευτὴν itidem pro *tandem;* Plato πρὸς τὸ τέλος. STEPH. Commode monet H. Steph. inter praepoſitionem & nomen τέλος inſerendum eſſe, id eſt, *ad extremum.* RHOD.

ead. l. 9. Λυπηθῆναι συντόμως) Habet συντόμως hanc vim, ut id, quod ſubito accidit, indicet; ita συντόμως ἀποθανεῖν Plut. Bruto T. I, pag. 1009 B. & συντόμως ἀποστρέφειν καὶ ἀλύπως in eiuſdem Demoſth. p. 860 B. haud tamen ſcio, an συντόνως, quod ſaepe ab altero poſſeſſione deiectum oſtendit L. Kuſter. in Ariſtophan. Plut. 257, reliquerit, acremque & intentum dolorem indicarit: cui ſuſpicioni favet Herodoti III, 43, ἵνα μὴ — αὐτὸς ἀλγήσειε τὴν ψυχήν, & rei eventus; neque enim actutum ea incommoda Polycrati acciderunt, ſed interpoſita non brevis temporis mora, Amaſideque dudum fatis functo, eodem Herodot. III, 125, teſte: quae ſi cui Diodori verbis contraria videbuntur, non intercedam, ut in vulgata acquieſcat. Iam quod viri doctiſſimi Steph. & Rhodom. ſupra commentantur, haud plane improbo; quamquam lenior mihi medicina videtur, ſi εἰς, ex praecedentis vocis clauſula natum, plane eliminetur. WESS.

Pag. 280. *l.* 2. Ὁμιλῆσαι τοῖς ἱερεῦσι) Darius in Aegyptios, Oryandri ſatrapae crudelitatem exoſos, & ob eam cauſam deficientes, exercitum duxerat: quo tempore cum in Apin pius eſſet viſus, eorum & favorem collegit, & cum ſacerdotibus familiariter egit, Polyaen. Strateg. VII, 10, 7, & ſupr. cap. 58. WESS

ead. l. 9. Θεὸν προσαγορευθῆναι) Atqui reges ſuos Aegy-

ptii non aliter, ac ſi Dii reapſe eſſent, adorabant, ſupra c. 90, & in numis Ptolemaeus ΘΕΟΣ ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ vivus videnſque appellatur: quare niſi haec de Dei titulo, a veteribus Aegyptiis, ante Macedonum imperium, uni Dario delato, intellexeris, fallet obſervatio, uti viſum quoque Ezech. Spanhem. Diſſert. VII de Uſu & Praeſt. Numiſm. p. 421. WESS.

ead. l. 11. Νομιμώτατα βασιλεύσασι) Hoc movendum non cenſeo. Sic enim & c. 22 & 27 &c. WESS.

Pag. 281. *l.* 1. Κινηθῆναι) Verius *μετακινηθῆναι.* Simplici tamen utitur libro XL, in narratione de Iudaeis. RHOD. Aeque appoſitum *κινηθῆναι*, atque alterum illud. *Κινεῖν νόμους, ἐπιτηδεύματα, πάτρια, πάτριον ἔθος*, ſaepe ea in re obvia ſunt. Vid. infr. XX, 111, & Syneſ. Encom. Calv. p. 72 D. Plut. Lycurg. T. I, p. 42 B. WESS.

ead. l. 4. Τούτων δ' ἡμῖν διευκρινημένων) Euſebius haec exſcripſit, & Pr. Evang. X, 8, inſeruit. WESS.

ead. l. 12. Ἔτι δὲ Σόλωνα &c.) Praeter hos veteris Graeciae eruditiſſimos viros, in Aegyptum ſcientiae cauſa profectos, memorat Theodorus Meliteniotes Prooem. in Aſtronom. c. 12, Pherecydem Syrium, Thaletem Mileſium & Anaxagoram Clazomenium; cuius rei auctores quos habuerit, non addit. De Thalete ſatis id quidem exploratum eſt; de Pherecyde & Anaxagora non item, ut ex Clement. Alexand. Stromat. I, p. 352, videbis. WESS.

Pag. 282. *l.* 1. Τῶν δὲ τόπων ἢ κατασκευασμάτων &c.) Rhodom. haec obſcurius vertit; clarius Fr. Vigerus, *partim loca, partim opera quaedam, ipſorum cognomentis inſignia.* Cum enim in Aegypto & perdiu verſati fuerint, & nonnulla induſtriae ſuae monumenta reliquerint, facile loca quaedam & opera, ipſorum cognomentis illuſtria, oſtendi potuerunt. Strabo haec firmat XVII, pag. 1159: *Ἐκεῖ οὖν*, Heliopoli, *ἐδείκνυντο οἵ τε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος καὶ Εὐδόξου διατριβαί.* WESS.

ead. l. 6. Καὶ τὰ περὶ τὴν ἑαυτοῦ πλάνην) In his vitium ineſſe ſuſpicor, nec liquido, etſi multa mihi in mentem venerint elui qui poſſit, perſpicio. Fr. Viger. malle ſe ad Euſeb. ait *τὴν αὐτοῦ πλάνην*, idque eſſe *τὴν ὑπ' αὐτοῦ πεποιημένην·* quod aeque mihi obſcurum. Id videor mihi ex illis, quae conſequuntur, animadvertiſſe, Orphea in Graeciam intuliſſe & Bacchi orgia, & Cereris initia, & infero-

rum fabulas; ſi itaque eſſet τὰ περὶ τὴν Δήμητρος πλάνην, cetera haud male congruerent; ex illius enim erroribus Eleuſinia myſteria originem acceperunt; quapropter & perſonatus Orpheus praeter alia ſe ceciniſſe ait Argonaut. verſ. 26: Δήμητρός τε πλάνην καὶ Φερσεφόνης μέγα πένθος. Quod tamen nomen cum longius a veſtigiis ſcripturae veteris recedat, magis ut conſiderandi copia eſſet, quam ut pro vero putaretur, appoſui. WESS.

ead. l. 8. Ὀσίριδος τελετὴν) Antea haec tetigimus c. 14, 22, 23 &c. WESS.

ead. l. 11. Ἐν ᾅδου τιμωρίας) Fortaſſe haec aut argumentum, aut eius operis pars, quod Εἰς ᾅδου κατάβασιν inſcriptum Orpheo attribuerunt, de quo plura And. Chriſt. Eſchenbach. Epigen. p. 187. WESS.

Pag. 283. *l.* 2. Ψυχοπομπὸν Ἑρμῆν) Mercurii hunc & ſimiles ex impoſito umbrarum deducendarum munere titulos explanavit T. Hemſterh. in Lucian. Contempl. c. 1; habet eundem Plut. T. II, p. 566 B. & Euſtath. in Homer. p. 1951; alioqui ex cauſa non diſſimili ψυχοπομποὶ praeſtigiatores illi, qui defunctorum animas ciebant, ut in Syneſ. de Inſomn. p. 148 C. & eius Schol. Nicephoro pag. 412; ſicuti & ψυχαγωγοὶ Euripidi Alceſt. 1128, Pauſan. III, 18, Maximo Tyr. Diſſert. XXVI, pag. 151. Bene ergo Phrynichus in Biblioth. Coiſlin. pag. 469: οἱ δ' ἀρχαῖοι (ψυχαγωγοὺς) τοὺς τὰς ψυχὰς τῶν τεθνηκότων γοητείαις τισιν ἄγοντας, τῆς αὐτῆς ἐννοίας καὶ τοῦ Αἰσχύλου τὸ δρᾶμα Ψυχαγωγός. Sic enim ea diſtingui oportuerat. WESS.

ead. l. 5. Τὴν τοῦ Κερβέρου προτομὴν) Pravam Euſebii περιτομὴν recte exploſit diligentiſſimus Paull. Leopard. V Emend. 8, ſimiliaque Diodori loca congeſſit, quae non exſcribo. Προτομὰς μόσχων auctor Reg. I, 10, 19, ex Alexandrinorum verſione; θηρίων προτομὰς Plut. Iſid. pag. 380 A. κάπρον χρύσεον, εἰς προτομὴν ἀνθρώπου ἠσκημένον ſcriptor de Flumin. inter eiuſdem Plut. opera T. II, pag. 1161 E. dabit. Vide & ſupra c. 18. WESS.

ead. l. 7. Θεῖναι κατὰ τὴν ποίησιν) Initio L. XXIV de Ulyſſe. RHOD.

ead. l. 9. Ἀνδρῶν μνηστήρων) Amplector hanc ſchedarum Coiſlin. ſcripturam, in poëtae editis carminibus obviam: alteram quidem Euſeb. probavit, cuius iudicium veriorem

haud facit, praeſertim poëta & alibi Odyſſ. X, 369, Ψ, 363, conſentiente. Wess.

Pag. 284. *l.* 2. Ὠκεανὸν λέγειν) Puto Ὠκεάνην propter cap. 12 & 19 ſcripſiſſe. De prato inferorum amoeniſſime conſito Lucian. Necyom. cap. 11, & ibid. Tib. Hemſt. Wess.

ead. l. 10. Τὰς τῶν Αἰγυπτίων ταφὰς &c.) Haud longe ab urbe Memphi Aegyptiorum plures fuiſſe contumulatos, condita accuratiſſime cadavera, quae magno illic numero eruuntur, confirmant. Vid. Proſp. Alpin. Rer. Aegypt. I, 7, & Paul. Lucam Itin. Aegypt. IV, pag. 346. Wess.

Pag. 285. *l.* 1. Βάριν καλεῖσθαι) Aegyptium navis nomen eſſe, tametſi Grammatici in alia abeunt, abunde declarat Herodot. II, 96, & Aeſchyl. Supplic. 880: Αἰγυπτίαν γὰρ βάριν οὐχ ὑπερθορῇ. Quamobrem in gentis eius rebus geſtis frequens vocabuli uſus, ut in Plut. Iſid. T. II, p. 358 A. Syneſ. Provid. I, p. 96 A. Propert. III, 9, 44; quod etſi de aliis navibus uſurpetur, quoddam quaſi domicilium in cymba, qua Acheruſiam paludem mortui tramittebant, tenuit, ſicuti cap. 92, & eo in epigrammate, quo Diogenes Charonti Anthol. III, 33, pag. 420:

Δέξαι μ', εἰ καί σοι μέγα βρίθεται ὀκρυόεσσα
Βάρις ἀποφθιμένων, τὸν κύνα Διογένην. Wess.

ead. l. 2. Τὸ ἐπίβαθρον νόμισμα) Naulum, quod portitori pro conſcenſa navi perſolvitur, μισθὸς ὑπὲρ τοῦ ἐπιβῆναι τῆς νεὼς, Apollon. Rhod. I, 421: Ἦν τοι τῆς δ' ἐπίβαθρα χάριν προτεθείμεθα νηὸς Πρωτίστην. —— Paulo diverſiore uſu Plut. T. II, p. 727 F. de Ciconia, quae infeſta hominibus animalia necando, ἐπίβαθρόν τι γῆς δίδωσι, mercedem quandam loci, quem occupavit, praeſtat. Vid. P. Leopard. Emendat. X, 25, Diodori verba a perverſa Poggii verſione vindicantem; & de obolo, unone an pluribus, T. Hemſterh. in Lucian. D. Mort. XXII, 1, qui plura illic accuratiſſime, nec prave hoc loco τοῦ ἐπιβάθρου νόμισμα. Wess.

ead. l. 3. Καλουμένῳ Χάρωνι) Grammaticorum originationes, quas haud ſane lepidas Charonti impingunt, ut cum Diodoro ſentiam, faciunt; accedit in noſtram aetatem perennans Aegyptiis perſuaſio, & plurimae de por-

titore hoc fabellae, de quibus P. Lucas Itin. Aegypt. V, pag. 22. Wess.

ead. l. 5. Σκοτίας Ἑκάτης ἱερὸν) Hoc fanum in Aegypto reperire haud memini, ſed Veneris Σκοτίας in Heſych. Σκοτία. Haud dubie tamen ea eſt, quae Orpheo Argonaut. 972, αἰολόμορφος, τρισσοκέφαλος, ὀλοὸν τέρας οὔτι δαητὸν, Ταρταρόπαις Ἑκάτη, quaeque pars haud poſtrema inferorum, quorſum & ea ſpectant, quae ſequuntur, varie, ut in fabulis, exponi ſolita. Conf. Aeſchin. Socrat. D. III, 19. Wess.

ead. l. 12. Ἀκανθῶν πόλει) Mallem Ἀκάνθῳ πόλει, vel Ἀκανθίων πόλει ſecundum alios; quin etiam ſecundum ipſum Diodorum, cum alibi, tum pag. 320, τὴν Ἀκανθίων πόλιν. Steph. Lege cum H. Stephan. Ἀκανθίων· & paulo poſt pro ὄνον Ὄκνον. De quo Pauſan. in Phocicis cap. 29. Conſule proverbium, ſi voles, *Ocnos funem torquet.* Rhod. Non accedo viris doctiſſimis. A ſpinis, quarum ibi lucus, ut κυνῶν πόλις a canibus, & a lupis λύκων πόλις, primum Ἀκανθῶν πόλις, quod Ptolemaeo Geogr. IV, 5, p. 120, addicente Mſ. Coislin. Cl. Salmaſ. ad Solin. pag. 376 reſtituit, deinde Ἄκανθος dici coepta eſt. Aberat Memphi in Libyam verſus ſtadiis CXX, aut CL, ſi quid tribuendum diſcordantibus Diodori libris, aut CCCXX, ſi Stephano in Ἄκανθος· qua dubia in re equidem nihil conſtituo. Wess.

ead. l. 13. Πίθον τετρημένον) Notiſſima eſt Danaïdum ἡ περὶ τὸν τετρημένον πίθον διὰ κοσκίνου λατρεία, ſicuti dicitur Porphyr. A. A. III, c. ult. p. 140; nec raro tamen illi dolio accidit, ut τετριμμένον vocetur, veluti in Cod. Coislin. & Baſil. M. T. II, pag. 181 C. correcto tamen a Iuliano Garnerio, & Phrynicho in Biblioth. Coislin. pag. 469. De Sacerdotibus CCCLX vide c. 22; potuiſſet autem commode, cum εἰς ὃν praemiſiſſet, praeterire εἰς αὐτόν· quae, niſi pleonaſmo quodam, ut XVII, 35, & XVIII, 9, ſcripta velis, ſupervacanea erunt. Wess.

Pag. 286. *l.* 2. Περὶ τὸν ὄνον) Ὄκνον etiam legi poſſet, & fortaſſe melius. Vide proverbium *Ocnus funem contorquens.* Steph. Aſini in ea fabula poſt Ocnum σχοινοστρόφον partes haud poſtremae, ut vel ex Propertio IV, 3, 21, notum:

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternuſque tuam paſcat, aſelle, famem.

& Pauſan. X, 29. Aegyptiorum tamen alia fuiſſe ratio

videtur; neque enim aſinus, quod plexum erat, conſumebat, ſed tortum funiculum eorum in ſolemnitate alii diſſolvebant; quare & ego Ὄκνον praeferrem. Adde P. Leopard. Emend. IX, 11. WESS.

ead. l. 6. Μελάμποδα — ἐξ Αἰγύπτου &c.) His gemina Clemens Alex. Protrept. p. 12, & Nicephor. in Syneſ. p. 421, qui tamen difficulter tenebit, fuiſſe eum Αἰγύπτιον ἱερογραμματέα καὶ ἱεροφάντην. WESS.

ead. l. 12. Οἰκοδομηθέντος — ὑπὸ Μένδητος) Vide ſupra c. 61, & de Daedali ſtatuis IV, 78. WESS.

Pag. 287. *l.* 2. Τὸ κάλλιστον πρόπυλον) Plut. Iſid. p. 363 F. ἐν τῷ προπύλῳ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀθηνᾶς. Diodoro tamen tritius eſt προπύλαιον, ut c. 67. WESS.

ead. l. 10. Τῆς δ' Ὁμήρου παρουσίας) Conf. ſupra c. 12, & Ptolemaeum Hephaeſt. in Biblioth. Photii p. 486. WESS.

ead. l. 11. Ἑλένης φαρμακείαν) Odyſſeae IV, 221. Mox κακῶν nihil adimit ſententiae, etiamſi omittatur. RHOD.

ead. l. 15. Πολυδάμνης τῆς Θῶνος) Reddo Thonis uxori ſuum nomen ex Euſeb. & Iuſtin. M. qui & haec excerpſit Protrept. p. 26, & Clar. 2. cuius Πολύμνης ex ſcribendi compendio natum videtur. Nec aliter poëta Δ, 228, Aelian. H. A. IX, 21, Philoſtr. V. A. VII, 22, pag. 302. WESS.

Pag. 288. *l.* 3. Μόναις ταῖς Διοσπολίτισιν) Sic oportuerat. Ex Διόσπολις fit Διοσπολίτης, unde ΔΙΟϹΠΟΛΙΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ numi; neque enim mihi dubium, quin prave Goltzius exſcripſerit ΔΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Nepenthes* autem fueritne *opium*, quod vocant, an blandi inter pocula ſermones, ut Plut. T. II, p. 614 C. viſum, an aliud, poſt anxiam virorum doctorum, & praeter ceteros Pet. La Seine & P. Petiti, diſquiſitionem, in ambiguo eſt. WESS.

ead. l. 5. Τὰς Θήβας &c.) Vide ſupra c. 45. WESS.

ead. l. 8. Καὶ πεδίον χρυσῆς &c.) Homerus Venerem Iliad. Γ, 64, χρυσέην cum appellaſſet, quaeſivere tituli eius cauſam Grammatici; quorum alii a formae pulchritudine, ſuffragante Diodoro IV, 26, alii a campo quodam, aureo dicto, in quo ea templum habuerit, & praecipuo honore ſit culta, derivarunt: in his Aegyptii nomen ſunt profeſſi, &, eos fortaſſe ſecuta, Hiſtiaea Grammatica, ut Scholiorum auctor ad Iliad. Γ, 64, & Euſtath. pag. 384, docuerunt. WESS.

ead. l. 9. Ὀνομαζομένην Μώμεμφιν) Bene ſit Euſebio, qui iuſtum urbis nomen ſervavit; quod & confidenter Diodoro reſtitui: cur enim is Memphim, toties totieſque memoratam, τὴν ὀνομαζομένην appellaſſet? notior ea eſt, ut bene Fr. Viger. quam ut illam προσθήκην deſideret: quin ipſe huc ducit c. 66, ubi Pſammetichum adverſarios ſuperaſſe tradit, περὶ πόλιν τὴν ὀνομαζομένην Μώμεμφιν, firmatque egregie Strabo XVII, p. 1155 B. Venerem a Momemphitis diligenter cultam referens. WESS.

ead. l. 10. Περὶ τῆς συνουσίας &c.) De hac Iliad. Ξ, 346; de itinere in Aethiopiam Iovis Iliad. A, 424. WESS.

Pag. 289. *l.* 5. Πολλὰ τῶν ἐξ Αἰγύπτου &c.) Solonis tralatas ex Aegypto leges ſupr. c. 77 & 79 indicavit. De Lycurgo aſſentiuntur Iſocrat. Laud. Buſir. p. 329, Strabo X, pag. 738 D. & Plutarch. Lycurg. T. I, p. 41 F. de Platone vero Diogen. III, 6, & quos illi adſcripſit Aeg. Menag. WESS.

ead. l. 6. Τὰ κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον) Eius argumentum Dii reſque divinae, unde & περὶ θεῶν inſcribebatur; quem tamen auctor libri non ab Aegyptiis, ſed in Thraciae monte Libethris, Aglaophamo initia tradente, ſe accepiſſe profitetur apud Iamblich. Vit. Pythag. cap. 28, p. 123, ubi L. Kuſter. vide, & Io. Alb. Fabr. Biblioth. Graec. I, 19, 2. WESS.

ead. l. 9. Ψυχῆς μεταβολὴν μαθεῖν) Conf. Herodot. II, 123, Iamblich. Vit. Pyth. cap. 4, p. 15, & L. Holſten. in Porphyr. Vit. Pyth. p. 9. WESS.

ead. l. 10. Καὶ Δημόκριτον &c.) Ipſe de ſe, ut dubitare nefas ſit, profitetur apud Clement. Alexandr. Strom. I, pag. 357; cui adde Diogen. IX, 35, cum Menagii nota. WESS.

ead. l. 12. Τόν τε Οἰνοπίδην) De eo c. 41. WESS.

Pag. 290. *l.* 1. Καὶ τὸν Εὔδοξον) Eudoxus Platoni in Aegyptum abeunti comitem ſe addidit, Strabon. XVII, pag. 1159, auctore, Chryſippo vero medico, ſi Diogen. VIII, 87, ſequaris: qui ſcientiarum & aſtronomiae cupidine in hoc iter coniectum perhibent, ſolus Philoſtr. Vit. Apoll. I, 3, habendi & opum amore. WESS.

ead. l. 5. Τηλεκλέα καὶ Θεόδωρον) Pauſan. VIII, 14, p. 629, & X, 38, pag. 896, Theodorum Teleclis filium facit; Diodoro accedit Diogen. II, 103. Bene ergo Athe-

nagor. Legat. pro Chriſt. c. 14, ὁ δὲ Πύθιος, ἔργον Θεοδώρου καὶ Τηλεκλέους· quem optimi ſcriptoris locum memini cum mendi ſuſpectum haberem; ſed non inſolens veteribus, ut inter ſe diſſentiant, quod de Telecle & Theodoro admonere non neglexerunt Paul. Leopard. Emend. X, 25, & Menag. in Laërt. Mox ἱστορεῖσθαι iuſtius cenſui: pendet enim oratio. Wess.

Pag. 291. *l.* 2. Καθάπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν) Rudi & aevo & arte fortaſſe id verum fuit: non item labentibus annis; quando Graeci ea parte aut ſuperarunt, aut certe veteres Aegyptios aequipararunt. Vide, quae diligenter diſputavit Pict. Vet. III, 2, Franciſ. Iunius. Wess.

ead. l. 4. Τὸ τηνικαῦτα) Articulus reiiciatur. Rhod. Noli Rhodom. praecepto obedire: vetat Diodorus XI, 56, τὸ τηνικαῦτα ὁ βασιλεὺς φοβηθείς· & c. 83 eiuſdem libri, τὸ τηνικαῦτα ἀπογνοὺς τὰ κατὰ τὴν Θετταλίαν· & ſupr. c. 77 &c. Wess.

ead. l. 14. Κατὰ τὴν ὀροφὴν &c.) Quid ſi κορυφήν· & pro ζώου, θεοῦ· nam de Apollinis effigie mentio ſupra inchoata, nunc concluditur. Rhod. Κατὰ τὴν κορυφὴν) Mihi tam certa prior viſa eſt Rhodomani coniectura, ut eam receperim; praeſertim cum Pogg. eam vocem legiſſe videatur, & κατὰ τὴν ὀροφὴν ſententiae non conveniat. De altera amplio: durior enim eſt, tametſi Graeculis ſolemne fuerit, Deorum ſimulacra θεοὺς appellare, teſte Plut. Iſid. p. 379 C. Forte ex ξοάνου vocabulo, ſed contractius ſcripto, quod nunc legitur, natales ſuos accepit. Wess.

Pag. 292. *l.* 4. Τὰ δὲ σκέλη διαβεβηκότα) Atqui τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν, *Deorum ſimulacra Aegyptii iunctis pedibus & quaſi unitis ponunt*, apud Heliodor. III, p. 148, & Memnonis ſignum utroque pede coniuncto συμβεβηκὸς τὼ πόδε ἄμφω, ut ferebat ratio artis ſtatuariae circa Daedali tempora, in Aegypti finibus, Philoſtr. Vit. Apoll. VI, 4, indice: ſuperant praeterea gentis ſtatuae, quarum pedes cohaerent, & manus lateri adglutinatae conſpiciuntur. Quapropter aut haec de ſerioris aevi Aegyptiorum ſtatuariis accipienda ſunt, aut nimia ſibi, ut gens erat glorioſa, attribuerunt. Σκέλη autem διαβεβηκότα ſunt divaricata diductaque, ſicuti II, 9. Iovis ſignum ἑστηκὸς καὶ διαβεβηκός· & Apollo διαβεβηκὼς τοῖς ποσὶν, ὥσπερ θέων Diſſert. XXVI, p. 153, Maxim. Tyrii; ἀνδριάντες διαβε-

1282 4-32

PA
3965
D3
1793
v.1

Diodorus Siculus
Bibliothecae historicae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 29 05 05 007 2